


JOANNIS
LUDOVICI VIVIS VALENTINI
OPERA OMNIA.



JOANNIS
LUDOVICI VIVIS VALENTINI
OPERA OMNIA.



JOANNIS
LUDOVICI VIVIS VALENTINI
OPERA OMNIA,


DISTRIBUTA ET ORDINATA
IN ARGUMENTORUM CLASSES PRÆCIPUAS
A GREGORIO MAJANSIO, GENER. VALENT.
CAROLO III. Hispan. Regi a Consiliis, et Honorario XII. Viro
Litibus judicandis in Urbe, et Domo Regia.

ITEM

VITA VIVIS SCRIPTA AB EODEM MAJANSIO.
LIBERALITER EDITIONIS IMPENSAS SUFFICIENTE
EXCELLENTISSIMO DOMINO,

D. D. FRANCISCO FABIAN ET FUERO,
ARCHIEPISCOPO VALENTINO,
Equite Prelato Signato Magna Cruce Insignis Regalis
Ordinis CAROLI III.

TOMUS V.



VALENTIÆ EDETANORUM.

IN OFFICINA BENEDICTI MONFORT, EXC.mi ET ILL.mi DOMINI
Archiepiscopi Typographi. Anno M.DCC.LXXXIV.

ELENCHUS

TRACTATUUM, QUI IN HOC QUINTO TOMO CONTINENTUR.

POLITICO-MORALIA.

Epistola nuncupatoria. Pag. 1.	ronis, Vigilia.	109.
Ἰσοκράτους Ἀρεοπαγιτικός λόγος. 6.	De Europæ statu ac tumultibus Epistola ad Hadrianum VI. Pont. Max.	164.
Isocratis Areopagítica Oratio, sive de vetere Atheniensium Republica. Joan. Ludov. Vive interprete. 7.	De Pace inter Cæsarem et Franciscum Galliarum Regem, deque optimo regni statu, Epistola.	175.
Isocratis Nicocles, sive Auxiliaris, Joan. Lud. Vive interprete. 36.	Epistola ad Carolum Cæsarem.	187.
Ἰσοκράτους Νικόκλης, ἢ Συμμαχικός λόγος. 37.	De Concordia, Liber I. Qui est de originibus concordia et discordia.	193.
Epistola ad Reverend. D. Erardum a Marca Episc. Leodiens. et Archiepiscop. Valent. designatum. 62.	Liber II. Quam inhumane ter homines exercent discordias.	229.
Somnium, quæ est Præfatio ad Somnium Scipionis Ciceroniani. 64.	Liber III. De bonis concordia, et malis discordia.	255.
In Somnium Scipionis Oratio Ciceronis ad Lachesin. 85.	Liber IV. Cap. I. Quæ sit ad veram concordiam via. 331.	
Sermo Catonis Censorii ad Senatam. 88.	Cap. II. Cur Deum, quum ab eo pacem petimus, non exoramus. 335.	
Argumentum Somni Scipionis Ciceroniani. 94.	Cap. III. De natura hominis, et primum de animo; quàm sit erroribus et affectibus obnoxius. 338.	
Somnium Scipionis ex Ciceronis libro de Republica sexto excerptum. 96.	Cap. IV. De corpore humano quàm illud sit caducum et sordidum. 342.	
In Vigiliam in Somnium Scipionis, Præfatio. 103.	Cap. V. Ostenditur, quæ mor-	
In Somnium Scipionis, ex sexto de Republica Cice-		

mortales in hac vita an- quirimus, ea magna ex parte vana esse fluxa et inania.	346.	beantur, nec servare in agendo modum possu- mus, nec ullus erit rixa- rum et discordiarum finis.	380.
Cap. VI. Monemur, ut quæ nobis adversa eveniant, æquo animo toleremus.	350.	Cap. XII. Ultionem nec op- tare quidem fas est: Le- ges civiles coercent ma- num, Deus animum. Præ- ceptum caritatis expla- natur.	384.
Cap. VII. Onus regendi ho- mines in Principe, et un- de vera hominum excel- lencia sumatur.	354.	Cap. XIII. Christianos quan- to amore prosequi te- neamur.	394.
Cap. VIII. Nihil magis natu- ræ consentaneum quàm benefacere, et quàm mul- tis a nocendo deterrea- mur.	361.	Cap. XIV. Adhortatio ad caritatem.	399.
Cap. IX. De dignitate et of- ficio sapientis.	367.	Præfatio ad libros de Paci- ficatione.	404.
Cap. X. Quæ Principem cur- rare debeat, et quantu- lum Principem, ac virum sapientem intersit; per- fecta nulla sapientia nisi a Christo.	373.	De Pacificatione liber u- nus, de Conditione Vi- tæ Christianorum sub Turca.	447.
Cap. XI. Ni passiones cohi-		Epistola ad D. Joan. Episc. Lincoloniensem.	461.
		De Communionem rerum ad Germanos inferiores.	464.

LEGALIA.

Ædes legum.	483.	In Leges Ciceronis Prælectio.	494.
-------------	------	-------------------------------	------

JOAN-



JOANNIS LUDOVICI VIVIS

VALENTINI

OPERA OMNIA.

POLITICO-MORALIA.

JOANNES LUDOVICUS VIVES

THOMÆ CARDINALI, ET LEGATO ANGLIÆ ILLUSTRIS,

S. D.

V
 Etus quæstio est, quæ variè tum multorum in-
genia exercuit, tum rerum publicarum status
mutavit, atque administrationes, et utrum præ-
tet, consultiusque sit, populum suarum rerum
esse arbitrum ac dominum, an unius cura et
providentia teneri regimen civitatis? Multa in utramque par-
tem dicuntur et ingeniosè et verè, cum ab aliis, tum verò
ab Isocrate Atheniensi duabus orationibus, quarum una est
De populari potestate, altera est *De monarchia*; et quis me-
lius aut sapientius posset sententia sua certamen illud finire,
Tom.V.
A
quàm

quàm Tu? primùm tali ingenio ac memoria, deinde eruditione, quorum ego nonnunquam inter colloquendum, ac dissertandum, non exiguum aut obscurum specimen cepi, hinc tanto usu atque exercitatione gerendæ reipublicæ et regni administrandi; nam es Angliæ Cancellarius, quæ functio publica est, et tamquam popularis magistratus; tum regia negotia concedidit et commendavit Tibi Princeps optimus: ergo Tibi, exactissimo censori harum rerum, mitto duas illas orationes; non quòd iudicium animi Tui ignorem, salutarem esse omnem gubernationem, in qua publica commoda privatis anteponuntur, perniciosam, quum contrà, et si adsit prudentia, et omne genus virtutis, respectusque communis boni, præstare imperium atque administrationem unius, exemplo mundani regni, in quo universa ab uno temperantur, sed eo justissimo, sapientissimo, optimo, et qui omnia non ad suas utilitates referat, sed ad salutem eorum, quibus præest: scio hanc esse Tuam sententiam; verum ut olim adiri vacuis manibus numina religio fuit, sic uenire ad Te sine munusculo grati animi indice, nefas existimavi; primum, quòd pro numinibus sunt magni Principes, præsentés, ac benefici; deinde, quòd Tu me id docuisti, a quo nunquam discessi indonatus; ea est Tua in studiosos omnes incredibilis benevolentia et benignitas: acute Publius Syrus: *Beneficium sæpe dare, docere est reddere*: non potui eodem muneri genere gratiam referre, nam quantulus sum ego, qui auro, vel argento Tecum certem? Sed nec eruditione sum par, animo tamen et voluntate non vincor.

Ergo chartulas istas haud aliter interpretabere, quàm certissimum pectoris mei signum, tot ac tantorum beneficiorum non immemoris, et accipies tamquam arrhabonem daturi aliquando justum opus, et meum; nam hoc tempore districto tot laboribus, curisque, et potissimum publica

Oxonæ professione quam mihi imposuisti, nec meum aliquid licuit parere, nec concinnare alienum quod esset longum; tantum duas hasce Isocratis orationes verti, quod opus quemadmodum non potest omnino meum dici, ita nec sit penitus alienum; docui enim latine loqui; et præceptores parentum locum discipulis occupant: docui quidem, non quatenus linguæ latinæ facundia, sed certe quatenus mea infantia Attici Rhetoris eloquentiam consequi potuit; et si non aliis in rebus, in hoc saltem Atticismum ejus sum æmulatus, quod non redundanti oratione reddidi, quæ ille brevi atque astricta dixerat, nec Asianè, quæ ille Atticè, tametsi non numeravi verba, quod est miseræ atque ineptæ diligentia, tantum sententias bona fide lectori reddidi: Non est opus magnitudine Tua indignum si reliqua omnia spectes præter me, sive Isocratem ipsum, sive facundiam, sive argumentum de Athenis, Areopago, et Nicocle Rege.

Fuit Isocrates, Atheniensis Rhetor, temporibus Platonis, ex cujus schola, tamquam ex Trojano equo, prodiit numerosa illa cohors eorum, qui et dicendo et Republica administranda plurimum in Græcia valuerunt; eloquentiam testantur discipuli, et monumenta ingenii; in quibus est mira sermonis dulcedo, et aptissima compositio, numeris ad ornatum adstricta; Cicero fatetur ex illius opibus ornatorem se ac locupletiolem fieri: itaque maximo precio atque honore est per gentes omnes habitus, nactusque est sine foro, intra domesticos parietes, eam gloriam, qualem rari ex iis, qui in solem certamenque prodierunt, sunt consequuti; constat per breves sæpe orationes, ab eo conscriptas, ingenti auri pondere a principibus viris repensas esse, ut ab Artemisia Regina Cariæ, et a Nicocle Rege Salaminæ; tantus patriæ amator, ut fractis a Philippo Rege Atheniensium rebus ad Cheronæam, ut primum ea de re nuncius est Athenas perlat-

tus, mœrore expiraverit, grandis admodum natu.

Jam populum Atheniensem non ignoras, ut in Græcia, sic toto terrarum orbe clarissimum sapientia, et rebus gestis fuisse; tanta nobilitate atque antiquitate originis, ut genus suum ad nullos nisi ad se ipsos referrent, ideo Græco verbo Autochthones nominati sunt, quasi Aborigenes, cujusmodi in Latio fuerunt vetustissimi, et aliquot fuisse in Britannia gentes Cæsar tradit; ab initio Athenienses sub Regibus vixerunt, usque ad Codrum; huic a Peloponnesiacis hostibus, ipso se ultro pro patria offerente, sublato, successere ex ejus posteris Archontes, hoc est Principes, qui decennalem dignitatem tenuerunt; mansit genus hoc principatus annos ducentos ac viginti, nempe usque ad Erixiam, post quem universum civitatis jus atque imperium ad populum concessit; tulerat jam eis leges Draco, sanguine scriptas, ut est in proverbio; sed tempore hoc Solon, unus ex septem illis celebratissimis Græciæ sapientibus, novas alias dedit correctis illis Draconis, et Areopagum summum consilium instituit, extracta eò loci curia, quo de Martis capite judicium fuerat latum, quum is apud veteres illos esset Athenienses accusatus, quòd Halirrhothium Neptuni filium obruncasset, ideo Areopagus dictus est, ceu Martis collis, est enim Athenis clivus quidam; erat hic perpetuus Senatus, non constitutus ad tempus, ut consilium illud, quod vel quingentorum senum dicebatur, vel Thesmothetarum novem; cognoscebant de cædibus, incendiis, veneficiis, eamque ob causam sunt, qui Areopagum nominatum esse autument, quòd cædibus Mars præesse credebatur.

Areopagitarum mores quales fuerint, exponit oratione hac Isocrates, et declarant prisca illa verba: *Sanctior Areopagita, Gravior Areopagita, Integrior Areopagita*: quin vel ipsum solum nomen *Areopagita*, proverbii vice usur-

pa-

patur de incorrupto judice, nemo enim in consilium illud cooptatus est, cujus mores spectatissimi non fuerint, et qui non probitatis suæ multa ediderit documenta, nec ullus ex omni memoria (dictu mirabile) repertus est, qui si quid ingeniti haberet vitii, non illud, simul in Areopagum lectus esset, abjiceret; tanta aliorum erat virtus, ut nemo usque adeo vitium aliquod perditè amplecteretur, quin eum puderet inter tantam puritatem solum apparere maculosum: præco apud hos, quoties orator ad dicendam causam accedebat, vetabat ne affectus moveret, cognoscebant idcirco noctu, et in tenebris, ne aspectus vel agentis vel rei affectum aliquem excitaret unde posset illorum aliquis a rectitudine justitiæ deflectere.

Porrò Nicocles, Rex fuit Salaminæ insulæ, Græci maris, nobilis pugna illa qua Themistocles Atheniensis opes maritimas contudit Xerxis Regis Persarum; scripsit ad hunc eundem Nicoclem Isocrates orationem alteram, *De administrando regno*: ergo eunt ad Te Areopagitam, Areopagiticus sermo, et Nicocles Rex, ad regni administratorem, et ad facundissimum, Isocrates, et ad patronum, Vives cliens: faxit Christus ut cogitatus, atque actus Tui, patriæ Tuæ et Christiano orbi prosperi ac salutares sint.

Oxonix, xv. Decembris 1523.

ΙΣΟΚΡΑΤΟΥΣ

ΑΡΕΟΠΑΓΙΤΙΚΟΣ ΛΟΓΟΣ.

ΠΟλλοὺς ὑμῶν ὄμαι θαυμάζειν, ἢν τινὰ ποτε γνώμην ἔχων περὶ σωτηρίας τὴν πρόσοδον ἐποιησάμην, ὥσπερ τῆς πόλεως ἐν κινδύνοις ὕσης, ἢ σφαλερῶς αὐτῇ τῶν πραγμάτων καθεστηκότων, ἀλλ' ἔπλειους μὲν τρήρεις ἢ διακοσίας κειτημένους ἠρήνην δὲ καὶ τὰ περὶ τὴν χώραν ἀγύσης, καὶ τῶν κατὰ θάλατταν ἀρχύσης ἔτι δὲ συμμάχους ἐχύσης πολλοὺς μὲν τοὺς ἐτόιμους ἡμῖν, ἢν τι δέη, βοηθήσοντας, πολὺ δὲ πλείους τοὺς τὰς συντάξεις ὑποτελοῦντας, καὶ τὸ προσεπληρόμενοι ποιοῦντας ὡς ὑπαρχόντων, ὑμᾶς μὲν ἂν τις φήσειεν ἠελὸς εἶναι θαρρεῖν, ὡς πόρρω τῶν κινδύνων ὄντας, τοῖς δὲ ἐχθροῖς τοῖς ἡμετέροις προσήκειν δεδιέναι καὶ βεβλέεσθαι περὶ στήριος. ὑμεῖς μὲν οὖν διὰ ὅτι τούτῳ χρώμενοι τῷ λογισμῷ, καὶ τῆς ἐμῆς προσόδου καταφρονεῖτε, καὶ πᾶσαν ἐλπίζετε τὴν Ελλάδα ταύτη τῇ δυνάμει κατασχῆσεν.

Ἐγὼ δὲ δι' αὐτὰ ταῦτα τυχεράω δεδιώς ὄρω γὰρ τῶν πόλεων τὰς ἀριστα φράττειν οιομένας, τὰ κάκιστα συμβεβληομένας, καὶ τὰς μάλιστα θαρρέσας ἢς πλείους κινδύνους καθιστάμενας. αἰτίον δὲ τούτων ἐστὶν ὅτι τῶν ἀγαθῶν καὶ τῶν κακῶν, ἔσθ' αὐτὸ καθ' αὐτὸ παραγίγνεται τοῖς ἀνθρώποις ἀλλὰ συντέτακται καὶ συνακολεθεῖ. τοῖς μὲν πλεῖστοις καὶ ταῖς δυναστείαις ἀνοία, καὶ μὲν ταύτης ἀκολασία. ταῖς δὲ ἐνδεείαις, καὶ ταῖς ταπεινότησι, σωφροσύνη καὶ μετριότης ὥστε χαλεπὸν εἶναι διαγῶναι, πότεραν ἂν τις δέξαιτο τῶν μερίδων τούτων τοῖς ποσὶ τοῖς αὐτῶν καταλιπεῖν ἴσοιμεν γὰρ ἂν ἐκ μὲν τῆς φαυλοτέρας εἶναι δοκίσης, ἐπὶ τὸ βέλτιον ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ τὰς ἀράξεις ἐπιιδύσας ἐκ δὲ τῆς κρείττονος φαινομένης, ἐπὶ τὸ χεῖρον ἠθισμένης μεταπίπτειν καὶ τούτων ἐνεργεῖν ἔχειν παραδείγματα, πλείεστα μὲν ἐκ τῶν ἰδιωτικῶν πραγμάτων, πυκνοτάτας γὰρ ταῦτα λαμβάνει τὰς μεταβολὰς, μείζω δὲ καὶ φανερότερα τοῖς ἀκούσιν, ἐκ τῶν ἡμῖν καὶ Λακεδαιμονίαις συμβάντων.

Ἡμεῖς

ISOCRATIS

AREOPAGITICA ORATIO,

SIVE DE VETERE ATHENIENSIVM REPUBLICA,

JOANNE LUDQVICO VIVE INTERPRETE.

PLerosque vestrūm miraturos credo, quonam consilio de salute publica dicturus in hunc locum venerim, tamquam civitate in periculum conjecta, vel rebus ejus in lubrico constitutis; ceu vero non triremes possideat supra ducentas, et quieta domi, maris principatum obtineat; quin et socios habet permultos, adfuturos nobis illico, si res poscat, stipendiarios longe plures, quique imperata exequuntur: quibus nos rebus fretos, merito quivis bono esse animo jubeat, velut procul omni positos discrimine, hostibus vero nostris timendum magis censeat, et de salute sua consultandum: quocirca non dubito, quin ista cum animis vestris reputantes, meum ad vos accessum pro nihilo ducatis, magnaue spe sitis totam vos Græciam istis opibus occupaturos.

Ego vero contrā de istis ipsis rebus vehementer metuo, siquidem video civitates eas, quæ se felicissime putant agere, pessime de rebus suis statuere, et quæ maxime fiducia sui innituntur, in gravia pericula devolvi; cujus rei hæc profecto est causa, quòd neque prospera unquam, neque adversa sola hominibus contingunt; semper aliquis assectatur velut comes: Opes ac potentiam sequuntur stultitia, luxus; indigentiam vero atque humilitatem, modestia et moderatio, ut decerni vix possit, utrum sit satius filiis relinquere opulentiamne, an inopiam; quippe videre est ex hac, quæ existimatur pejor, meliorem ut plurimum vitæ rationem nasci, ex illa autem, quæ est in specie melior, in pejor mores relabi, et horum esse ad manum exempla privatorum quidem plurima, videlicet apud quos creberrimæ sunt ejusmodi rerum vices, majus tamen audientibus, atque illustrius ex nostris et Lacedæmoniorum eventibus fuerit.

Nos

Nos enim, post dirutam a Barbaris hanc urbem, exacuen-
te metu diligentiam curamque nostram, ad principatum Græ-
ciæ totius pervenimus; at ubi insuperabilem esse nostram po-
tentiam rati sumus, quantulum, quin caperemur, abfuit? La-
cedæmonii olim ex vilibus et pusillis civitatibus egredi ausi, fru-
galitate et disciplina militari Peloponnesum sibi subegerunt; post
hæc vero successores insolentiores facti, terræ marisque adepti
dominatum, in eadem, quæ nos, pericula devenerunt.

Quis ergo nisi demens, ejusmodi mutationibus cognitis, et
tam repente maximas potentias sublatas reputans, præsentī rerum
fortunæ confiderit? Atqui et nostra Respublica multo nunc in-
opior est, quàm illis temporibus, partim Græcorum odio adver-
sum nos, partim inimicitii Regis Persarum nobiscum renova-
tis, quæ olim causæ urbem hanc afflixerunt; quocirca nescire
vos quanta civitati nostræ procella immineat, equidem statue-
re neutram in partem possum an fiat, quod Respublica curæ
vobis non est, an quod curæ quidem, sed rerum sensus a-
missus.

Non intelligitis vos eos esse, qui et urbes Thraciæ delevi-
stis? quique mille amplius talentis frustra in exercitum pere-
grinum consumsistis, per hæc Græcorum odio et Persico bel-
lo conflato? ad hæc, Thebanos inimicos coacti estis servare,
vestris ipsorum sociis sublatis; et propter hæc acta, si diis pla-
cet, tamquam nunciis de Republica bene gesta acceptis, bis
jam circum deorum templa supplicatum est; quid, quod seg-
nius super illis consultamus, qui optime de Republica meren-
tur? Idcirco hæc omnia merito et facimus et patimur; nam
quid recte geri potest ab iis, qui prave de summa rerum sta-
tuerunt? Quippe vi partim negotiorum, si quid erratum, vel
favore fortunæ, vel alicujus hominis virtute emendatur, nihilo-
minus tamen in easdem rursus difficultates relabuntur. Fa-
cile hoc erit unicuivis intelligere ex iis, quæ nobis acciderunt.
Subdita nobis tum post navalem Cononis pugnam, tum post
bellum ab Timotheo gestum, universa Græcia, ne momento
quidem temporis partam felicitatem conservare potuimus, quo-
minus statim nobis imprudentibus elaberetur ac dissolveretur.

Quid-

Ἡμεῖς τε γὰρ ἀναστὰς μὲν τῆς πόλεως ὑπὸ τῶν βαρβάρων γενο-
μένης διὰ τὸ Δεδιόνας, καὶ προσέχειν τὴν νῦν τοῖς παρὰ γαμοῖν, ἐπαρ-
τέυσασιν τῶν Ἑλλήνων. ἐπειδὴ δ' ἀνυπέρογκτον ἔφημεν ἔχειν τὴν δύναμιν,
παρὰ μικρὸν ἤλθομεν ἐξ ἀνδραποδιῶν. Λακεδαιμόνιοι τε τὸ μὲν πα-
λαιὸν ἐκ φαύλων τε καὶ μικρῶν πόλεων ὄρμηθέντες, διὰ τὸ σαφρῶς ζῆν
καὶ στρατιωτικῶς, κατέχον Πελοπόννησον· μετὰ δὲ ταῦτα μείζω φρονή-
σαντες τῶν δεινῶν, καὶ λαβόντες καὶ τὴν κατὰ γῆν καὶ τὴν ἐπὶ θάλασ-
σαν ἀρχὴν, ἕως τοῦ αὐτοῦ ἡμῖν κινδύνου κατέστησαν.

Ὅς τις οὖν ἴδῃς τασαύτας μεταβολὰς γεγενημένας, καὶ τηλικαύ-
τας δυνάμεις οὕτω ταχέως ἀναρθεῖσας, σιγᾷ τοῖς παρῶσιν, ἀνοήτως
ἔστιν, ἄλλως τε καὶ τῆς μὲν πόλεως ἡμῶν πολὺ κατασφύερον νῦν παρὰ
τῆς ἢ κατ' ἐκείνου τὸν χρόνον, ἢ δὲ μίσους τῶν Ἑλλήνων καὶ τῆς
ἐχθρας τῆς πρὸς τὸν βασιλέα πάλιν ἀνακεκαμισμένης, ἢ τότε κατεπο-
λέμισεν ἡμᾶς ἀπορῶ δὲ πότερον ὑπολάβω μηδὲν μέλει ὑμῖν τῶν κοινῶν
πραγμάτων, ἢ φροντίζειν μὲν αὐτῶν; εἰς τῶτο δ' ἀναισθησίας ἦκειν,
ὅσπερ λαθάνειν ὑμᾶς εἰς ὅσπιν ταραχὴν ἢ πόλιν ἡμῶν καθέστηεν.

Εἰκατὲ γὰρ οὕτω διακειμένοις ἀνθρώποις, οἳ τινες ἀπάσας μὲν τὰς
πόλεις τὰς ἐπὶ Θράκης ἀπολωλεκότες, πλείω δ' ἢ χίλια τάλαντα μάτην
ἕως τοῦ ξένου ἀπανηλωκότες, πρὸς δὲ τοὺς Ἑλληνας διαβεβλημένοι, καὶ
τῶν βαρβάρων πολέμοι γεγονότες, ἔτι δὲ τοὺς μὲν Θεβαίων φίλους, σάξεν
ἠναγκασμένοι τοὺς δ' ἡμετέρους αὐτῶν συμμάχους ἀπολωλεκότες, ἐπὶ το-
σαύταις πράξεσιν εὐαγγέλια μὲν δις ἤδη τεθείκαμεν. βαθυμότερον δὲ πε-
ρὶ αὐτῶν ἐκκλησιάζομεν τῶν πάντα τὰ δέοντα πραττόντων, καὶ ταῦτ'
ἐφύλαξεν, καὶ ποιεῖμεν, καὶ πράττομεν. Ἐδὲν γὰρ οἱ ὄν τε γίγνεσθαι ἐπὶ
πρόσπον, τοῖς μὴ καλῶς περὶ τῆς διοικήσεως ὅλης βεβεβλημένοις. ἀλλ' εἴαν
καὶ κατορθώσασιν περὶ τινος πράξεως, ἢ διὰ τύχην, ἢ δι' ἀνδρῶν ἀρε-
τήν, μικρὸν διαλιπόντες, πάλιν ἕως τὰς αὐτὰς ἀπορίας κατέστησαν.
καὶ ταῦτα γνοίη τις ἂν ἐκ τῶν περὶ ἡμᾶς γενομένων. ἀπάσης γὰρ τῆς
Ἑλλάδος ὑπὸ τὴν πόλιν ἡμῶν ὑποπεισούσης, καὶ μετὰ τὴν Κόνωος γαι-
μαχίαν, καὶ μετὰ τὴν Τιμοθέου στρατηγίαν, ἔδεν χρόνον τὰς εὐ-
τυχίας καταχεῖν ἠδυνήθημεν, ἀλλὰ ταχέως διεσκαρφησάμεθα, καὶ διε-
λύσαμεν αὐτάς.

Πολιτείαν γὰρ τὴν ὀρθῶς ἀν τοῖς πράγμασι χρησομένην, ὅτι ἔχομεν, οὐτε λαβεῖν αὐτοῦμεν. καίτοι τὰς εὐπραγίας ἅπαντες ἴσμεν, καὶ παραγνομήνας, καὶ παραμενούσας, ἢ τοῖς τείχεσι μέγιστα ἢ κάλλιπα περιβεβλημένοις, ἔδὲ τοῖς μετὰ πλείστων ἀνθρώπων ἕς τὸν αὐτὸν τόπον ἠθροισμένοις, ἀλλὰ τοῖς ἄριστα καὶ σωφρονέστατα τὴν αὐτῶν διοικήσιν. ἔστι γὰρ ψυχὴ πάλαι ἔδὲν ἄλλο, ἢ πολιτεία τοσαύτην ἔχουσα δύναμιν, ὅση περ ἐν σώματι φρόνησις· αὕτη γὰρ ἐστὶν ἢ βεβουλημένη περὶ ἁπάντων, καὶ τὰ μὲν ἀγαθὰ διαφυλάττει, τὰς δὲ συμφορὰς διαφεύγουσα· ταύτη καὶ τοὺς νόμους, καὶ τοὺς ῥήτορας, καὶ τοὺς ἰδιώτας ἀναγκαῖόν ἐστιν ὁμοιοῦσθαι, καὶ πράττειν οὕτως ἕκαστος, οἱ ἂν περ ἀν αὐτὴν ἔχουσιν ἢς ἡμεῖς διεφθαρμένους ἔδὲν φροντίζομεν, ἔδὲ σκοπεῖμεν, ὅπως ἐπανορθώσομεν αὐτήν.

Ἀλλ' ἐπὶ μὲν τῶν δικαστηρίων τῶν καθηγησιῶν κατηγοροῦμεν, καὶ λέγομεν ὡς ἔδὲ ποτε ἐν δημοκρατίᾳ κάλιον ἐπολιτεύθημεν. ἐν δὲ τοῖς πράγμασι, καὶ ταῖς διανοαῖσι, αἷς ἔχομεν, μᾶλλον αὐτὴν ἀγαπῶμεν τῆς ὑπὸ τῶν προγόνων καταλειφθείσης ὑπὲρ ἢς ἐγὼ καὶ τὸν λόγον μέλλω ποιεῖσθαι, καὶ τὴν πρὸς ὁδὸν ἀπεγραψάμενην εὕρισκα γὰρ ταύτην ἀν μόνην γενομένην, καὶ τῶν μελλόντων κινδύνων ἀποσοφῶν, καὶ τῶν παρόντων κακῶν ἀπαλλαγῆν. ἢν ἐβελήσωμεν ἐκείνην τὴν δημοκρατίαν ἀναλαβεῖν, ἢν Σόλων μὲν ὁ δημοτικώτατος γηρόμενος ἐνομοθέτησε· Κλεισθένης ὃ δὲ τοὺς τυράννους ἐκβαλὼν, καὶ τὸν δῆμον καταγαγὼν πάλιν ἐξ ἀρχῆς κατέστησεν ἢς ἔτι ἂν εὐροῖμεν ὅτε δημοτικώτερον, ὅτε μᾶλλον τῇ πόλει συμφέρονται.

Τεκμήριον ὃ μέγιστον οἱ μὲν γὰρ ἐκείνην χρώμενοι, πολλὰ ἢ καλὰ διαπραξάμενοι, καὶ παρὰ πᾶσιν ἀνθρώποις εὐδοκίμησαντες, παρ' ἐκόντων Ἰ Ἑλλήνων ἢ ἡγεμονίαν ἔλαβον. οἱ ὃ τῆ νῦν παρουσίας ἐπιθυμήσαντες, ὑπὸ πάντων μισθῆντες, καὶ πολλὰκις θανάτω παθόντες, μικρὸν ἀπέλιπον τῶ μὴ ταῖς ἐσχάταις συμφοραῖς περιπεσεῖν· καὶ τοι πῶς χρὴ ταύτην ἢ πολιτείαν ἐπινοεῖν ἢ στέργειν, ἢ τοσοῦτων μὲν κακῶν πρότερον αἰτίαν γενομένην, νῦν ὃ καθ' ἕκαστον ἐνιαυτὸν ἐπὶ τὸ χεῖρον ἀεὶ φερομένην; πῶς δὲ ἔδει δειδίναί, μὴ τοσαύτης ἐπιπόσεως γιγνομένης, τελευτῶντες ἕς τραχύτερα πράγματα τῶν τότε γενομένων ἐξοκείλωμεν; ἵνα ὃ μὴ συλλήβδην μόνον ἀκκοῦτες, ἀλλ' ἀκριβῶς ἴδότες, ποιῶσθε καὶ τὴν αἴρεσιν καὶ τὴν κρίσιν περὶ αὐτῶν, ἡμέ-

Quidni? cum rationem administrandæ civitatis, qua uti rebus, sicut oportet, possimus, nec habeamus, nec ut habeamus, curæ sit? Equis omnium ignorat felicitatem neque magnificis murorum structuris, neque civium numerosa multitudine, vel quæri, vel contineri, sed sapientibus ac moderatis Republicæ gubernatoribus? Est enim anima civitatis nihil aliud, quàm administratio illius; quæ non minores in ea habet vires, quàm in corpore prudentia; videlicet, hæc est, quæ de omnibus consulit, simul conservans profutura, simul nocitura devitans; huic oportet et leges, et oratores, et privatos homines esse similes, et sic unumquemque agere, prout illam sit nactus; hac depravata, nos nihil habemus pensi, nec solliciti sumus, quemadmodum redintegretur.

Accusamus quidem Judices, et nunquam sub populari regimine gravius vexatam esse Rempublicam conquerimur, in negotiis vero, et suis quisque cogitationibus, prudentiam nostram prudentiæ nostrorum majorum anteponimus, de qua quidem dicturus huc prodii: equidem ita compertum habeo, averti posse pericula impendentia, et mala præsentia depelli, si revocare sit animus popularem illam civitatis constitutionem a Solone, homine omnium maxime populari, traditam, a Clisthene vero, qui tyrannos exegit, ac populum reduxit, restitutam, qua nullam excogitarit quis unquam vel popularem magis, vel huic utiliore civitati.

Sit hoc unum vel maximum argumentum, quòd qui in ea vixerunt, pulcherrima ediderunt facinora, magna que per genteis omnibus gloria fuerunt, ad illosque ultro universæ Græciæ consensu delatum imperium est; at quibus præsens rerum status cordi est, invis omnibus, et frequenter gravia perpassi, quantum abfuit, quin ad ultimam necessitatem detrusi sint? Jam quis eam administrandi rationem vel laudavit, vel amarit, quæ et antehac tot nobis mala peperit, et nunc annis singulis in pejus fertur? An non metuendum est, ne res eò progrediatur, ubi inter aspera aliqua et difficilia oppressi negotia, Republica penitus ac civitate spoliemur? Sed ut non universè tantum, verum particulatim quoque singula audientes, censere atque eligere, si quid utile vobis videatur, possitis,

vestrum munus erit, vos ipsos præbere iis, quæ dicam, attentos, meum vero, uti brevitate, quanta maxime potero.

Qui olim Rempublicam nostram tenuere, constituerunt genus quoddam administrationis non solo verbo commune et mirissimum, re autem vera, longe aliud illis visum qui in eo versabantur; neque ad hunc modum cives suos formabant, ut intemperantiam crederent esse popularitatem: non obtemperare legibus, libertatem: procacitatem linguæ effrenem, æqualitatem legum: et horum omnium flagitiorum impunitam licentiam, felicitatem esse arbitrarentur: verum modus et ordinatio Reipublicæ ita rem temperabat, ut ejusmodi delicta pœnis coërceret, prosequeretur odio, civesque suos bonos ac moderatos facile redderet.

Inter cetera maximum illis aderat ad optime regendam civitatem adjumentum, quod quum duæ sint æqualitatum species, altera quæ omnes in civitate, discrimine omni sublato, exæquat, altera quæ singulorum dignitatem expendit, illi haud ignari hanc utiliorem esse, illam vel iniquam repudiarunt quæ probos juxta et improbos eisdem rebus dignos censet, retinuerunt eam in qua merita tum præmiis æstimantur, tum pœnis, hancque in urbem suam invexerunt, ut Magistratibus non passim quoslibet admo-verent citra delectum, sed singulis publicorum munerum optimos, et in primis idoneos, præficerent; quippe non dubitabant, cives omnes tales futuros, cujusmodi forent rectores ipsi; deinde in eligendis Magistratibus cum primis e Republica duxerunt esse, non hoc sorti committere, nam sæpenumero ita fert casus, ut iis administratio civitatis obveniat, qui rerum novarum studiosi sunt, opesque populi translatas ad paucorum dominatum cupiant; quocirca in deligendis moderatissimis æquum est summam potestatem esse penes populum, ut eos sibi præficiat, quibus exploratum habeat, et percognitum, communem potentiam caram esse.

Causa vero, cur magnus erat in civitate consensus, nec de honoribus certabatur, hæc est, quod unusquisque operi ac parsimonix intentus ageret, nec ullus, suis neglectis, insidiabatur alienis, neve ex publicis fortunis aliquid in privatas utilitates derivabant; contra potius, ex suis quisque Rempublicam adjuvabat quum poscebat usus, nec accuratius norat quis

quan-

ὑμέτερον μὲν ἔργον ἐστὶ παραχρῆν ὑμᾶς αὐτοὺς προσέχοντας ἢ νοῦν τοῖς ὑπὲρ ἑμῶν λεγομένοις· ἐγὼ δὲ ὡς ἂν δῶνωμαι συντομώτατα περιάσομαι περὶ ἀμφοτέρων τούτων διελεῖν πρὸς ὑμᾶς.

Οἱ γὰρ κατ' ἐκείνον τὸν χρόνον ἢ πόλιν διοικῶντες κατεστήσαντο πολιτείαν, ἐκ ὀνόματι μὲν τῷ κοινοτάτῳ καὶ πρασιτάτῳ προσαγορευομένην, ἐπὶ δὲ τῶν πράξεων οὐ τοιαύτην τοῖς ἐπιτυχάνουσι φαινομένην· ἔβλε δὲ τὸν πρῶτον τῶτον ἐπαίδειον τοὺς πολίτας, ὡς ἢ ἠγεῖσθαι τὴν μὲν ἀκολασίαν, δημοκρατίαν, τὴν δὲ παρανομίαν, ἐλευθερίαν, τὴν δὲ παρρησίαν, ἰσονομίαν, ἢ δὲ ἐξέσθαι τῶ ταῦτα ποιοῖν, εὐδαιμονίαν· ἀλλὰ καὶ μισῶσα καὶ κολάζουσα τοὺς τοιούτους, βελτίους μὲν καὶ σωφρονετέρας ἄπαντας τοὺς πολίτας ἐποίησε.

Μέγιστον δὲ αὐτοῖς συνέβηλετο πρὸς τὸ καλῶς οἰκεῖν τὴν πόλιν, ὅτι δυνὸν ἰσοτήτῳ νομιζομένην εἶναι, καὶ τῆς μὲν ταυτὸν ἄσασιν ἀπονεμάσης, τῆς δὲ πρὸς τὸ προσήκον ἐκάσῳ, ἐκ ἠγνούου τούτων τὴν χρησιμωτέραν. ἀλλὰ ἢ μὲν τῶν αὐτῶν ἀξίωσαν, τοὺς χρηστοὺς καὶ ποιητοὺς ἀπεδοκίμαζον ὡς ἢ δίκαιαν οὔσαν. τὴν δὲ κατ' ἀξίαν ἕκαστον τιμῶσαν, καὶ κολάζουσαν προηρῶντο· καὶ διὰ ταύτης ἄρκουν τὴν πόλιν, ἐκ ἐξ ἀπάντων τὰς ἀρχὰς κληροῦντες, ἀλλὰ τοὺς βελτίστους, καὶ τοὺς ἰκανοτάτους, ἐφ' ἕκαστον τῶν ἔργων προκρίναντες· τοιούτους γὰρ ἠλπίζον ἔσεσθαι καὶ τοὺς ἄλλους, οἳ οἵπερ ἂν ᾧσιν οἱ τῶν πραγμάτων ἐπιστατοῦντες· ἔπειτα καὶ δημοτικωτέραν ἐνόμιζον ταύτην εἶναι τὴν κατάστασιν, τῆς διὰ τοῦ λαγχάνου γινομένης· ἐν μὲν γὰρ τῇ κληράσει τὴν τύχην βραβεύειν, καὶ πολλάκις λήψεσθαι τὰς ἀρχὰς, τοὺς ὀλιγαρχίας ἐπιθυμοῦντας, ἐν δὲ τῷ προκρίνειν τοὺς ἐπιεικεστάτους, τὸν δῆμον ἔσεσθαι κύριον ἐλέσθαι τοὺς ἀγαπῶντας μάλιστα τὴν καθεστῶσαν πολιτείαν.

Αἴτιον δ' ἦν τοῦ ταῦτα τοῖς πολλοῖς ἀρέσκεν, καὶ μὴ περιμαχίτους εἶναι τὰς ἀρχὰς, ὅτι μεμελετηκότες ἦσαν ἐργάζεσθαι καὶ φείδεσθαι, καὶ μὴ τῶν μὲν ὀκειῶν ἀμελεῖν, τοῖς δ' ἄλλοις ἐπιβεβλήκειν μὴ δ' ἐκ τῶν δημοσίων τὰ σφέτερόν αὐτῶν διοικεῖν, ἀλλ' ἐκ τῶν ἐκάσῳ ὑπαρχόντων, ὅπως, λέησε καὶ τοῖς κοινοῖς ἐπαρκεῖν μὴ δ' ἀκριβέστερον εἶδεσθαι

τάς ἐκ τῶν ἀρχαίων προσόσεις, ἢ τὰς ἐκ τῶν ἰδίων γινομένας αὐτοῖς· οὗτω δὲ ἀπείχοντο τῶν τῆς πόλεως, ὥστε χαλεπώτερον ἢ ἐν ἐκείνοις τοῖς χρόνοις εὐρεῖν τοὺς βυλομένους ἄρχειν, ἢ νῦν τοὺς μηδὲν δεομένους· οὐ γὰρ ἐμπορίαν, ἀλλὰ λειτουργίαν ἐνόμιζον εἶναι τὴν τῶν κοινῶν ἐπιμέλειαν. ἔσθ' ἀπὸ τῆς παρώτης ἡμέρας ἐσκόπουσι εἴ τι λῆμμα παραλελοίπασιν οἱ παρότερον ἄρχοντες, ἀλλὰ πολὺ μᾶλλον, εἴ τινος πράγματός κατημελήμασι, τῶν τέλους ἔχειν κατεπεριγόντων.

Ὡς δὲ συντόμως εἰπεῖν, ἐκείνοι διεγνωκότες ἦσαν, ὅτι δεῖ τὸν μὲν δῆμον, ὡς περ τύραννον καθιστάσαι τὰς ἀρχάς, καὶ κολάζειν τοὺς ἐξαρμάρτανοντας, καὶ κρίνειν περὶ ἀμφισβητούμενον. τοὺς δὲ χολὴν ἄγειν δυναμένους, καὶ βίον ἰκανὸν κεκτημένους, ἐπιμελεῖσθαι τῶν κοινῶν, ὡς περ οἰκειοτάτων. καὶ δικαίους μὲν γινομένους ἐπιμελεῖσθαι, καὶ σέργειν ταύτῃ τὴν τιμὴν. κακῶς δὲ διοικήσαντας, μηδεμίαν συγγνώμης τυγχάνειν, ἀλλὰ ταῖς μεγίσταις ζημίαις περιπίπτειν. καὶ τοι πῶς ἂν τις ταύτης ἢ βεβαιότεραν, ἢ δικαιότεραν δημοκρατίαν εἴροι, τῆς τοὺς μὲν δυνατωτάτους ἐπὶ τὰς ἀράξαις καθιστάσης αὐτῶν δὲ τούτων τὸν δῆμον κύριον ποιήσης· τὸ μὲν οὖν σύστημα τῆς πολιτείας τοῖσιν ἦν αὐτοῖς ῥᾶδιον εἴ ἐκ τούτων καταμανθάνειν, ὡς καὶ τὰ καθ' ἡμέραν ἐκάστην, ὀρθῶς καὶ νομίμως ἀράτῃσι διετέλεσαν· ἀνάγκη γὰρ τοῖς περὶ ὅλων τῶν πραγμάτων καλὰς τὰς ὑποθέσεις ποιημένοις, καὶ κατὰ τὰ μέρη τὸν ἄσπον ἔχειν ἐκείνοις.

Καὶ παρωτόν μὲν τὰ περὶ τοὺς θεούς, ἐντεῦθεν γὰρ ἄρξασθαι δίκαιόν μοι δοκεῖ, ἐν ἀνωμάλῳ, ἔδ' ἐν ἀτάκτῳ, οὔτε ἐθεράπευον, οὔτε ἄργιάζον· ἔσθ' εἴ ποτε μὲν δόξειεν ἀυτοῖς, ησιακοῖς βουῖς ἐπεμπον, ὅποτε δὲ τύχοιεν, τὰς πατρίδας θυσίας ἐξέλιπον· ἔσθ' ἢ τὰς μὲν ἐπιθέτους ἐορτάς, αἷς ἐστίασίς τις προσείη, μεγαλοπρεπῶς ἦγον· ἐν δὲ τοῖς ἀγιωτάτοις τῶν ἱερῶν, ἀπὸ μισθωμάτων ἔθουσι ἀλλ' ἐκεῖνο μόνον ἐτήρουσι, ὅπως μηδὲν μήτε τῶν πατρῴων καταλύσωσι, μήτ' ἔξω τῶν νομιζομένων προσθήσωσιν· ἔσθ' γὰρ ἐν ταῖς πολυτελείαις ἐνόμιζον εἶναι τὴν εὐσέβειαν, ἀλλ' ἐν τῷ μηδὲν κινεῖν τῶν ἀυτοῖς οἱ παρόγονοι παρέδωκαν. τοι γὰρ τοι καὶ τὰ παρὰ τῶν θεῶν ἐκ ἐμπληκτικῶς, ἔδ' ἐκ παραχρᾶδ' ἀυτοῖς συνέβαινον· ἀλλ' ἐυκαίρως, καὶ παρὸς τὴν ἐργασίαν τῆς χώρας, καὶ παρὸς τὴν συγκομιδὴν τῶν καρπῶν.

quantum sibi rediturum esset ex publica functione, quàm quid ex privatis possessionibus; atque adeò a publica pecunia manus continebant, ut difficilior illa ætate fuerit reperire qui Magistratus cuperent, quàm hac, qui non rogent; nimirum non apud se ipsos statuerant quæstuariam negotiationem esse publicum munus gerere, sed ministerium; neque statim ab inito magistratu olfactabant si qua esset ab antecessoribus relicta quæstus occasio, sed si quid negligentius curatum a festinantibus deponere dignitatem.

Denique, summa ut dicam, illud erat animis omnium persuasissimum, debere populum præesse tamquam dominum ipsis Magistratibus, et delinquentes punire, et de controversiis disceptare ac statuere; eos vero cives, quibus otium ex abundantia divitiarum suppeteret, publicis non secus quàm domesticis intentos agere; qui juste egissent, eos laudibus honestari, et huic pretio acquiescere; illis, qui prave Rempublicam gessissent, nullam tantæ criminis gratiam fieri, sed mulctis damnisque affici: quid hac posset Republica stabilius aut æquius inveniri, quæ potentissime gubernandos commendabat cives, sed dominum illis populum imponebat? Et constitutio quidem civitatis hæc illis erat, ex qua intelligi promptum est quotidianam vitam recte et legitime esse ab eis tractam; quippe necesse est, ut quibus sic erat rerum summa fundata et composita, ad eundem modum uti partes consentirent.

Principio quidem, quæ ad deos immortales spectabant, hinc enim exordiri fas est, non incerte, neque inordinate, neu per furorem aut temeritatem, nec si quando collibisset, tercentos boves in unum sacrificium mactabant, nec a traditis antiquitus sacrificiis unquam discedebant, nec festa, in quibus epulandum esset, nimio concelebrabant apparatu, sed in sanctissimis templis de collecta inter socios pecunia sacrificabatur, illud sedulo custodientes, ne quid vel ex patriis ritibus dissolverent, vel adderent ad morem majorum; neque enim in magnis sumtibus sitam esse ducebant pietatem, sed si nihil ex illis demutarent, quæ a majoribus velut tradita per manus accepissent: ita, quæ ad religionem, feriasque pertinebant, nec temere illis, nec perturbate in aliena tempora incidebant, sed commodissima opportunitate, tum ad regionis quæstum, tum ad fruges condendas.

Similia dictis sunt, quomodo ipsi inter se ævum agitabant, non enim circa publica modo erat hæc consensus, sed in privata quoque vita tantum alii erga alios ostendebant prudentiæ, quantum par est, tum recte sentientes, tum patriam habentes communem; tantumque aberat ut locupletibus tenuiores inviderent, ut his non secus magnæ domus curæ essent, ac suæ ipsorum, rati felicitatem illarum bono sibi esse; opulenti non despiciebant pauperes, sed reputantes pudendam sibi esse civium suorum indigentiam, necessitatibus illorum subveniebant, quum his quidem agros exigua mercede colendos traderent, alios ad negotia procuratores dimitterent, aliis alias occasiones præberent lucris; neque vero metuebant, ne in alteram duarum incommoditatum incidere, aut omnibus, aut certe parte aliqua fortunarum, exui, immo vero non confidebant minus iis, quæ erant elargiti, quam quæ domi asservant.

Noverant judiciis præfectos non æquo ac bono solere abuti, sed legibus parère; nec ex alienis certaminibus facultatem sibi quærere injuriæ faciundæ; magis in contrarium succensere consuesse iis, qui per quas fecerant injurias, bona amisissent; haud ignari contractus malæ fidei plus solitos pauperibus nocere, quam divitibus; hi enim si cessent acquirere, damnum erit paucorum proventuum, at illos si in difficultates victus adducantur, ad summam inopiam redigi necesse est; hæc quum esset communis universorum opinio ac sententia, nemo inveniebatur, qui opes occultaret; nemo, qui recusaret mutuare; siquidem non tristior erat illis creditoris aspectus, quam debitoris: ita, quæ duo cordatissimus quisque expetit, ea illi assequantur, ut simul prodesse civibus, simul firmas constitutasque haberent fortunas, denique cives inter se commodissime versarentur, nam possessiones tutæ erant, quibuscunque jure contigissent, et hæc communes paratæque indigentibus.

Reprehenderit fortassis orationem hanc meam aliquis, quòd acta illorum temporum laudibus in cælum tollo, causas vero non subjiciam, cur tam probe, tum inter se se agebant, tum suam Rempublicam gubernabant: ego vero tale quiddam esse a me dictum existimo, sed conabor copiosius atque apertius explicare:

ma-

Παραπλησίως δὲ τοῖς προειρημένοις, καὶ τὰ πρὸς σφᾶς αὐτοὺς διαί-
κων ἔ γάρ μόνον περὶ τῶν κοινῶν ἁμονοῦν, ἀλλὰ καὶ περὶ τὸν ἴδιον βίον
τοσαύτην ἐπιούοντο ἁρόνοιαν ἀλλήλων, ὅσην περὶ Χρῆ τοὺς εὐ φρονοῦντας, καὶ
πατρῆδος κοινοῦντας· οἷτε γὰρ πνεύστεροι τῶν πολιτῶν, τοσοῦτον ἀπαίχον
τοῦ φθνεῖν τοῖς πλείω κερτιμένοις, ὥστε ὁμοίως ἐκλήδοντο τῶν οἴκων τῶν
μεγάλων, ὥσπερ τῶν σφετέρων αὐτῶν. ἠγάμενοι τὴν ἐκείνων εὐδαιμονίαν, αὐ-
τοῖς εὐπορίαν ὑπάρχειν· οἷτε τὰς ὑσίας ἔχοντες, ἔχ ὅπως ὑπερεώρων τοὺς
καταδέετον ἀπόριαν, ἀλλ' ὑπολαμβάνοντες αἰσχύνῃ αὐτοῖς εἶναι τὴν
τῶν πολιτῶν ἀπορίαν, ἐπήμουν ταῖς ἐνδείαις· τοῖς μὲν, γεωργίας ἐπὶ
μετέροις μιθώσεσι παραδίδόντες, τοὺς δὲ κατ' ἐμπορίαν ἐκπέμποντες. τοῖς
δὲ εἰς τὰς ἄλλας ἐργασίας ἀφορμὴν παρέχοντες. ἔ δὲ γὰρ ἐλεθίσαν
μὴ δυοῖν θάτερον πάθειν, ἢ πάντων στερηθεῖν, ἢ πολλὰ ἀράγματα χόν-
τες, μέρος τι κομίσαντο τῶν ἀρόθεν ὄντων, ἀλλ' ὁμοίως ἐθάρβουν περὶ τῶν
ἔξω διδομένων, ὥσπερ περὶ τῶν ἐνδον ἀποκειμένων.

Εἴρων γὰρ τοὺς περὶ τῶν τοῖστων κρίνοντας, ἔ ταῖς ἐπιεικείαις κα-
ταχρωμέες, ἀλλὰ τοῖς νόμοις πειθόμεες. ἔ δ' ἐν τοῖς τῶν ἄλλων ἀγῶσιν
αὐτοῖς ἀδικεῖν ἐξουσίαν παρασκευάζοντας, ἀλλὰ μᾶλλον ὀργιζομένους τοῖς ἀπο-
στερῶσιν, αὐτῶν τῶν ἀδικημένων, καὶ νομίζοντας διὰ τοὺς ἀπίστα τὰ συμ-
βόλαια ποιῶντας, μείζω βλάπτεισθαι τοὺς πάντας τῶν πολλὰ κερτιμένων
τοὺς μὲν γὰρ ἢν παύσονται ἀρροαοίμενοι, μικρῶν ἀρροσῶν ἀποστερῶσθαι.
τοὺς δὲ ἂν ἀπορήσωσι, τῶν ἐπαρκούντων εἰς τὴν ἐχάτην ἐνδειαν καταστα-
θήσθαι καὶ γὰρ τοὶ διὰ ταύτην τὴν γνώμην, οὔτε ἀπεκρίπτετο τὴν οὐ-
σίαν, οὔτε ὄκει συμβάλλειν οὐδεὶς, ἀλλ' ἠδὲ ἴδιον εἴρων τοὺς ἀνειζομένους, ἢ
τοὺς ἀποδιδόντας. ἀμφοτέρω γὰρ αὐτοῖς συνέβαινε, ἂ περ ἂν βουληθεῖν
ἄνθρωποι νοῦν ἔχοντες· ἅμα γὰρ τοὺς τε πολίτας ἀφέλουν, καὶ τὰ σφέ-
τερ' αὐτῶν ἐνεργὰ καθίστασαν· κεφάλαιον δὲ, τῷ καλῶς ἀλλήλοις ὁμιλεῖν·
αἱ μὲν γὰρ κτήσεις ἀσφαλεῖς ἦσαν, οἷς περὶ κατὰ τὸ δίκαιον ὑπῆρχον· αἱ
δὲ, ἐπίσης κοινὰ πᾶσι τοῖς δειομένοις τῶν πολιτῶν.

Ἦσως ἂν οὖν τινὲς ἐπιτιμήσειαν τοῖς εἰρημένοις, ὅτι τὰς μὲν ἀράξεις ἐπαυῶ τὰς
ἐν ἐκείνοις τοῖς χρόνοις γεγενημένας, τὰς δὲ ἀπίτας, ἔ φράζω δὲ ἂς οὕτω καλῶς καὶ
πρὸς σφᾶς αὐτοὺς εἶχον, καὶ τὴν πόλιν διαρκούν· ἐγὼ δὲ οἶμαι μὲν ἠρηκεῖν τι καὶ
ταῖστων ἔ μὴν ἀλλ' ἐτι πλείω καὶ σαφέτερον πειράσομαι διαλεχθῆναι περὶ αὐτῶν

Tom. V.

E

ἐκεῖ-

ἐκείνοι γὰρ ἐκ ἐν μὲν ταῖς παιδείαις πολλοὺς τοὺς ἐπιτατοῦντας εἶχον ἐπειδὴ δ' εἰς ἀνδρας δοκιμαθεῖεν, ἐκ ἐξῆν αὐτοῖς ποιεῖν ὅτι βεληθεῖεν, ἀλλ' ἐν αὐταῖς ταῖς ἀρμαῖς πλείονος ἐπιμελείας ἐτύγχανον, ἢ παῖδες ὄντες. οὕτω γὰρ οἱ παρόγονοι ἡμῶν περὶ τῆς σωφροσύνης ἐπαύδαζον, ὥστε τὴν ἐξ ἀρειῶν πάγην βελὴν ἐπέστησαν τῆς ἑκασμίας. ἥς ἔχ' οἱ ὅν τ' ἦν μεταχεῖν; πλὴν τοῖς καλῶς γεγονόσι, καὶ πολλὴν ἀρετὴν καὶ σωφροσύνην ἐν τῷ βίῳ ἐδειδειγμένοις. ὥστε πάντων αὐτὴν φλότως διενεργεῖν τῶν ἐν ταῖς Ἑλλησι συνεδρίων.

Σημείους δ' ἂν τις χρῆσαιτο περὶ τῶν τότε καθεστώτων καὶ τοῖς ἐν τῷ παρόντι γιγνομένοις. ἔτι γὰρ καὶ νῦν ἀπάντων τῶν περὶ τὴν ἀρεσιν καὶ τὴν δοκιμασίαν ταύτην καθημένων ἴδοιμεν ἂν τοὺς ἐν τοῖς ἄλλοις πράγμασι ἐκ ἀνεκτοῦς ὄντας, ἐπειδὴ ἂν ἴς ἀρειον πάγον ἀναβάσιν, ὀκνοῦντας τῇ φύσει χρῆσθαι, καὶ μᾶλλον τοῖς ἐκεῖ νομίμοις, ἢ ταῖς αὐτῶν κακίαις ἐμμένοντας· τοσοῦτον ἐκείνοι φόβον τοῖς πονηροῖς ἐναπειράσαντο, καὶ τοσοῦτον μνημεῖον ἐν τῷ τόπῳ τῆς αὐτῶν ἀρετῆς καὶ σωφροσύνης ἐγκατέλιπον· τὴν δὲ τοιαύτην ὥσπερ εἶπον, κυρίαν ἐποίησαν ἐπιμελεῖσθαι τῆν εὐταξίαν· οἱ τοὺς μὲν ὀμιμένους ἐταυθα βελτίστους ἀνδρας γίνεσθαι, παρ' οἷς οἱ νόμοι μετὰ πλείστης ἀκριβείας κείμενοι τυγχάνουσιν, ἀγνοεῖν ἐνόμιζον. ἔσθ' ἂν καλύειν ὁμοίως ἀπαντας εἶναι τοὺς Ἑλληνας, ἐνεκὲ γὰρ τοῦ ῥάδιον εἶναι τὰ γράμματα λαβεῖν παρ' ἀλλήλων· ἀλλὰ γὰρ ἐκ ἐκ τοιούτων τὴν ἐπίδοσιν εἶναι τῆς ἀρετῆς, ἀλλ' ἐκ τῶν καθ' ἑκάστην ἡμέραν ἐπιτηδεύμάτων. τοὺς γὰρ πολλοὺς τοῖς ἔθεσι ἀποβαίνειν ὁμοίους ἀνάγκη, ἐν οἷς ἂν ἕκαστοι παιδευθῶσιν· ἐπεὶ τὰ γὰρ πολλὰ καὶ τὰς ἀκριβείας τῶν νόμων, σημεῖον εἶναι τῶν κακῶς οἰκεῖσθαι τὴν πόλιν αὐτὴν. ἐμφράγματα γὰρ αὐτοὺς ποιεμένους τῶν ἀμαρτημάτων, πολλοὺς γίγνεσθαι τοὺς νόμους ἀναγκάζεσθαι· σπεῖ δὲ τοὺς εὖ πολιτευομένους ἔ τὰς τοῖς ἐμπροσθέναι γραμμάτων, ἀλλ' ἐν ταῖς ψυχαῖς ἔχειν τὸ δικαίον· ἔ γὰρ τοῖς ψήφισμασι, ἀλλὰ τοῖς ἔθεσι καλῶς οἰκεῖσθαι τὰς πόλεις· καὶ τοὺς μὲν κακῶς τεθραμμένους, καὶ τοὺς ἀκριβῶς τῶν νόμων ἀναγεγραμμένους, τολμήσειν παραβαίνειν. τοὺς δ' ἀσφαλῶς πεπωλευμένους, καὶ τοῖς καλῶς κειμένοις θελήσειν ἐμμένειν. ταῦτα δὲ διασηβάντες, ἔ τῆτο πρῶτον ἐσκέπουν, δι' ἂν κολάσσει τοὺς ἀκοσμοῦντας,

ἀλλ'

maiores nostri non multos puerilium suarum educationum habebant magistros, et postquam inter viros numerari cœperant, licebat, quod vellent, facere, sed in adolescentia majoribus curis tenebantur, quàm pueri; sic enim avi nostri moderationis studiosi erant, ut consilium Areopagi curam agere decori modestique jussertint, in quod consilium legi nemo poterat, nisi qui ingenue natus, magna virtutis ac modestiæ suæ documenta præbuisset, quae de causa reliquis Græciæ consiliis hoc nostrum sine controversia antefertur.

Indiciis poterit quivis uti, et de superioribus, et de nostris temporibus, quandoquidem in ea adhuc laude atque instituto vitæ persistitur; videas quosdam, cetera intolerandos, simul in Areopagum cooptati sunt, veluti oblitos naturæ suæ, legibus potius loci illius morem gerere, quàm moribus consuetudine confirmatis: tantum vel metum malis incusserunt, vel monumentum reliquerunt modestiæ suæ: hunc ergo, ut dicebam, ordinem velut proprium statuerunt moribus formandis; at vero quisquis existimat idcirco hic optimos viros fieri, quòd leges de virtute accuratissime latæ sunt, longe is mea sententia fallitur, nam ita si esset, quid prohiberet quominus similes continuo Græci omnes existerent propterea quod nihil facilius, quàm tabulas legum inter ipsos communicari? Sed non protinus cum hoc munere mitteretur una virtus, quippe quæ ex quotidianis exercitamentis nascitur: ita necesse est, ut ii demum sint inter se moribus consimiles, qui eandem educationem assuefactionemque vitæ habuerunt: quid quod in civitate magna ex legum copia, et accurata diligentia sancita, argumentum sumitur pravo cives esse ingenio, prava educatione? videlicet, coguntur magistratus alias super alias accumulare leges, dum vitiis multifariam erumpentibus, leges quasi obices opponunt; oportet recte prospicientes Reipublicæ non porticus legum tabulis replere, sed in hominum mentibus æquitatem defigere, quippe non decretis, sed bonis moribus civitas optime gubernatur, male enim educatis atque edoctis nulla est legum quamlibet exacte perscriptarum reverentia, contra vero, probe institutis, recepta bonis moribus sufficiunt; hæc illis intelligentibus non ea fuit curarum prima, quibus pœnis male viventes afficerent,

sed

sed potius, quibus tandem assequi rebus possent ne quid cives pœna dignum vellet patrare: id demum censebant esse munus suum, maximeque moderatores civitatum decens: nam de pœnis cogitare, hoc est hostem agere, non civem.

Ergo illis cives omnes erant curæ, sed in primis juvenes, in quibus videbant plurimum dominari affectuum tempestates, multisque cupiditatibus eorum animos devinciri; proinde maxime esse opus illis recta institutione ut omnia sua oblectamenta in honestis pulchrisque expetendis laboribus sita esse putent; hæc sunt studia sequentis ætatis illorum, qui ingenue educati, appetere res altas decorasque consueverunt; sed ad easdem exercitationes omnes deduci non possunt, quum sit tanta in iis, quæ ad vitam pertinent, differentia; quocirca ex facultatibus cujusque definierunt unicuique vivendi rationem ac modum, tenuiores ad agriculturam, mercaturamque relegarunt, non ignari, ex segnitie oriri indigentiam, ex indigentia complura vitia; sublato igitur vitiorum capite, ea etiam vitia tolli intelligebant, quæ illinc proficiscerentur: ii vero, quibus facultates supererant, equestrem disciplinam, certamina, venationem, Philosophiam cogebantur exercere, edocti enim experimentis erant, hisce occupationibus alios præstantes viros evadere, alios a vitiis quàm plurimis diverti.

Atque hæc quidem non ita gerebant, ut paullo post, quas leges de his tulerant, negligerent, sed civitate in tribus divisa, agro vero in populos, uniuscujusque vitam facile erat eis perspicere; turpiter degentes, ad consilium publicum arcessebant, quod consilium alios meliorum admonebat, aliis minabatur, alios afficiebat pœnis, ut videbat opus esse: nec præteribat eos, duas esse rationes, quibus vel incitamus ad flagitia, vel ab eis deterremur; nam apud quos nec observatio delictorum est, nec pœna, nec judicia severe exercentur, in his ingenia, etiam sua sponte proba, uti depraventur necesse est; at ubi nec facile est delinquentibus fallere, nec manifestis spes ulla est veniæ, ibi pravi mores haud sæpe invalescunt: quod illi reputantes, duabus rebus hinc et inde cives suos cohibebant, diligentia sua, et pœna proposita; tantum siquidem aberat ut eos fugeret si quis mali quid perpetrasset, ut vel eos quoque præsentiscerent, qui de peccando cogitassent.

Et-

ἀλλ' ἐξ ὧν ἂν κατασκευάσουσι μηδὲν αὐτοὺς ἄξιον ζημίας βελήσεσθαι ἀμαρτάνειν. ἠγοῦντο γὰρ τῆτο μὲν αὐτῶν ἔργον εἶναι· τὸ δὲ περὶ τὰς τιμαρίας ἀπελάζειν, τοῖς ἐχθροῖς προσήκειν.

Ἀπάντων μὲν οὖν ἐφρόντιζον τῶν πολιτῶν, μάλιστα δὲ τῶν νεωτέρων. εἴρων γὰρ τοὺς τηλικύτους ταραχιδέστατα διακειμένους, καὶ πλείων γέμοντας ἐπιθυμιῶν. καὶ τὰς ψυχὰς αὐτῶν παιδευθῆναι μάλιστα δεομένους ἐν ἐπιθυμίαις καλῶν ἐπιτηδευμάτων, καὶ πόνοις ἰσοδύναμους ἔχουσιν. ἐν μόνοις γὰρ ἂν τοῦτοις ἐμμένειν αὐτοὺς ἐλευθέρως τετραμμένους, καὶ μεγαλοφρονεῖν ἐπιθυμούντας· ἀπαντας μὲν οὖν ἐπὶ τὰς ἀσέβεις ἀγειν διαπειθῆναι, ἔχοντες οἷόν τ' ἦν ἀνωμάλως τὰ περὶ τὸν βίον ἔχοντας ὡς δὲ πρὸς τὴν ἕσταν ἠρμοτῆται, οὕτως ἐκάστοις προσέταττον. τοὺς μὲν γὰρ ὑποδέεσθαι πρῶτον, ἐπὶ τὰς γεωργίας καὶ τὰς ἐμπορίας ἔτρεπον. ἠδόμενοι τὰς ἀπορίας, διὰ τὰς ἀργίας γιγνομένας, τὰς δὲ κακουργίας, διὰ τὰς ἀπορίας· ἀναιρῶντες οὖν τὴν ἀρχὴν τῶν κακῶν ἀπαλλάξαι ᾗοντο καὶ τῶν ἄλλων ἀμαρτημάτων τῶν μετ' ἐκείνων γιγνομένων. τοὺς δὲ βίον ἰκανὸν κεκτημένους, περὶ τε ἰστωπικῆν καὶ τὰ γυμνάσια, καὶ τὰ κυνηγῆσια, καὶ τὴν φιλοσοφίαν, ἠνάγκασαν διατρέβειν· ὁρῶντες ἐκ τούτων, τοὺς μὲν διαφέροντας γιγνομένους, τοὺς δὲ, τῶν πλείων κακῶν ἀποχομένους.

Καὶ ταῦτ' ἐνομοθετήσαντες τὸν λοιπὸν χρόνον ἀλιγῶρον· ἀλλὰ διελόμενοι τὴν μὲν πόλιν κατὰ κόμας, τὴν δὲ χώραν κατὰ δήμους, ἐθεάραν τὸν βίον τὸν ἐκάστη· καὶ τοὺς ἀποσπούντας ἢς ἢ βελὴν ἦγον· ἢ δὲ, τοὺς μὲν ἐνεθέτει, τοῖς δὲ ἠπαίλει, τοὺς δὲ, ὡς προσήκειν ἐυλόαζεν. ἠπίσαντο γὰρ ὅτι δύο πρόσοι τυγχάνουσιν ὄντες, οἱ καὶ προσέποντες ἐπὶ τὰς ἀδικίας, καὶ πάυοντες τῶν πονηριῶν. παρ' οἷς μὲν γὰρ μήτε φυλακὴ, μήτε ζημία τῶν τοιούτων καθίσταται, μήθ' αἱ κρίσεις ἀκριβεῖς εἰσι, παρὰ τοῦτοις μὲν διαφθείρεσθαι, καὶ τὰς ἐπιεικεῖς τῶν φύσεων ὅπου δὲ μήτε λαθεῖν τοῖς ἀδικῶσι βλάδιόν ἐστι, μήτε φανεροῖς γενομένοις συγγνώμης τυχεῖν. ἐπιταῦθα δ' ἐξῆτήλους γίνεσθαι τὰς κακοθείας· ἃ περ' ἐκείνοι γινώσκοντες ἀμφοτέροις κατεῖχον τοὺς πολίτας, καὶ ταῖς τιμαρίαις, καὶ ταῖς ἐπιμελείαις. τοσούτου γὰρ ἐδέοντο αὐτοὺς λανθάνειν οἱ κακῶν τι δεδρακότες, ὥστε καὶ τοὺς ἐπιδήξας ἀμαρτήσεσθαι ἀροηθάνοντο.

Τοιγαρὺν ἕκ ἐν τοῖς σκιραφίοις οἱ νεώτεροι διέτριβον, ἔσθ' ἐν ταῖς αὐλησίαις, ἔσθ' ἐν τοῖς τρίτοις συλλόγοις, ἐν οἷς νῦν διημερεύουσιν· ἀλλ' ἐν τοῖς ἐπιτηδεύμασιν ἔμενον, ἐν οἷς ἐτάχθησαν. θαυμάζοντες καὶ ὀμιλοῦντες, τοὺς ἐν τούτοις παρωτεύοντας· οὕτω δὲ ἔφρουγον τὴν ἀγορὰν, ὥστε ἢ καὶ ποτε διελευθεῖν ἀναγκασθεῖεν, μετὰ πολλῆς αἰδέας καὶ σφροσύνης ἐφαινοντο τῷτο ποιοῦντες· ἀντιπεῖν δὲ τοῖς παροβυτέροις ἢ λοιδορήσασθαι, δεινότερον ἐνόμιζον εἶναι, ἢ νῦν περὶ τοὺς γονέας ἐξαρμαρτάνειν· ἐν κατακλιθεὶς δὲ φαγεῖν ἢ πιεῖν ἕδαίς, ἔσθ' ἂν οἰκείης ἐπιεικῆς ἐτόλμησε· σεμνύεσθαι δὲ ἐμελέτων καὶ ἐβωμολοχεύεσθαι καὶ τοὺς ὑπεραπέλκεις ἢ καὶ σκάψειν δυσνάμους, οὓς νῦν εὐφρεῖς παροσαγορεύουσιν, ἐκεῖνοι δυσυχεῖς ἐνόμιζον.

Καὶ μηδεὶς οἰέσθω με δυσκόλως διακείεσθαι πρὸς τοὺς ταύτην ἔχοντας τὴν ἡλικίαν. ἔτε γὰρ ἠγῆμαι τούτους ἀπίστους εἶναι τῶν γιγνομένων συνοιδά τε τοῖς παλαιοῖς αὐτ' ἠκίστα χαίρειναι ταύτη τῇ καταστάσει, δι' ἣν ἔξεσθαι αὐτοῖς, ἐν ταῖς ἀπολαύσεσιν ταύταις διατρίβειν, ὥστε ἕκ ἂν ἤκρότως τέτοις ἐπιτηδεύμασιν. ἀλλὰ πολὺ ἂν δίκαιότερον τοῖς ὀλίγοις πρὸς ἡμῶν τὴν πόλιν διοικήσασιν· ἐκεῖνοι γὰρ ἦσαν οἱ τὴν ἀρχὴν παροτρέψαντες ἐπὶ ταύτας τὰς ὀλιγαρχίας, καὶ καταλύσαντες ἢ τῆς βελτῆς δυνάμει. ἢς ἐπιγατούσης, ἢ δίκων ἕδδ' ἐγκλημάτων, ἕδδ' ἰσφορῶν, ἕδδ' ἐπιπείας, ἕδδ' ἐπολέμων ἢ πόλεως ἔγεμεν. ἀλλὰ καὶ πρὸς ἀλλήλους ἡσυχίαν εἶχον, καὶ πρὸς τοὺς ἄλλους ἀπαυτάς ἠρήνην ἦγον· παρείχον γὰρ σφᾶς αὐτοὺς, τοῖς μὲν Ἑλλησὶ πιστοὺς, τοῖς ἢ βαρβάρους φοβερούς. τοὺς μὲν γὰρ σεσακότες ἦσαν, παρὰ ἢ τῶν, δίκων τῆς δικαίτης ἐπιπρότες, ὥστε ἀγαπᾶν ἐκεῖνους, ἢ μὴδὲν ἔτι κακὸν πᾶσιν.

Τοιγαρὶ τοι διὰ ταῦτα μετὰ τισαύτης ἀσφαλείας διαίτηγον, ὥστε καλλίους εἶναι καὶ πολυτελεστέρας τὰς οἰκίσεις καὶ τὰς ἐπισκευὰς τὰς ἐπὶ τῶν ἀγρῶν, ἢ τὰς ἐπὶ τῶν τεύχεσ'· καὶ πολλοὺς τῶν πολιτῶν, μὴ δὲ ἢ τὰς ἐορτάς ἢ εἰς αὐτὰ καταβαίνειν, ἀλλὰ αἰρεῖσθαι μένειν ἐπὶ τοῖς ἰδίοις ἀγαθοῖς μᾶλλον, ἢ τῶν κοινῶν ἀπολαύειν. ἕδδ' γὰρ τὰ περὶ τὰς θεορίας, ἢ ἂν ἕνεκά τις ἦλθεν, ἀσελγῶς ἔσθ' ἐπισηφάνως ἀλλὰ γενεχόντως ἐποίησαν· ἢ γὰρ ἐκ τῶν πομπῶν ἕδδ' ἐκ τῆς περὶ τὰς χορηγίας φιλονεμιῶν, ἔσθ' ἐκ τῶν τοῖσιν ἀλαζονεῶν τὴν εὐδαιμονίαν ἐλοκίμαζον, ἀλλ' ἐκ τῆς σφροδῶς οἰκεῖν, καὶ τῆς εἰς τῆς καθ' ἡμέραν καὶ τῆς μετὰ τῶν πολιτῶν ἀπαρεῖν τῶν ἐπιτηδεύων.

Ergo non in foro aleatorio juvenus desidebat, non apud viciniarum, non in ejusmodi conventiculis in quibus nunc dies traducunt, sed in præscriptis exercitationibus, admirantes versantesque cum iis, qui in eo genere disciplinæ essent spectatissimi; forum vero sic vitabant, ut si quando necesse esset illos ed venire, rubore perfunderentur, magnamque ibi modestiam præ se ostenderent; contradicere vero, aut convicium seniori facere, gravius tunc habebatur, quàm nunc parentes lædere. Porro in cauponam ingredi, vel potare, ne servus quidem paullo frugalior ausus fuisset; ad gravitatem se omnes, ad decus, ad moderationem componebant, nemo dignabatur scurrari, facetos et dicaces, quos hac tempestate ingeniosos nuncupamus, illi miseros vilesque nominabant.

Neque vero credat me quisquam de hominibus seculi hujus penitus male sentire, non enim eos esse causam eorum, quæ fiunt, censeo; complures novi, qui dolent tantam, etiam sibi ipsis, per publicos civitatis mores concessam esse luxuriæ licentiam; quis sanus istos reprehendat? Illi, illi arguendi sunt, qui paullo ante nostram memoriam civitatem rexerunt; hi præbuere initium negligentiam veterum morum, hi potentiam publici consilii labefactarunt, quo vigente, nec suppliciorum, nec criminum, nec tributorum, nec inopiæ, neque bellorum tanta erat in civitate vis, sed domi inter se quiete versabantur, foris vero undique erat festa pax, ut qui præstabant se ipsos Græcis amabiles, Barbaris formidandos; illos namque conservarant, ab his pœnas tantas sumserant, ut redire cum illis in gratiam facile possent, modo nihil esset aliud incommodi accepturi.

Isti de causis tam vivebant tuti, ut rura cum suo instrumento elegantiora, atque elaboratiora essent, quàm ædes urbanæ, multique civium ne festis quidem in urbem commearent, præferentes in privatis se possessionibus continere, quàm communibus bonis in urbe frui; at quæ ad ludos spectarent, quorum causa nonnulli veniebant, non per lasciviam, aut insolentiam, sed composite et sapienter transigebantur; nec in pompis aut contentione chori ducendi, aut inanibus hujusmodi ostentationibus positam esse felicitatem arbitrabantur, sed in ratione vitæ proba et moderata, neve quem utilitatibus suis defraudarent.

Ex quibus oportet colligere, illos tum vere ac germane vixisse bene, tum placide Rempublicam administrasse; hoc autem tempore, quis cordatus non indoleat, si viderit, nonnullos civium, sive necessaria victui habeant, sive non, admiscentes se sortitionibus judiciorum, postulantes ut liceat sibi Græcarum navium nautas ac socios navales alere, per æstatem choreas ducentes, idque in aureis palliis, hibernantes vero ubi pudet ac piget dicere, et alia hunc in modum absurde pugnantia in hac Republica usu venire, quæ vehementer pudenda civitati sunt? Quorum nihil fiebat sub veteri Areopago; quippe qui arcebat a pauperibus inopiam, per varios quæstus, commodaque, quæ a locupletibus proveniebant; et a juvenibus luxum, per exercitationes, suamque ipsorum de illis curam; et a moderantibus Rempublicam avaritiam, per pœnas; et a pravus vitia, per id quod latere se posse non sperabant; et a senioribus torporem, per publicas functiones, curamque juniorum: quænam inveniri posset Respublica excellentior hac, quæ sic undique negotia omnia tanta cum prudentia disposuerat? Et priscam quidem illam Remp. reor esse a nobis maxima ex parte declaratam; quæ vero omisimus, ea facile est intelligere iis, quæ dicta sunt, similia fuisse.

Sed hactenus aliqui, auditis quæ exposui, non dubito quin et me laudent magnopere, et majores nostros felicissimos fuisse censeant, qui in tali civitate vitam traduxerint, tametsi non autument eisdem vobis quoque utendum moribus, consultiusque esse vos in constitutis jam rebus cum incommodo vivere, quàm exactiorem Rempublicam desiderare, in qua melius sitis acturi; quin et sunt, qui confirmarint mihi esse periculum, ne dum optima suadeo, odisse populum credar, et quærere quemadmodum civitatem ad paucorum opes redigam; ego vero si de incognitis rebus aut novis dissererem, et secundum eas jussissem vos vel senatum legere, ac eos quos soletis cum summa dignitate sententiis de rebus dicendis creare, per quos potentia populi dissolveretur, merito essem criminis hujus suspectus.

Porro hucusque nihil dixi tale, tantum de rebus loquutus sum nulli vestrum occultis, quasque omnes jam pridem per cognitatas habetis, nempe antiquas et patrias, quæ civitati nostræ et cunctæ Græciæ opem ac salutem sæpius attulerunt;

ad-

Εξ ὧν περὶ Χρῆ κρινεῖν τοὺς ὡς ἀληθῶς εὖ πράττοντας, καὶ μὴ φαρ-
τικῶς πολιτευομένους· ἐπεὶ νῦν γε τίς ἔκ ἀν ἐπὶ τοῖς γιγνομένοις τῶν εὖ
φρονούντων ἀλγήσειεν, ὅταν ἴδῃ τινὰς τῶν πολιτῶν, αὐτοὺς μὲν περὶ τῶν
ἀναγκαίων εἶθ' ἔξουσιν εἴτε μὴ, πρὸ τῶν δικαστηρίων κληθεμένους, τῶν δὲ
Ελλήνων τοὺς ἐλαύνειν τὰς ναῦς βελομένους, πρέφειν ἀξιούοντας, καὶ χορεύον-
τας μὲν ἐν χρυσοῖς ἱματίοις, χειμάζοντας ᾗ ἐν τούτοις ἐν οἷς ἔββλομα
λέγειν, καὶ τοιαύτας ἄλλας ἐναντιώσεις, περὶ τὴν τοιαύτην διοίκησιν γιγνο-
μένας αἰ μέγαλιν αἰσχύνην περιποιῶσι τῇ πόλει; ὧν ἕδεν ἦν ἐπ' ἐκείνης τῆς
βελῆς. ἀπαήλλαξε γὰρ τοὺς μὲν πένητας τῶν ἀποριῶν ταῖς ἐπιεργείαις,
καὶ ταῖς παρὰ τῶν ἐχόντων ἀφελείαις· τοὺς δὲ νεωτέρους τῶν ἀκύλασι
τοῖς ἐπιτηδεύμασι, καὶ ταῖς αὐτῶν ἐπιμελείαις· τοὺς δὲ πολιτευομένους
τῶν πλεονεξιῶν ταῖς τιμοῖσι, καὶ τῶν μὴ λαθάνειν τοὺς ἀδικούντας·
τοὺς δὲ πρῶτον τῶν ῥαθυμῶν ταῖς τιμαῖς πολιτικαῖς, καὶ ταῖς
παρὰ τῶν νεωτέρων θεραπείαις· καὶ τοι πῶς ἀν γένοιτο ταύτης πλείο-
νθ' ἀξία πολιτεία, τῆς οὕτω καλῶς ἀπάντων, τῶν πραγμάτων ἐπιμε-
ληθείσης; καὶ περὶ μὲν τῶν τότε καθεστώτων, τὰ μὲν πλείστα διεληλυθῆσθαι.
ἔσα δὲ παραλελοιπῆσθαι ἐκ τῶν ἡμετέρων ὅτι κἀκεῖνα τὸν αὐτὸν πρόσωπον εἶ-
χε τούτοις, ῥαδίον ἔστι καταμαθεῖν.

Ἦν δὲ τινες ἀκίαντες με ταῦτα ἐπεξιώντων, ἐπὶ ἡμετέραν με ὡς
οἶόν τε μάλιστα, καὶ τοὺς προγόνους ἐμακάρισαν, ὅτι τὸν πρόπον τῶν
τοῦ τὴν πόλιν διέκριν, ἔ μὲν ὑμᾶς ᾤοντο πεισθῆσεσθαι χρῆσθαι τού-
τοις, ἀλλ' ἀίρησεσθαι διὰ τὴν συνήθειαν ἐν τοῖς καθεστηκόσι πράγμασι
κακοπαθεῖν μᾶλλον, ἢ μετὰ πολιτείας ἀκριβεστέρως ἀμεινον τὸν βίον διά-
γειν· εἶνα δ' ἔφασάν μοι καὶ κίνδυνον μὴ τὰ βέλτιστα συμβεβληῖεν,
μισόσημθ' εἶνα δόξω, καὶ τὴν πόλιν ζητεῖν ἕως ὀλιγαρχίαν ἐμβαλεῖν·
ἐγὼ δ' εἰ μὲν πραγμάτων περὶ ἀγνωσμένων, καὶ καινῶν τοὺς λόγους
ἐποιήσῃ, καὶ περὶ τούτων ἐκέλευον ὑμᾶς ἐλέσθαι συνέληψας ἢ συγγρα-
φίας, δι' ὧν ὁ δῆμος κατελύθη τὸ πρότερον, ὑπόπτως ἀν ἔχον τὴν
αἰτίαν ταύτην.

Νῦν δὲ ἔσθ' ἐρηκα τοῖσδε, ἀλλὰ διείληγμα περὶ διοικήσεως, ἔκ ἀπο-
κεκρυμμένης, ἀλλὰ φανερᾶς, ἣν ἅπαντες ἴστε, καὶ πάτριον ἡμῖν οὔσαν, καὶ
πλείστον ἀγαθῶν καὶ τῇ πόλει, καὶ τοῖς ἄλλοις Ἑλλήσιν αἰτίαι γεγενημένην·

Tom.V.

G

ἰσὸς

πρὸς ἃ τοῦτοις ὑπὸ τοιούτων ἀνδρῶν νομοθετηθεῖσαν, καὶ καταστῆθεισαν, οὓς ἔλεις ὅς τις ἐκ ἂν ὁμολογήσει δημοτικωτάτους γεννησῶμαι τῶν πολιτῶν ὥστε πάντων ἂν μοι συμβαίῃ λεινότερον, εἰ τοιαύτην πολιτείαν ἐπιγέμεθ'· νεωτέρων δόξαιμι πραγμάτων ἐπιθυμῶν ἔπειτα καὶ κεῖθεν ῥᾶθρον τὴν Διάνοιαν διαγνώσκειν ἢ ἐμὴν. ἐν γὰρ τοῖς πλείστοις τῶν λόγων τῶν ἡμετέρων ὑπὸ ἐμῶν, φανήσομαι ταῖς μὲν ὀλιγαρχίας, καὶ πλεονεξίας ἐπιτιμιῶν, τὰς δὲ ἰσότητας, καὶ τὰς δημοκρατίας ἐπαίνων ἢ πάσας, ἀλλὰ τὰς καλῶς καθεστηκυίας· ἢ δ' ὡς ἐτύγχανον, ἀλλὰ δικαίως, καὶ νουεχόντως.

Οἶδα γὰρ τοὺς τε προγόνους ἡμετέρους, ταύτην τῇ καταστάσει, πολλὰ τῶν ἄλλων διενεγκόντας, καὶ Λακεδαιμονίους διὰ τῆτο κάλλιστα πολιτευόμενος, ὅτι μάλιστα δημοκρατούμενοι τυγχάνουσιν. ἐν γὰρ τῇ τῶν ἀρχῶν ἀφῆρσει, καὶ τῷ βίῳ τῷ καθ' ἡμέραν, καὶ τοῖς ἄλλοις τοῖς ἐπιτηδεύμασιν, ἴσοι μὲν ἂν παρ' αὐτοῖς τὰς ἰσότητας, καὶ τὰς ὁμοιότητας μάλλον, ἢ παρὰ τοῖς ἄλλοις ἰσχύσας· οἷς, αἱ μὲν ὀλιγαρχία πολεμῶσιν. οἱ δὲ καλῶς δημοκρατούμενοι χρώμενοι διατελεῖσι τῶν τοίνυν ἄλλων πόλεων ταῖς ἐπιφανεστάταις, καὶ μεγάλαις, ἢ ἐξετάζων βουλευσῶν, εὐρήσομεν τὰς δημοκρατίας μάλλον ἢ τὰς ὀλιγαρχίας συμφερέσας· ἐπεὶ καὶ τὴν ἡμετέραν πολιτείαν, ἢ πάντες ἐπιτιμιῶσιν, ἢν παραβάλαμεν αὐτήν, μὴ πρὸς τὴν ὑπὸ ἐμῶν ῥηθεῖσαν, ἀλλὰ πρὸς τὴν ἐπὶ τῶν Τριάκοντα καταστῆσαν, ἔλεις ὅς τις ἐκ ἂν θεοποήτων εἶναι νομίσειεν· ἐβλόμα δ' εἰ καὶ τί με φήσουσιν ἕξω τῆς ὑποθέσεως λέγειν; δηλώσω, καὶ διελεῖν ὅσον αὐτῇ ἢ τότε διέστηκεν· ἵνα μηδεὶς οἴηται με, τὰ μὲν ἁμαρτήματα τῷ δήμῳ λίαν ἀκριβῶς ἐξετάζειν· εἰ δὲ τι καλὸν ἢ σεμνὸν διασώζομαι, ταῦτα παραλιπεῖν. ἔσται δὲ ὁ λόγος, οὔτε μακρὸς, οὔτε ἀνωφελὴς τοῖς ἀκούουσιν.

Ἐπειδὴ γὰρ τὰς ναῦς τὰς περὶ τὸν Ἑλλάσποντον ἀπωλείσαμεν, καὶ ταῖς ἀτυχίαις ἐκείναις ἢ πόλιν περιέπεσε, τίς ἐκ οἷδε τῶν προσβυτιέων, τοὺς μὲν δημοτικούς καλεσμένους ἐτόιμους ὄντας, ὅτι οὐκ ἔχοντες, ὑπὲρ τῆς μὴ ποιεῖν τὸ προσαπτόμενον, καὶ δεῖν ἡγουμένους, εἰ τίς βλάπεται τὴν πόλιν τὴν τῶν Ἑλλήνων ἀρξασαν ὑφ' ἑτέροις οὖσαν, καὶ τοὺς μὲν ἐκαστόνους γενομένους, τοὺς δὲ τῆς ὀλιγαρχίας ἐπιθυμήσαντας ἐτόιμους, καὶ τὰ τείχη καθαιρούντας, καὶ τὴν δευλίαν ὑπομένοντας;

καὶ

adde his, a talibus viris excogitatas et constabilitas, quos universorum consensus facile profitebitur omnium, qui unquam extiterunt, maxime fuisse populares; quocirca uni mihi post natos homines res indignissima accideret, si administrationis illius explicatione, cupidus esse existimarer rerum novarum: quid, quod vel eò sensus animi mei perspicere potest, quòd in iis omnibus, quæ hactenus dixi, aperte paucorum potentiam et cupiditatem insectatus sum, nec quaslibet tamen æqualitates, aut populi imperia comprobavi, sed recte constituta, nec temere et sine delectu, verum prudenter et caute?

Memineram, majores nostros ejusmodi rerum statui plurimum inter status omnes tribuisse, et hac de causa Lacedæmonios optime in civitate sua gessisse se, quòd impense populares fuerint; nam et in eligendis Magistratibus, et in quotidianis actibus, denique in omni eorum vita, æqualitates paritatesque plus apud eos quàm alios ullos mortales valuerunt; quas res ut paucorum imperium repellit, sic germane populares arctissime complectuntur: aliarum vero civitatum clarissimum, et potentissimum, quibusque, si quis graviter expenderit, comperiet popularem potius, quàm paucorum potentiam esse utilem: et in nostra civitate administrationem hanc, quam omnes reprehendunt, si quis non dico illi quam expositam a me videris, sed ei quæ sub Triginta fuit conferat, profecto cœlitus existimabit esse demissam: et quanquam præter institutum hoc esse nonnulli dixerint, tamen facere non possum, quin aperiam quantum inter se utræque distent, ne quis arbitretur, me populi delicta exacte nimis inquirere, si quid veto prudenter sit atque honeste actum, id præterire: erit certe hac de re sermo, ut non longus; sic iis, qui audiunt, nequaquam inutilis.

Posteaquàm naves in Hellesponto perdidimus, et casibus illis civitas percussa est, quis non vidit ex senibus, ut quisque erat popularis potentiæ studiosissimus, ita promptissimum ad qualemcunque fortunam perferendam, antequam pacis condiciones, quas Lacedæmonii ferebant, acciperentur? indignissimum ducebat esse, si quis civitatem, paullo antea Græciæ principem, servientem aspiceret: et hos quidem a societate fœderum exclusos vidimus, qui vero dominatui paucorum favebant, alacriter tum diruentes muros, tum perferentes servitutem:

at

at quum populus erat rerum dominus, etiam alienas arces tutabamur, sed ubi regimen Triginta acceperunt, continuo nostra omnia in potestatem hostium venere, nobisque Lacedæmonii dominati sunt; ceterum ubi reversi exules arma pro libertate induere sunt ausi, vicitque bello navali Conon, missi sunt ad illum legati qui civitati nostræ maris imperium deferrent.

Quis hæc non æqualium nostrorum meminit? Ergo potentia populi civitatem hanc sacris et cærimoniis ornavit, ut etiam nunc peregrini dignam illam censeant non Græciæ tantum sed gentium omnium principatu. At Triginta, his omnibus pro nihilo habitis, plurimos spoliarunt, maritimi exercitus stationes tribus talentis abjecerunt, quibus extruendis non minus quàm mille talenta civitas impenderat: Quid ergo? laudabuntur de mansuetudine? quid convenit minus? Laudabitur populus, quum imperaret: illi enim publico decreto, accepta civitatis cura, mille et quingentos civis indicta causa contrucidaverunt, in Piræum confugere plures quinque millibus compulerunt; populares vero reversi, ac patria per arma recuperata, ipsa quidem præcipua mali capita sustulere, reliquos vero ad eum modum acceperere adeo mansuete ac civiliter, ut non pejore essent conditione, qui ejecerant, quàm ejecti.

Illud quoque vel maximum signum æqui ac moderati popularis imperii; quum ii, qui in urbe restiterant, centum a Lacedæmoniiis talenta in obsidionem eorum, qui Piræum occuparant, essent mutuati, consilio pro concione populi de solutione captato, consentibus nonnullis æquum esse ut ii mutuam Lacedæmoniiis dissolverent, qui postulaverant, non obsessi, populus tamen jussit, ut in commune ab omnibus contribueretur; quod populi scitum usque adeo mutuam civium concordiam conglutinavit, auxitque publicas vires, ut Lacedæmonii, qui singulis prope diebus fautores potentie paucorum nobis præficiabant, huc a populo nostro imploratum opem venerint, supplicantes ne se aspernaremur, ver-
 sos a Thebanis. Summa comparationis hæc est: Triginta viri, et alii per id tempus potentes, ea erant mente, ut vellent civibus imperare, parere hostibus; alii populares reliquis dominari quidem, cum civibus æquo jure vivere.

Quæ

καὶ τό τε μὲν ὅτε τὸ πλῆθος κύριον ἦν τῶν πραγμάτων, ἡμᾶς τὰς τῶν ἄλλων ἀκροπόλεις φρουροῦντας· ἐπειδὴ δὲ οἱ Τριάκοντα παρέλαβον τὴν πολιτείαν, τοὺς πολεμίους τὴν ἡμετέραν ἔχοντας· καὶ κατὰ μὲν ἐκεῖνον τὸν χρόνον δεσπότης ἡμῶν ὄντας Λακεδαιμονίους· ἐπειδὴ δὲ οἱ φεύγοντες κατελθόντες πολεμῆν ὑπὲρ τῆς ἐλευθερίας ἐτόλμησαν, καὶ Κόνων ναυμαχῶν ἐνήκησε, πρίσβεις ἐλθόντας παρ' αὐτὸν, καὶ δίδοντας τῇ πόλει τὴν ἀρχὴν τῆς θαλάσσης.

Καὶ μὲν δὴ, καὶ τάδε τίς ἔμνημονεύει τῶν ἡλικιωτῶν τῶν ἡμῶν; τὴν μὲν γὰρ δημοκρατίαν οὕτω κοσμήσασαν, καὶ πόλιν καὶ τοῖς ἱεροῖς, καὶ ταῖς θυσίαις, ὥστε ἔτι καὶ νῦν τοὺς ἀφικνεμένους νομίζεν αὐτὴν ἀξίαν εἶναι μὴ μόνον ἢ Ἑλλήνων ἀρχεῖν, ἀλλὰ καὶ τῶν ἄλλων ἀπάντων· τοὺς δὲ Τριάκοντα τῶν μὲν ἀμελήσαντας, τοὺς δὲ συλῆσαντας, τοὺς δὲ νεωσοίκους ἐπὶ καθάρσει πρὸς τάλαντων ἀποδιδομένους, ἃς οὐδ' ἡ πόλις ἀνήλασεν· ἐκ ἐλάττω χιλίων τάλαντων· ἀλλὰ μὴν, ἔσθ' ἢ τρανότητά δικαίως ἂν τις ἐπαμύσειε τὴν ἐκείνων μάλλον, ἢ τὴν τῆς δημοκρατίας· οἱ μὲν γὰρ ψήφισματι παραλαβόντες τὴν πόλιν, πεντακισίους μὲν καὶ χιλίους τῶν πολιτῶν ἀκρίτους ἀπέκτεναν· εἰς δὲ τὸν Πειραιᾶ φεύγειν πολέους, ἢ πεντακισχιλίους ἠνάγκασαν· οἱ δὲ κρατήσαντες, καὶ μεθ' ὅπλων μετιόντες, αὐτοὺς τοὺς αἰτιωτάτους τῶν κακῶν ἀνελόντες, οὕτω τὰ πρὸς ἀλλήλους καλῶς καὶ νομίμως διώκησαν, ὥστε μεδὲν ἐλαττῶν ἔχου, τοὺς ἐμβαλόντας ἢ κατελθόντων.

Οὐδὲ πάντων κάλλιστον τεκμήριον, καὶ μέγιστον τῆς ἐπιεικειᾶς τοῦ δήμου· δανεισαμένων γὰρ τῶν ἐν ἄστει μεινάντων ἑκατὸν τάλαντα παρὰ Λακεδαιμονίων· ἃς ἢ πολιορκίαν τῶν τὸν Πειραιᾶ κατεχόντων, ἐκκλησίας γενομένης περὶ ἀποδόσεως τῶν χρημάτων, καὶ λεγόντων πολλῶν ὡς δικαίον ἔστι διαλύειν τὰ πρὸς τοὺς Λακεδαιμονίους, μὴ τοὺς πολιορκημένους, ἀλλὰ τοὺς δανεισαμένους, ἔλοξε τῷ δήμῳ κοινὴν πώησασθαι τὴν ἀπόδοσιν· καὶ γὰρ τοὶ διὰ ταύτην τὴν γνώμην ἃς τοιαύτην ἡμᾶς ὁμόιοιαν κατέστησαν, καὶ τοσοῦτον ἐπιδούναμ τὴν πόλιν ἐποίησαν, ὥστε Λακεδαιμονίους τοὺς ἐπὶ τῆς ὀλιγαρχίας ὀλίγου δεῖν καθ' ἑκάστην ἡμέραν ἡμῖν προσάττειντας, ἐλθεῖν ἐπὶ τῆς δημοκρατίας ἰκετεύοντας, καὶ δεησομένους μὴ περιιδεῖν σφᾶς αὐτοὺς ἀναστᾶτους ὑπὸ Θηβαίων γενομένους· τὸ δ' οὖν κεφάλαιον τῆς ἐκατέρου διανοίας τοῦτο ἦν· οἱ μὲν γὰρ ἤξιον, τῶν μὲν πολιτῶν ἀρχεῖν, τοῖς δὲ πολεμίους δευλεύειν· οἱ δὲ, τῶν μὲν ἄλλων ἀρχεῖν, τοῖς ὅ πολιταῖς ἴσον ἔχου.

Tom. V.

H

Ταῦ-

Ταῦτα δὲ διήλθον δυοῖν ἕνεκεν· πρῶτον μὲν ἑμαυτὸν ἐπιδείξαι βελό-
 μδουθ, ἐκ ὀλιγαρχιῶν ἕδὲ πλεονεξιών, ἀλλὰ δικαίας καὶ κοσμίας ἐπιθυ-
 μούντα πολιτείας, ἔπειτα τὰς δημοκρατίας τὰς τε κακῶς καθεστηκυίας ἑλατ-
 τόνων συμφορῶν ἀτίας γινομένας· τὰς τε καλῶς πολιτευομένας προεχέσασ, τῷ
 δικαιότερας εἶναι, καὶ τοῖς χραμένοις ἡλίως. τάχ' οὖν ἂν τινες θαυμάσειαν
 τί βελόμενοι ἀντὶ τῆς πολιτείας τῆς οὕτω πολλὰ καὶ καλὰ διαπεπραγμέ-
 νης, ἑτέραν ὑμᾶς πειθώμεθα λαβεῖν· καὶ τίνοιθ' ἕνεκα, γυν μὲν οὕτω καλῶς
 ἐγκακομιάκα τὴν δημοκρατίαν· ἕτ' ἂν δὲ τύχω πάλιν μεταβαλῶν ἐπιτι-
 μῶ καὶ κατηγορῶ τῶν καθεστηκότων;

Εγὼ δὲ καὶ τῶν ἰδιωτῶν τοὺς ὀλίγα μὲν κατορθούοντας, πολλὰ δὲ
 ἐξαμαρτάνοντας, μέμφομαι, καὶ νομίζω φαυλοτέρους εἶναι τῷ δειότης·
 καὶ πρὸς τε τούτοις, τοὺς γεγονότας ἐκ καλῶν καὶ γαθῶν ἀνδρῶν, καὶ
 μικρῶ μὲν ὄντας ἐπισκευέστερους τῶν ὑπερβαλλόντων ταῖς πονηρίας, πο-
 λὺ δὲ χείρους τῶν πατρῶων λοιδορῶ καὶ συμβουλεύσει μ' ἂν αὐτοῖς παύ-
 σασθαι τοιάτοις οὔσι τὴν αὐτὴν οὖν γνώμην ἔχων, καὶ περὶ τῶν κοι-
 νῶν, ἠγέμεαι δεῖν ἡμᾶς μὴ μεγαλοφρονεῖν, μὴ δ' ἀγαπᾶν, ἢ κακοδομο-
 νησάντων, καὶ μανέντων ἀνθρώπων νομιμώτεροι γεγονάμεν, ἀλλὰ πολὺ μάλ-
 λον ἀγανακτεῖν, καὶ βαρέως φέρειν, ἢ χείρους τῶν προγόνων τυγχάνομεν
 ὄντες.

Πρὸς γὰρ ἢ ἐκείνων ἀρετὴν, ἀλλ' ἢ πρὸς ἢ τῶν Τριακοντα πονηρίαν
 ἀμιλλητέον ἡμῖν εἶναι· ἄλλως τε προσήκον ἡμῖν, βελτίστοις ἀπάντων ἀν-
 θρώπων εἶναι. καὶ τῆτον εἶρηκα τὸν λόγον, ἢ γυν πρῶτον, ἀλλὰ πολλάκις
 ἤδη, πρὸς πολλὰς ἐπίσταμαι γὰρ ἐν μὲν τοῖς ἄλλοις τόποις, φύσεις ἐγγινο-
 μένας καρπῶν καὶ δένδρων, καὶ ζῴων ἰδέας ἐν ἐκάστοις, καὶ πολὺ τῶν ἄλλων
 διαφερέσας. τὴν δ' ἡμετέραν χώραν ἀνδρας καὶ τέφειν, καὶ φέρειν δυναμέ-
 νην, ἢ μόνον πρὸς τὰς τέχνας καὶ τὰς πράξεις ἐυφυσάτους, ἀλλὰ καὶ
 πρὸς ἀνδρίαν, ἢ πρὸς ἀρετὴν διαφέροντας· τεκμαιρέσθαι δὲ δίκαιόν ἐστι τοῖς
 τε παλαιοῖς ἀγῶσιν οὐς ἐποίησαντο πρὸς Ἀμαζόνας, καὶ Θράκας, καὶ Πε-
 λοποννησίους ἀπαντας, καὶ τοῖς κινδύνοις τοῖς περὶ τὰ Περσικὰ γενομέ-
 νους· ἐν οἷς καὶ μόνον, καὶ μετὰ Πελοποννησίων, καὶ πεζομαχοῦντες, καὶ
 ναυμαχοῦντες νικήσαντες τοὺς Βαβάρους, ἀριστεῖαν ἠξιώθησαν· ἂν ἕδεν ἂν
 ἔπραξαν, ἢ μὴ πολὺ τὴν φύσιν δύνεγκαν.

Καὶ

Quæ duabus de causis recensui: una, ut me ostenderem non
 imperii paucorum aut avaritiæ studiosum esse, sed Reipublicæ hon-
 nestæ ac æquæ; altera, ut docerem populare regimen etiam si im-
 prudenter praveque constitutum, haud nimis tamen magnas cala-
 mitates importare, et quod recte administratur, præstare ceteris
 civitatibus tum justitia, tum jucunda civium vita. Mirabitur for-
 tasse quis, quid mihi velim, qui pro hoc civitatis statu, ex quo
 tanta et tam multa extiterint præclare facta, alterum vos adhorter
 suscipere, quæ nunc ratione tam magnifice popularitatem extol-
 lam, alias, quum in mentem venit, tota subito sententia mutata,
 accusem, reprehendamque ejus auctores?

Ego vero privatos homines, quorum malefacta plurima exis-
 tunt, benefacta vero perpauca, vehementer objurgo, putoque es-
 se multo pejores, quàm civilitas patitur; proxime his illos casti-
 go, qui magnis atque egregiis majorum gestis a parentibus suis tan-
 to virtutum intervallo antecedunt, nec multum ab iis absunt, qui-
 bus ad perditissimam et improbissimam vitam nihil factum est re-
 liqui; his ego suadere ac consulere decrevi ut sui dissimiles esse ve-
 lint: hæc est animi mei sententia, hæc mens, non debere nos spi-
 ritus tollere, neve id nobis sufficere, si miseris aut insanis homini-
 bus potiores simus; immo succensere, ac ferre graviter, si a majo-
 ribus nostris laude ac decore tantopere vincamur.

Etenim illorum disciplinam et mores, non Triginta virorum
 scelera, proposita nobis ad imitationem esse decet; præsertim quum
 optimos esse nos mortalium omnium oporteat; quod ego non hoc
 primum dixi loco, sed sæpe jam, et apud multos: nempe recogni-
 to naturam rerum ita sanxisse, ut alii loci aliis rebus præstantissimi
 sint; sunt qui frugibus, sunt qui arboribus, sunt qui pecore; nos-
 tram vero regionem viros proferre atque alere, non solum ad artes
 et negotia industrios ac navos, sed fortitudine, et reliquis virtuti-
 bus, pariter ac summe egregios, documento sunt vetera cum Ama-
 zonibus, cum Thracibus, cum universis Peloponnensibus certa-
 mina; tum discrimina Persicarum tempestatum, in quibus partim
 soli, partim cum Peloponnensibus, terra marique devictis Barba-
 ris, uberem fortitudinis laudem tulerunt, utique nihil effecturi,
 nisi naturam nacti præ ceteris excellentem.

Nec

Nec verò putarit quis, decus hoc ad eos quoque pertinere, quorum in manibus nunc est Respublica; multo se res habent secus, spectat enim oratio hæc ad commendationem quidem illorum qui gloriæ progenitorum non desunt; ad objurgationem verò illorum qui ignavia et vitiis suis dedecus nobilitati suæ adferunt; in quâ nos ipsi culpa sumus, si verum ingenue fateri volumus; quippe quum talem loci hujus genium habeamus, non tamen eo utimur, sed involvimus nos recti ignorantia, perturbatione, pravis cupiditatibus: quod si congruenter ad nostrorum majorum laudes seculi hujus vitia insectari aggrediar, vehementer timeo ne longe mihi ab instituto argumento excurrendum sit; ceterum hisce de rebus, et est a nobis dictum alias, et dicetur posthac, nisi forte ut meliores aliquando mores sumatis in animum vobis induxerimus.

Ceterum si paucula quædam iis, quæ initio dicere statueram, adjecero, finem dicendi faciam, cedamque volentibus super eisdem rebus sententiam dicere. Nos quidem, si sic pergamus civitatem, ut cœpimus, regere, non video quorsum pertineat consultare; bellum geremus, et superabimur, et ferme omnia patiemur, a gemusque, quæcunque et jam accidunt, et superioribus annis accidere; sin vero commutaverimus Rempublicam, nempe secundum eandem rationem, quæ apud majores nostros fuit, ad eundem nobis modum res provenient, quo et illis: nimirum ex eadem administrandi ratione fieri aliter nequit, quin negotia similia, multoque proxima, procedant.

Operæpretium fuerit, maxima illorum et præclara facinora cum nostris conferentes, deliberare ultra nos optare præstiterit; facite recordemini primum, ut Græci, hinc ut Barbari, erga civitatem illam priscam affecti fuerint, ut in nostram hanc afficiantur; Græci omnes talem de illis nostris antiquis opinionem animis induerant, ut eorum plurimi ultro se se in eorum fidem tradiderint; Barbari vero adeo non interponebant se in Græciæ negotia, ut neque magnis navibus Phaselidem Pamphylia adnavigarent, nec pedestri exercitu Alym amnem transirent; ita quieti erga nostra agitabant; nunc vero in eo sunt nobis statu res positæ, ut Græci nos oderint, Barbari contemnant; de Græcorum odio duces ipsos audivistis; quo vero sit in nos animo Rex Persarum, epistolis, quas ad nos misit, abundè declaravit.

His

Καὶ μὴδὲν ὀρέσθω τὴν ἔυλογίαν ταύτην προσήκειν ἡμῖν τοῖς νῦν πολιτευομένοις, ἀλλὰ πολλὸν τοῦναντίον· εἰσὶ γὰρ οἱ τοιοῦτοι τῶν λόγων, ἔπανοι μὲν τῶν ἀξίως σφᾶς αὐτοὺς τῆς τῶν προγόνων ἀρετῆς παρεχόντων κατηγορία δὲ τῶν τὰς εὐγενείας ταῖς αὐτῆς ῥαθυμίας, καὶ κακίας καταιχνούντων ἕπερ ἡμεῖς ποιεῖμεν· εἰρήσεται γὰρ ταλθῆς· τοιαύτης φύσεως ὑπαρχούσης, ἔ διεφυλάξαμεν αὐτὴν, ἀλλ' ἐμπεσώμεθα εἰς ἀγνοίαν καὶ ποιηρῶν παραγμάτων ἐπιθυμίαν· ἀλλὰ γὰρ ἦν ἐπακολουθῶν τοῖς ἀνοῦσιν, ἐπιτιμῶσα, καὶ κατηγορήσασα τῶν ἐνεστώτων παραγμάτων, δέλοικα μὴ πόρρω λίαν τῆς ὑποδείσεως ἀποσπλανῶ· περὶ μὲν οὖν τούτων, καὶ τῷ ἄλλῳ ἡρήσαμεν, καὶ πάλιν ἐρῶμεν, ἦν μὴ πείσομεθα ἡμᾶς παύσασθαι τοιαῦτα ἐξαμαρτάνοντας.

Περὶ δὲ ὧν ἐξ ἀρχῆς τὸν λόγον κατεσῆσαμεν, βραχέως διαλεχθεῖς, παραχωρήσομαι τοῖς βουλευμένοις ἐτι συμβουλεύειν περὶ τούτων· ἡμεῖς γὰρ, ἦν μὲν οὕτως ὀκώμεθα τὴν πόλιν, ὡς περὶ νῦν οἰκοῦμεν, οὐκ ἔστιν ὅπως οὐκ ἂν βουλευσόμεθα, καὶ πολεμήσομεν, καὶ βιωσόμεθα, ἢ χερόν ἅπαντα κακὰ πείσομεθα, καὶ πρᾶξομεν, ἅπερ ἐν τῷ παρόντι, καὶ τοῖς παρελθούσι χρόνοις· ἦν δὲ μεταβάλλομεν τὴν πολιτείαν, δηλονότι τὸ κατὰ τὸν αὐτὸν λόγον, οἷά περ ἦν τοῖς προγόνοις τὰ πράγματα, τοιαῦτα ἔσται καὶ περὶ ἡμᾶς· ἀνάγκη γὰρ ἐκ τῶν αὐτῶν πολιτευμάτων, καὶ τὰς πράξεις ὁμοίας αἶε, καὶ παραπλησίας ἀποβαίνειν.

Δεῖ δὲ τὰς μεγάλας αὐτῶν ταραλλήλας τιθέντας, βελύσασθαι ποτέρας ἡμῖν ἀρετέον ἐστὶ καὶ τῶντων σκευόμεθα τοὺς Ἕλληνας, καὶ τοὺς Βαρβάρους, πῶς πρὸς ἐκείνην τὴν πολιτείαν διέκειντο, καὶ πῶς νῦν ἔχουσιν πρὸς ἡμᾶς οἱ μὲν τοῖνυν Ἕλληνες, οὕτως ἐπίστευον τοῖς κατ' ἐκείνους τὸν χρόνον πολιτευομένοις, ὥστε τοὺς πλείους αὐτῶν ἐκόντας ἐγχειρίσασθαι τῇ πόλει σφᾶς αὐτούς· οἱ δὲ Βάρβαροι τοσοῦτον ἀπέειχον τοῦ πολυπραγμονεῖν περὶ τῶν Ἑλληνικῶν πραγμάτων, ὥστε οὔτε μακροῖς πλοίοις ἐγγίψασθαι Φασήλιδος ἕσπερον, οὔτε στρατοπέδοις ἐπὶ τὸν Ἄλφειον ποταμὸν κατέβαινον· ἀλλὰ πολλὴν ἰσυχίαν ἦγον· νῦν ὅ ἐστιν τοῦτο τὰ πράγματα κατέστηκεν, ὥστε οἱ μὲν μισοῦσι τὴν πόλιν, οἱ δὲ καταφρονοῦσιν ἡμῶν τὴν περὶ μὲν τῶν μίσους τῶν Ἑλλήνων, αὐτῶν ἀσκηότατε τῶν στρατηγῶν ὡς δὲ βασιλεὺς ἔχει τὰ πρὸς ἡμᾶς, ἐν τῶν ἐπιστολῶν, ὧν ἔπεμψε, ἐδήλωσεν.

Tom. V.

I

Ε'τι

Ἐπιτι δὲ πρὸς τοῦτους ὑπὸ μὲν ἐκείνης τῆς εὐταξίας οὕτως ἐπαιδευθησαν οἱ πολῖται πρὸς ἀρετὴν, ὥστε σφᾶς μὲν αὐτοὺς μὴ κινεῖν, τοὺς δὲ εἰς τὴν χώραν ἐισβάλλοντας, ἀπαντὰς μαχόμενοι νικᾶν· ἡμεῖς δὲ τούτων ἀλλήλοις μὲν γὰρ κακὰ παρέχων ἕδεμίαν ἡμέραν παραλείπομεν τῶν ὅ περὶ τὸν πόλεμον οὕτω κατημελήσαμεν, ὥστε ἕσθ' εἰς ἐξετάσεις ἵεναι τολμῶμεν, ἢ μὴ λαμβάνωμεν ἀργύριον· τὸ δὲ μέγιστον, τότε μὲν ἕδειε ἢ τῶν πολιτῶν ἐνδεὲς τῶν ἀναγκαίων, ἕδὲ παροισιτῶν τοὺς ἐντυγχάνοντας τὴν πόλιν κατήχυνε· νῦν δὲ πλείους εἰσὶν οἱ παλιζόμενοι τῶν ἐχόντων· οἷς ἄξιόν ἐστι πολλὴν συγγνώμην ἔχειν· ἢ μηδὲν τῆ κοινῶν φροντίζεσθαι, ἀλλὰ τῆτο σκοποῦσιν, ὅπῃθεν αἰετὴν παρέσσαν ἡμέραν δυνήσονται διαγαγεῖν ἡγέμεθα μὲν οὖν ἐγὼ ἢ μισώμεθα τοὺς παρογόνες, καὶ τῶν κακῶν ἡμᾶς τούτων ἀπαλλαγῆσεσθαι, καὶ σωτήρας ἕ μόνον τῆς πόλεως, ἀλλὰ καὶ τῆ Ἑλλήνων ἀπάντων γενήσεσθαι, τὴν τε παροσσοδὸν ἐποισιάμεν, καὶ τοὺς λόγους ἔρηκα τούτους· ἡμεῖς δὲ ταῦτα πάντα λογισάμενοι, χειροτονεῖτε ὅτι ἂν ὑμῖν δοκῇ μάλιστα συμφέρον τῆ πόλει.

ΤΟΥ ΙΣΟΚΡΑΤΟΥΣ ΤΟΥ ΑΡΕΟΠΑΓΙΤΙΚΟΥ ΛΟΓΟΥ

Τέλος.

His omnibus accedit, quod olim recta institutione sic ad virtutem cives conformabantur, ut inter se mutuo quieti, si qui regionem hostes invaserant, facile congressi superarent; quanto nos contra? nulla illucessit dies, quin inter nos alii aliis injuriam damnumque afferamus; rem autem militarem sic deseruimus, ut ne ad explorandam quidem egredi animus superet, nisi mercede conductis; et quod potissimum omnium est, illis temporibus nullus erat civium, cui necessaria deessent, nec ab obviis quibusque mendicans, dedecori civibus erat; nunc vero inopes plures sunt, quam habentes rem; quibus æquissimum est ignosci, si Rempubliacam alienam esse rati, et nihil ad se pertinentem, in id solum incumbunt quomodo miseram animam in diem sustentent: hæc ergo causa est, quamobrem orationem hanc apud vos habui, quod existimo futuros nos haud solum huic civitati, verum et toti Græciæ saluti, si nostrorum majorum facta fuerimus æmulati; vos vero, hisce omnibus sedulo expensis, statuete quod civitati utilissimum fore existimetis.

ISOCRATIS AREOPAGITICÆ ORATIONIS,
Jo. Lud. Vive interprete, finis.

ISOCRATIS
NICOCLES, SIVE AUXILIARIS,
JOANNE LUDOVICO VIVE INTERPRETE.

REX NICOCLES LOQUITUR.

Dicendi artem qui improbent, et sapientiæ assectatores probris insectentur, non desunt, prætexentes, illos haud ejusmodi deditos esse studiis virtutis causa, sed quæstus: equidem eos, qui sic sentiunt, perlibens interrogarim, quamobrem illis maledicant, qui student bene dicere, quum adeo commendent eos, qui conantur recte agere: nam si quæstu pecuniæ offenduntur, majores certe quæstus ex actionibus factos, quàm ex dictionibus, litterisque, comperimus; tum et illud absurdum est, si ignorant, nos neque in hunc finem vel deos colere, vel justitiam exercere, vel aliarum studiis virtutum occupari, ut inopiores quàm ceteri, immo vero quo in majore bonorum copia vivamus; quocirca non ea sunt opera culpanda, quibus aliquis virtute socia locupletior evadit, sed homines qui ejusmodi agendis peccant, ii demum reprehendendi sunt, veluti qui oratione fallunt, nec ea, sicuti convenit, utuntur.

Ego vero profiteor me mirari, si non et ii; qui in illa sunt sententia, et divitiis, et robori, et fortitudini convicium faciant; nam si propter falsos, mendacesque, eloquentiæ sunt infensi, par est eos cetera quoque bona condemnare, quoniam per hæc et deliquisse complures constat, et nocuisse permultis, sed profecto æquum non est, ut propterea vires accusent, quod quis obvium pulsarit, aut fortitudinem, quod occiderit; denique hominum delicta rebus ipsis imputanda non sunt, ipsi potius homines arguendi, qui quidem bonis abutuntur, quique cives suos iis rebus pergunt lædere, quis possent magnopere commodare; verum non sic agitur; nam isti, hoc e rebus discrimine sublato, in omne disciplinarum genus, sermonisque, pectus ulceratum gestant, tantumque est illorum peccatum, quanta ignorantio ipsos illi esse rei inimicos, quæ ex omnibus, quæ sunt in humana vita, plurimorum

est

ΙΣΟΚΡΑΤΟΥΣ
ΝΙΚΟΚΛΗΣ, Η ΣΥΜΜΑΧΙΚΟΣ ΛΟΓΟΣ.

Εἰσὶ τινες, οἱ δυσκόλως ἔχουσι πρὸς τοὺς λόγους, καὶ διαμείφονται τοὺς φιλοσοφούντας, καὶ φασιν αὐτοὺς ἐν ἀρετῇ, ἀλλὰ πλεονεξίας ἕνεκα ποιῶντας τοιαύτας διατριβάς ἡδέως ἀνὸν πωδοίμην τῶν οὕτω διακειμένων, διὰ τί τοὺς μὲν εὖ λέγειν ἐπιθυμοῦντας φεύγουσι, τοὺς δ' ὀρθῶς πράττειν βυλομένους ἐπαινεῖσιν; ἢ γὰρ αἱ πλεονεξία λυποῦσιν αὐτοὺς, πλείους, καὶ μείζους ἐκ τῶν ἔργων, ἢ τῶν λόγων εὐρησομῶν γιγνομένης ἔπειτα κακίονο ἄποπον, εἰ λελήθω αὐτοὺς, ὅτι τὰ περὶ τοὺς θεοὺς εὐσεβοῦμεν, καὶ τὴν δικαιοσύνην ἀσπῆμεν, καὶ τὰς ἄλλας ἀρετὰς ἐπιτηθεύομεν, ἔχοντες ἵνα τῶν ἄλλων ἑλαττον ἔχωμεν, ἀλλ' ὅπως ἀνὸν ὡς μετὰ πλείστων ἀγαθῶν ἔβιον διάγωμεν. ἄσπε εἰ κατηγορητέον τούτων τῶν πραγμάτων ἐστίν, δὲ ἀνὸν τις μετ' ἀρετῆς πλεονεκτῆσειν, ἀλλὰ τῶν ἀνθρώπων τῶν περὶ τὰς πράξεις ἐξαμαρτανάντων, ἢ τοῖς λόγοις ἐξαπατάντων, καὶ μὴ δικαίως χρωμένων αὐταῖς.

Θαυμάζω δὲ τῶν ταύτων τὴν γνώμην ἔχόντων, ὅπως εἰ καὶ τὸν πλεῖστον, καὶ τὴν βίωσιν, καὶ τὴν ἀνδρίαν κακῶς λέγουσιν· εἴπερ γὰρ διὰ τοὺς ἐξαπατάντας, καὶ τοὺς ψευδομένους, πρὸς τοὺς λόγους χαλεπῶς ἔχουσι, προσήκει καὶ τοῖς ἄλλοις ἀγαθοῖς αὐτοὺς ἐπιτιμᾶν· φανήσονται γὰρ τινες καὶ τῶν ταῦτα κεκτημένων ἐξαμαρτανάντες, καὶ πολλοὺς διὰ τούτων κακῶς ποιῶντες· ἀλλὰ γὰρ εἰ δίκαιον, εἴη εἰ τινες τοὺς ἀπαντῶντας τύπτωεν, τῆς βίωσιν κατηγορεῖν οὔτε διὰ τοὺς ἀποκτινύνοντας τὴν ἀνδρίαν λαιδορεῖν οὐδ' ὅλος τὴν τῶν ἀνθρώπων πονηρίαν ἐπὶ τὰ πράγματα μεταφέρειν· ἀλλ' αὐτοὺς ἐκείνως ψέγειν, ὅσοι τοῖς ἀγαθοῖς κακῶς χρωῶνται, καὶ τοῖς ἀφελεῖν δυναμένοις, τούτοις βλάπτειν τοὺς συμπολιτευομένους ἐπιχειρῶσι· νῦν δὲ ἀμελήσαντες τῶν τῶν πρὸς πρὸς ἐκάστου διορίζεσθαι, πρὸς ἀπαντας τοὺς λόγους δυσκόλως διάκεινται, καὶ τοσοῦτον διημαρτήσασιν, ὥστε ἐν ἀποδόνονται τοῖς ἐπιπραγματι δυσμενῶς ἔχοντες, ὃ πάντων τῶν ὄντων ἐν τῇ τῶν ἀνθρώπων φύσει πλείστον

Tom. V.

K

ἀγα-

ἀγαθῶν αἰτιῶν ἔστι· τοῖς μὲν γὰρ ἄλλοις, οἷς ἔχομεν ἕλεν τῶν ἄλλων ζώων διαφέροντες, ἀλλὰ πολλῶ καὶ τῷ τάχει, καὶ τῇ βίῳ, καὶ ταῖς ἀλλαίς εὐπορίας καταλείψετε τυγχάνομεν ὄντες.

Ἐγγενομένους δ' ἡμῖν τῷ πείθειν ἄλλήλους, καὶ δηλῶν πρὸς ἡμᾶς αὐτοὺς, περὶ ὧν ἂν βεβλήθωμεν, ἔ μόνον τῷ θηριωδῶς ζῆν ἀπαλλάγημεν, ἀλλὰ καὶ συνελθόντες, πόλεις ἐκτίσομεν, καὶ νόμους ἐθέμεθα, καὶ τέχνας εὐρομεν, καὶ χερδὸν ἅπαντα τὰ εἰς ἡμῶν μεμηχανημένα λόγῳ ἡμῖν ἔστιν ὁ συγκατασκευάσας· ἔτι γὰρ καὶ περὶ τῶν δικαίων, καὶ περὶ τῶν ἀδίκων καὶ τῶν ἀρχῶν, καὶ τῶν καλῶν ἐνομοθέτησεν ὧν μὴ διαταχθέντων, ἔκ ἂν οἱοί τε ἡμεῖς οἰκεῖν μετ' ἀλλήλων· τούτῳ καὶ τοὺς κακοὺς ἐξελέγομεν, καὶ τοὺς ἀγαθοὺς ἐγκωμιάζομεν· διὰ τούτου τοὺς τε ἀνοήτους παιδεύομεν, καὶ τοὺς φρονίμους διοικιάζομεν· τὸ γὰρ λέγειν, ὡς δεῖ, τῷ φρονεῖν εὖ μέγιστον σημεῖον ποιούμεθα· καὶ λόγῳ ἀληθῆς, καὶ νόμιμῳ καὶ δίκαιῳ ψυχῆς ἀγαθῆς καὶ πιστῆς εἰδωλόν ἔστιν. μετὰ τούτου καὶ περὶ τῶν ἀμφισβητησίων ἀγωνιζόμεθα, καὶ περὶ τῶν ἀγνωσμένων σκοποῦμεθα. ταῖς γὰρ πείσεσιν, αἷς τοὺς ἄλλους λέγοντες πείθομεν, ταῖς αὐταῖς ταύταις καὶ περὶ τῶν ἰσίων βεβλημένοι χρώμεθα· καὶ ῥητορικοὺς μὲν καλοῦμεν τοὺς ἐν τῷ πλῆθει λέγειν δυναμένους, ἐυβέλους ἢ νομίζομεν, οἳ τινες ἂν αὐτοὶ πρὸς αὐτοὺς ἄριστα περὶ τῶν πραγμάτων διαλεχθῶσιν.

Εἰ δὲ δεῖ συλλήβδην περὶ τῶν δυνάμεως ταύτης εἰπεῖν, ἕλεν τῷ φρονίμους παρατημένων ἐρήσομεν ἀλόγως γιγνόμενον· ἀλλὰ καὶ τῷ ἔργῳ, καὶ τῷ διανομήσασιν ἅπαντων ἡγεμόνα τῷ λόγῳ, ὄντα, καὶ μάλιστα χρωμένους αὐτῷ τοὺς πλείστον νῦν ἔχοντας· ὥστε τοὺς πολυμῶντας βλασφημεῖν περὶ τῶν παιδεύοντων, καὶ φιλοσοφούντων, ὁμοίως ἄξιον μισεῖν, ὡς περὶ τοὺς εἰς τὰ τῶν θεῶν ἔδη ἐξαμαρτάνοντας· ἐγὼ δὲ ἀποδέχομαι μὲν πάντας τοὺς λόγους, τοὺς καὶ κατὰ μικρὸν ἡμᾶς ἀφελεῖν δυνάμενους, οὐ μὲν ἀλλὰ καὶ καλλίστους ἡγῶμαι, καὶ βασιλικωτάτους, καὶ μάλιστα παρέποντας ἐμοὶ τοὺς περὶ τῶν ἐπιθελειμάτων, καὶ τῶν πολιτικῶν παραινεύοντας· καὶ τούτων αὐτῶν, ὅσοι διδάσκουσι ταῖς τε δυναστεύουσας, ὡς δεῖ τῷ πλῆθει χρῆσασθαι, καὶ τοὺς ἰδιώτας, ὡς χρὴ πρὸς ἄρχοντας διακεῖσθαι, καὶ γὰρ διὰ τούτων ὄρω τὰς πόλεις εὐδαιμονεσάσας, καὶ μεγίστας γιγνομένας.

Τὸν

est bonorum auctor, nihil enim ceteris naturæ dotibus a brutis animantibus separamur: quid, quod et robore et celeritate inferiores sumus, aliisque commoditatibus permultis?

Verum insita nobis vi quadam invicem persuadendi, explicandique quæcunque visum fuerit, simul belluinam vitam exuimus, simul congregati civitates condidimus, et leges invenimus, et artes excudimus; ut semel finiam, in omnibus pæne, quæ a nobis sunt excogitata, sermone sumus usi administro præcipuo; hic enim de justis deque injustis, de turpibus atque honestis leges sanxit, quibus non constitutis, haud posset communio constare hominum inter se; sermone reprehendimus malos, et eodem laudamus bonos; per eum instituimus rudes, ac de cordatis experimentum sumimus; quippe dicere ut oportet, maximum nobis argumentum solidi iudicii præbet; quin etiam sermo verus, legitimus, æquus, bonæ mentis et sinceræ fidei simulacrum est; per hunc et de controversiis disceptamus, et de incognitis consultamus, quippe, argumentis, quibus fidem aliis dicentibus habeamus, eisdem ipsis utimur quum rogati respondemus; et Oratores quidem nominamus idoneos ad multitudinem dicere, prudentes vero existimamus, qui inter se de negotiis optime disserunt.

Quod si aliquid de sermonis virtute in universum pronuntiandum est, nihil de sapienter excogitatis citra sermonis operam extitit; etenim operum cogitationumque omnium dux ille est, et cordatissimus ut quisque est, ita sermone plurimum atque appositissime utitur; quocirca ii, qui convicium in eruditos ac scientiæ studiosos non reformidant jacere, haud aliter odio se se dignos exhibent; quàm qui deorum imagines contemerant: equidem tantum ab illorum mente, ut etiam eos sermones complectar, qui vel tenuissimam nobis utilitatem adferunt; sed illos pulcherrimos esse duco regeque dignissimos, ac in primis me ipso, qui ad privatas pertinent publicasque functiones; et ex iis maxime illos suspicio, qui tum principes monent quemadmodum subditis utantur, tum subditos quo pacto se se debeant in principes gerere, quoniam ab iis video civitates, tum amplissimas, tum fortunatissimas fieri.

Ce-

Ceterum præceptiones illas, quemadmodum regnum administrandum sit, audistis ab Isocrate, has alteras, quid facto sit opus iis qui sub regno degunt, ipsè in præsentia conabor exprimere, non hac fiducia, ut dicendo Isocratem vincam, sed quia maxime me decet hisce de rebus apud vos verba facere; nam si mente ac voluntate mea vobis non declarata, vos contra sententiam animi mei quidquam committeretis, æquum non esset me vobis succensere; at vero ubi præmonuero quid vos agere conveniat, tum optima causa de eo, qui non paruerit, licebit mihi conqueri: existimo eam esse expeditissimam ad vos exhortandos viam, et qua non modo memineritis quæ dicta fuerint, sed etiam iis obtemperetis, si non suasero solum, atque ita, præceptis velut enumeratis, vos dimisero, verum exposuero quoque quàm æquum sit ut præsentem civitatis statum diligatis, non tantum ob necessitatem, nec quia perpetuo est nobis in illo vivendum, sed aliis etiam de causis. Principio, quoniam cetera regimina antecellit; tum quod ego principatum obtineo non illegitimum, non alienum, sed jure sancteque, cum ex majoribus meis, tum vero ex patre meo, et ex me ipso; hæc si quis considerarit, haud dubium quin ipse se permagnè damnaturus sit criminis, si monitis ac jussis meis non auscultaverit.

Et quantum ad Respublicas, in quibus summa est populi potestas, attinet, hinc enim exordium censeo, grave mea sententia omnibus illud videbitur, nullam fieri inter probos atque improbos distinctionem dignitatum; at æquissimum atque humanissimum, istos discerni, nec dissimiles accipere similia, sed cum unoquoque sic agi, ut dignus est; porro principatus sive paucorum, sive populi, omnium exæquationes quærunt eorum, qui in Republica versantur, idque maximopere ipsis probatur si sic res universæ constitutæ sint, ut nullus excellere alterum vel honore queat, vel dignitate: id vero nullis utilius est, quàm malis: at regnum, et unius principatus, ad hunc modum singula dispensat, ut plurimum ferat optimus; proximus huic merito, sit etiam proximus præmio; tertius, tertio loco; et in ceteris, prout demeritis quisque est. Fortassis non in omni Republica sic res habent, sed certe hoc est Reipublicæ institutum et finis; quocirca nemo est acutus rerum æstimator, qui, expensis hominum actionibus atque ingeniis, non Reipublicæ regnum anteponat.

Enim

Τὸν μὲν οὖν ἕτερον λόγον, ὡς Χρῆ τυραννεῖν, Ἰσοκράτους, ἠκούσατε· τὸν δ' ἐχόμενον, ἃ δεῖ ποιεῖν τοὺς ἀρχομένους, ἐγὼ πειράσομαι διελεῖν· ἔχ' ὡς ἐκείνον ὑπερβαλέμευθ', ἀλλ' ὡς προσήκόν μοι περὶ τούτων μάλιστα διαλεχθῆναι πρὸς ὑμᾶς. εἰ μὲν γάρ, ἐμῶ μὴ δηλώσαντος, ἃ βέλομαι ποιεῖν ὑμᾶς, διαμαρτάνοιτε τῆς ἐμῆς γνώμης, οὐκ ἂν ἐκότως ὑμῖν ὀργιζοίμην· ἢ δὲ ἀροειπώτος ἐμῶ, μηδὲν γίγνοιτο τοῖσ'τον, δικαίως ἂν ἦλη τοῖς μὴ πειθομένοις μεμφοίμην. ἠγῶμαι δ' οὐτως ἂν μάλιστα παρακαλέσαι, καὶ ἀροπέλαι πρὸς τὸ μνημονεῖν ὑμᾶς τὰ ῥηθέντα, καὶ πειθαρχεῖν αὐτοῖς· ἔκ' εἰ περὶ τὸ συμβεβηέν μόνου γένοίμην, καὶ ταῦτ' ἀπαρθημένης ἀπαλλαγείην· ἀλλ' εἰ ἀροσεπιδείξαιμι πρῶτον μὲν τὴν πολιτείαν τὴν παρῶσαν, ὡς ἀξίον ἔστι ἀγαπᾶν ἔ μόνον διὰ τὴν ἀνάγκην, ἢ δ' ὅτι πάντα τὸν χρόνον μετὰ ταύτης διεκήμεν, ἀλλ' ὅτι καὶ βελτίστη τῶν ἄλλων πολιτειῶν ἔστι· ἔπειθ', ὡς ἐγὼ ταύτην ἔχω τὴν ἀρχὴν ἔ παρανόμως, ἔδ' ἀλλοτρίαν, ἀλλ' ὁσίως, καὶ δικαίως, καὶ διὰ τοὺς ἐξ ἀρχῆς ἀρογόνους, καὶ διὰ τὸν πατέρα, καὶ δι' ἐμαυτὸν· τούτων γάρ ἀροαποδραχθέντων ἔκ' ἔστιν, ὅς τις ἐκ αὐτῶν αὐτῶ καταγνάσεται τὴν μεγίστην ζημίαν· εἰ μὴ πειθαρχῆ τοῖς ὑπ' ἐμῶ συμβεβηθεῖσι, καὶ ἀροσταχθεῖσι.

Περὶ μὲν οὖν τῶν πολιτειῶν, ἐνταῦθεν γάρ ὑποτιθέμενθ' ἠρξάμεν, οἷμα πᾶσι δοκεῖν, δεινότατον μὲν εἶναι τὸ τῶν αὐτῶν ἀξιοῦσθαι τοὺς χρηστοὺς, καὶ τοὺς πονηροὺς δικαιοτάτον δὲ, τὸ διορθώσασθαι περὶ τούτων, καὶ μὴ τοὺς ἀνομοίους τῶν ὁμοίων τυγχάνειν· ἀλλὰ καὶ πράττειν, καὶ τιμᾶσθαι κατὰ τὴν ἀξίαν ἐκάστους· αἱ μὲν τοίνυν ὀλιγαρχία, καὶ δημοκρατία τὰς ἰσότητας τοῖς μετέχουσι τῶν πολιτειῶν ζητῶσι, καὶ τῶτο εὐδοκίμει παρ' αὐταῖς, εἰ μὴ ἕτερος ἐτέρου δύνηται πλέον ἔχειν. ὁ τοῖς πονηροῖς συμμέρον ἔστιν, αἱ δὲ μοναρχία, πλεῖστον μὲν νέμεισι τῶ βελτίστῳ, δευτέρου δὲ τῶ κατ' ἐκείνον, τρίτου δὲ, καὶ τέταρτον, τοῖς ἄλλοις κατὰ τὸν αὐτὸν λόγον. καὶ ταῦτα, ἢ μὴ πανταχῶ καθέστηκεν, ἀλλὰ τὸ γε βέλημα τῆς πολιτείας τοῖσ'τον ἔστι· καὶ μὴν ἢ δεῖ διορῶν καὶ τὰς φύσεις τῶν ἀνθρώπων, καὶ τὰς ἀράξεις; ἅπαντες ἂν τὰς τυραννίδας μᾶλλον ὁμολογήσασιν.

Tom. V.

L

Kai

Καί τοι τίς ἐκ ἂν εὐξαιτο τῶν εὖ φρονούντων, τοιαύτης πολιτείας μετέχων, ἐν ἧ μὴ διάληθι χρησὸς ὢν μάλλον, ἢ φέρεσθαι μετὰ τῷ πλείοντι, μὴ γινωσκόμενον, ὅποιός τις ἐστίν. ἀλλὰ μὴν καὶ παραστέρων παύσασθαι, καὶ δικαιότεραν δικαίως ἐν αὐτῇ κρίνειν, ὅσῳ περ ῥᾶν ἐστὶν εἰς ἀδελφὸς γνώμη προσέχων τὸν νοῦν μάλλον, ἢ πολλαῖς διανοαῖς, καὶ παντοδαπαῖς ζητεῖν ἀρέσκων· ὅτι μὲν οὖν ἡλίαν ἐστὶ, καὶ παραστέρων, καὶ δικαιότερων, διὰ πλείονων μὲν ἂν τις ἀποδείξειεν ἢ μὴν ἀλλὰ καὶ διὰ τούτων συνιδεῖν ῥᾶδιόν ἐστι· περὶ δὲ τῶν λοιπῶν, ὅσῳ αἱ μοναρχίαι καὶ τὰς τὸ βυλεύσασθαι, καὶ τὰς τὸ πράξασθαι τῶν δέοντων διαφέρουσιν, οὕτως ἂν κάλλιστα θεορήσασθαι, ἢ τὰς μεγίστας τῶν πράξεων παρ' ἀλλήλας τιθέντες, ἐξετάζων ἐπιχειρησασθαι αὐτάς.

Οἱ μὲν τοίνυν κατ' ἐνιαυτὸν ἢ τὰς ἀρχὰς ἰσοιότητες, πρότερον ἰδιωτῶν γίνονται, πρὶν ἀισθῆσθαι τι τῶν τῆς πολιτείας, καὶ λαβεῖν ἐμπειρίαν αὐτῶν· οἱ δ' αἰετὸς τοῖς αὐτοῖς ἐπιστατοῦντες, ἢν καὶ τὴν φύσιν καταλεεστέρα ἔχουσιν, ἀλλ' οὖν ταῖς γε ἐμπειρίας πολλὴν ἢ ἄλλων προσέχουσιν· ἔπειτα οἱ μὲν πολλῶν καταμελῶσιν ἢ ἀλλήλους ἀποβλέποντες· οἱ δ' ἐδεδὸς ἐλιγνῶσιν, ἐδεδὸς, ὅτι πρὶν πάντα δι' αὐτῶν γίγνεται. τὰς δὲ τούτοις, οἱ μὲν ἐν ταῖς ἐλιγνῶσιν, καὶ ταῖς δημοκρατίας διὰ τὰς τὰς σφᾶς αὐτοῦς φιλοτιμίας λυμαίνονται τοῖς κοινοῖς· οἱ δ' ἐν ταῖς μοναρχίαις ὄντες ἐκ ἔχοντες, ὅτῳ φρονησοῦσι περὶ ἀπάντων, ὡς οἱ ὄντ' ἐστὶ, τὰ βέλτιστα πράττουσιν.

Ἐπειτα οἱ μὲν ὑστερῶσιν τῶν πραγμάτων, τὸν μὲν γὰρ πλεῖστον χρόνον ἐπὶ τοῖς ἰσίοις διατρέχουσιν· ἐπειδὴ δὲ ἢ τὰ συνέδρια συνέλθουσιν, πλεονάκεις ἂν τις αὐτοῦς εὖροι διαφερομένους, ἢ κοινῇ βουλευομένους· οἱ δ' οὔτε συνέδριων, οὔτε χρόνων αὐτοῖς ἀποδεδεγμένων, ἀλλὰ καὶ τὰς ἡμέρας, καὶ τὰς νύκτας ἐπὶ ταῖς πράξεσιν ὄντες, ἐκ ἀπολείπονται τῶν καιρῶν· ἀλλ' ἕκαστον ἐν τῷ δέοντι πράττουσιν· ἔτι δ' οἱ μὲν τὰς ἀλλήλους δυσμενῶς ἔχουσιν· καὶ βέλονται ἂν καὶ τοὺς τὰς αὐτῶν ἀρχοντας, καὶ τοὺς ἐφ' ἑαυτοῖς, ὡς κάλλιστα διοικῆσαι τὴν πόλιν, ἢ ὡς μεγίστην δόξαν αὐτοῖ λαμβάνασθαι· οἱ δ' εἰς παιδὸς τῷ βίῃ κύριοι τῶν πραγμάτων ὄντες, ἢ τὰς πάντων τὸν χρόνον, καὶ τὰς ἐνοίας ὁμοίως ἔχουσιν· τὸ δ' ἐξ ἀπολείπονται πάντων· τοῖς

Enim vero quis homo prudens, particeps ejusce Reipublicae velit esse, in qua eum sua probitas non plus extollat, quam quemvis e vulgo? nempe quum sit quantumlibet bonus, ignotus tamen: regnum igitur tanto censendum est præcellentior et justior Principatus, quanto promptius est unius sententiæ morem gerere, quam tot ac tam variis ingeniis iudicijque satisfacere: puto apertum ex his fieri, quantum unius imperium iustitia, commoditate, facilitate, præstantius sit: jam ut superet quoque, sive consultandum est quid, sive agendum, ex iis, quæ conducunt, licebit perspicere si maxima et præcipua opera inter se collata perpendimus.

In populari civitate, qui suo anno Magistratum suscipiunt, ad Rempublicam admoventur ignari prorsus quemadmodum ea moderanda sit; at Reges quum in eadem dignitate perseverent, etiam si qui sint ingenio tardiore, experimentis tamen fiunt prudentissimi: adde, quod Magistratus in Republica multum hominum curam non gerunt, videlicet eorum quos nec minori putant esse dignitate, nec potentia, quam ipsi iidem sint; Rex vero nihil prætermittit, quum sciat ad se unum curam omnium pertinere: ad hæc; qui in Rebuspublicis versantur, sæpenumero propter contentiones honorum, publicas utilitates corrumpunt; Reges, quum nullas habeant de Principatu æmulationes, unumquodque, quam optime possunt, administrant.

Præterea communes Magistratus multa Reipublicæ negotia prætermittunt; primum, quod optimam temporis partem privatis rebus impartiantur; tum, ubi in consilium ventum est, frequentius eos videre est dissentientes; quam consulentes in commune; at Reges neque consilia habent definita, nec designata tempora, sed noctes et dies licet eis de publicis rebus consultare ac statuere, ne qua elabatur occasiuncula faciendi quod sit in rem subditorum: accedit his, quod populi Magistratus pessime sunt inter se animati, velletque eorum quisque perniciose civitatem, et ab iis Magistratibus qui præcesserunt, et ab iis qui succedent, gubernari, quo major ipsis per aliena flagitia gloria quaereretur; Reges vero, tota vita domini, eundem affectum continenter habent: et quod omnium caput et potissimum est,

populares moderatores alii in Reipublicæ curam intenti sunt, ut alienæ, alii quod sperent inde rem suam privatam auctum iri, et selecto ex universa multitudine audacissimo quoque, hunc sibi in consilium adhibent, at Reges spectatissimis sapientia consiliariis utuntur, magnisque illos afficiunt honoribus, tum eos qui pollent facundia, tum negotiis obeundis aptissimos: neque vero in rebus tantum, quæ domi, quæque in pace aguntur, antecedit regnum communes administrationes, sed in bello omnia sunt Regi, quàm Reipublicæ, commodiora, videlicet copias parare, iisque uti, ut occultes omnia, quum velis, et simul collibitum sit, proferas, ut alii ultro imperata faciant, alii quum usus poscat cogantur, et ab his emas necessaria, aliis curanda loces.

Si quis non habet verbis fidem, at rebus habeat: quis est, qui quantum sit Persarum imperium, ignoret? at illud non ad eam magnitudinem sapientia virorum provectum est, sed consensu parentium uni Regi: præterea Dionysius Syracusanus, quum reliquam quidem Siciliam vexatam vastatamque suscepisset, patriam vero etiam obsessam, ipse non modo Syracusas præsentibus periculis exemit, sed supra cunctas Græcas urbes exivit: accedit huc, quod Carthaginenses et Lacedæmonii, qui habere dicuntur Respublicas optime inter Græcos omnes institutas, domi quidem paucorum gubernatione degunt, at militiæ Rex unus imperat: licebit et ex civitate Atheniensi argumentum sumere, quæ una super ceteras vehementissimè nomini regio aspera atque infensa est: hæc vero quoties in bellum multos Imperatores mittit, res ejus infeliciter cedunt, quum autem ab uno bellum administratur, superiora errata corriguntur.

Qui poterit apertius, quàm per ista exempla demonstrari, quantum monarchia sit Reipublicæ præferenda? Videtis sub perpetuo regno maximam potentiam, et apud eos, qui aptissime per paucorum administrationem reguntur, quum militatum proditur, uni omnes parere, vel Imperatori, vel Regi, et quibus regnum atroci est odio, quum multos ad bellum pari potestate mittunt, magna detrimenta accipi: quod si licet aliquid ex vetustate repetere, traditum est, deos immortales regno Jovis subditos esse; id si verum est, apparet illos regium imperium potius censere, quàm populare; id.

τοῖς γὰρ κοινοῖς οἱ μὲν ὡς ἰδίους, οἱ δὲ ὡς ἀλλοτρίοις προσέχουσι τὸν νοῦν· καὶ συμβέλλουσιν χρῶνται περὶ αὐτῶν, οἱ μὲν τῶν ἀστῶν τοῖς τολμηροτάτοις, οἱ δὲ ἐξ ἀπάντων ἐκλεξάμενοι τοὺς φρονιμωτάτους· καὶ τιμῶσιν οἱ μὲν τοὺς ἐν τοῖς ὄχλοις εἰσπεῖν δυνάμεις, οἱ δὲ τοὺς Χρῆστας τοῖς πράγμασιν ἐπισταμένους· ἕ μόνον δ' ἐν τοῖς ἐγκυκλίσι, καὶ τοῖς καθ' ἡμέραν γιγνομένοις αἱ μοναρχίαι διαφέρουσιν· ἀλλὰ καὶ τὰς ἐν τῷ πολέμῳ πλεονεξίας ἀπάσας περιελήφασιν· καὶ γὰρ παρασκευάσαντες δυνάμεις, καὶ Χρῆστας ταύτας, ὥστε καὶ λαβεῖν, καὶ ὀφθῆναι, καὶ τοὺς μὲν πείσασιν, τοὺς δὲ βιάσαντες, παρὰ δὲ τῶν ἐκαστοῦ, τοὺς δὲ ταῖς ἄλλαις θεραπειαῖς προσάγουσιν, μᾶλλον αἱ τυραννίδες τῶν ἄλλων πολιτειῶν οἰαί τ' ἴσιν.

Καὶ ταῦτα ἐκ τῶν ἔργων ἂν τις ἔχῃ ἤτησον, ἢ τῶν λόγων πιστεύσειεν· τοῦτο μὲν γὰρ τὴν τῶν Περσῶν δύναμιν ἅπαντες ἴσθαι τηλικαύτην τὸ μέγεθος γεγενημένην, ἢ διὰ τὴν τῶν ἀνδρῶν φρόνησιν, ἀλλ' ὅτι μᾶλλον τῶν ἄλλων τὴν βασιλείαν τιμῶσι. τῆτο δὲ Διονυσίου τὸν τύραννον, ὃς παραλαβὼν τὴν μὲν ἄλλην Σικελίαν ἀνάστατον γεγενημένην, τὴν δ' αὐτῆ πατρίδα πολιορκημένην, ἢ μόνον αὐτὴν τῶν παρόντων κινδύνων ἀπήλλαξεν, ἀλλὰ καὶ μεγίστην τῶν Ἑλληνίδων πόλεων ἐποίησεν· ἔτι δὲ Καρχηδονίου καὶ Λακεδαιμονίου τοὺς ἄριστα τῶν Ἑλλήνων πολυτεταμένους ἄκοι μὲν ὀλιγαρχομένους, παρὰ δὲ τὸν πόλεμον βασιλευσμένους· ἔχοι δ' ἂν τις ἐπιδείξαι καὶ τὴν πόλιν τῶν Ἀθηναίων τὴν μάλιστα τὰς τυραννίδας μισῶσαν· ὅταν μὲν πολλοὺς ἐκπέμφῃ στρατηγούς ἀτυχεῖσσαν· ὅταν δὲ, δι' ἑὸς ποιῆται, τοὺς κινδύνους καθορθῶσιν.

Καὶ ταῦτα, πῶς ἂν τις σαφέστερον, ἐπιδείξειεν, ἢ διὰ τούτων τῶν παραδειγμάτων, πλείστου τὰς μοναρχίας ἀξίας οὔσας; φαίνονται γὰρ οἱ τε διὰ τέλους τυραννέμμοι, μεγίστας δυνάμεις ἔχοντες, οἱ τε καλῶς ὀλιγαρχομένοι, περὶ ἃ μάλιστα ἀποσπάζουσιν· οἱ μὲν ἕνα μόνον στρατηγόν, οἱ δὲ βασιλεῖα τῶν στρατοπέδων κύριον καθιστάμενοι· οἱ τε μισοῦντες τὰς τυραννίδας, ὅποταν πολλοὺς ἄρχοντας ἐκπέμφωσιν, ἔδεν τῶν δέοντων πρᾶττοτες· εἰ δὲ δεῖ τι καὶ τῶν ἀρχαίων φεῖν, λέγεται καὶ τοὺς θεοὺς ὑπὸ τῷ Διὸς βασιλευσῶσιν· περὶ ὧν εἰ μὲν ὁ λόγος ἀληθὴς ἐστίν, δῆλον ὅτι κακῆνοι ταύτην τὴν κατάστασιν προκρίνουσιν.

εἰ δὲ τὸ μὲν σαφὲς μηδεὶς οἶδεν, αὐτοὶ δ' ἐκάζοντες οὕτω περὶ αὐτῶν ὑπει-
λήφαμεν, σημείον ὅτι πάντες τὴν μοναρχίαν προτιμῶμεν. ἔ γάρ ἂν ποτε
αὐτῇ χρῆσθαι τοὺς θεοὺς ἔφαμεν, εἰ μὴ πολὺ τῶν ἄλλων προέχεν αὐτὴν
ἐιομίζομεν. περὶ μὲν οὖν τῶν πολιτειῶν, ὅσον ἀλλήλων διαφέρουσιν, ἅπαν-
τα μὲν οὐθ' εὐρεῖν, οὐτ' εἰπεῖν δυνατόν ἐστιν. ἔ μὴν ἀλλὰ πρὸς γε
τὸ παρὸν ἐξαρκούντως καὶ νῦν εἴρηται περὶ αὐτῶν.

Ὡς δὲ προσκόντως ἡμεῖς τὴν ἀρχὴν ἔχομεν, πολὺ τούτου συντομώ-
τερον, καὶ μᾶλλον ὁμολογούμενον ὁ λόγος ἐστίν· τίς γάρ ἐκ οἶδεν, ὅτι
Τεῦκρος μὲν ὁ τῆ γένεος ἡμῶν ἀρχηγός, παραλαβὼν τοὺς τῶν ἄλλων πο-
λιτῶν προγόνους, πλεῖστας δ' εὐρο, καὶ πόλιν αὐτοῖς ἔκτισε, καὶ τὴν χῶ-
ραν διέπειμεν; ὁ δὲ πατήρ Ευαγόρας, ἀπολεσάντων ἐτέρων τὴν ἀρχὴν πά-
λιν ἀνέλαβεν, ὑποστάς τοὺς μεγίστους κινδύνους, καὶ τοσοῦτον μετέστη-
σεν, ὥστε μηκέτι Φοίνικας Σαλαμινίαν τυραννεῖν, ἀλλ' ἂν περ ἦν τὴν ἀρχὴν,
τούτους καὶ νῦν ἔχειν τὴν βασιλείαν.

Διοτὸν οὖν ἐστίν, ἂν προσθέμην, περὶ ἑμαυτῶν διελθεῖν· ἴν' ἐπίστη-
θε ὅτι τοιοῦτός ἐστιν ἡμῶν ὁ βασιλεὺς, ὃς ἔ μόνον διὰ τοὺς προγόνους,
ἀλλὰ καὶ δι' ἑμαυτὸν δικαίως ἂν καὶ μείζονθ' τιμῆς, ἢ τελικαυτῆς
ἀξιοθέηται. οἶμα γὰρ ἔγωγε πάντας ἂν ὁμολογήσομαι, πλεῖστ' τῶν ἀρετῶν
ἀξίας εἶναι, τὴν τε σαφροσύνην, καὶ τὴν δικαιοσύνην· ἔ γάρ μόνον ἡμᾶς τὸ
καθ' αὐτὰς ἀφελῶσιν, ἀλλ' εἰ θέλοιμεν σκοπεῖν, καὶ τὰς φύσεις, καὶ τὰς
δυνάμεις, καὶ τὰς χρήσεις τῶν πραγμάτων εὐρήσομεν τὰς μὲν μετεχέσθαι
μηδ' αὐτῶν τῶν ἰδεῶν μεγάλων κακῶν ἀτίας οὐσας· τὰς δὲ μετὰ δι-
καισύνης, καὶ σαφροσύνης γιγνομένας πολλὰ τὸν βίον τῶν ἀνθρώπων ἀφε-
λέσθαι.

Εἰ δὲ δὴ τίνας τῶν προγεγενημένων ἐπὶ ταύταις ταῖς ἀρεταῖς εὐ-
δοκίμησαν, ἠγῆμαι καὶ μοι προσέκειν τῆς αὐτῆς δόξης ἐκείνοις τυγχάνειν τὴν
μὲν οὖν δικαιοσύνην ἐκείθεν ἂν μάλιστα κατίδοιτε· παραλαβὼν γάρ ὅτ' εἰς
τὴν ἀρχὴν καθιστάμεν, τὰ μὲν βασίλεια χρημάτων κενά, καὶ πάντα
καταλαβόμενα, τὰ πράγματα δὲ ταραχῆς μετὰ, καὶ πολλῆς ἐπιμε-
λείας δέομενα καὶ φυλακῆς, καὶ διαπάνης, ἥδ' ὡς δ' ἐτέρους ἐν τοῖς τοιοῦτοις
καιροῖς ἐκπαντὸς πτόπου τὰ σφέτερόν αὐτῶν διορθωμένους, καὶ πολλὰ παρὰ τὴν φύ-
σιν τῶν αὐτῶν πράττειν ἀναγκαζομένους, ὅμως ἐδ' ὑφ' ἐνὸς τούτων διεφθάρην,
ἀλλ'

idque si antea fuerat dubitatum, fiat jam planum testibus atque
auctoribus diis, qui Jovi dicto audientes, proficentur præstare
unum omnibus imperare, quàm multos: sed quot sint Rerum-
publicarum species rationesque, nec inventu facile est, nec expli-
catu, et quæ de illis sunt a nobis in præsens dicta, sufficiunt.

Nos vero quàm congruenter principatum obtineamus, dicen-
dum jam est tum brevius quàm cetera recensuimus, tum etiam
verissime, quæque sint omnibus in confesso: quis vel fando
non audit, Teucrum, auctorem nobilitatis nostræ, adjunctis
secum majoribus aliorum civium, huc navigasse, ipsisque et po-
suisse civitatem, et regionem distribuisse? patremque meum Eva-
goram, aliis principibus variis casibus absumtis, post superata pe-
ricula principatum recepisse? quod ita in posterum firmavit, ut
ne unquam amplius post id temporis Phœnicibus servierimus, sed
ad eam familiam rediret regnum, quæ huic insulæ imperare con-
suevisset.

Reliquum est, ut de me ipso, quemadmodum promisi, non-
nulla loquar, verecunde quidem, sed tamen vere, fiducia sumta de
conscientia, ut intelligatis talem vobis esse Regem, qui non modo
ex progenitoribus, sed ex se ipso, et hac dignitate, et (si licet di-
cere) aliquanto majore, haud quaquam sit indignus: equidem sic
existimo justitiam et moderationem primum inter virtutes locum,
sententia omnium, obtinere; siquidem illæ non per se tantum sunt
nobis utiles, sed si naturas rerum ac vires ususque negotiorum
dispexeris, invenies, quæ procul ab his absunt virtutibus, gravis-
sima damna hominibus afferre, quæ vero his sint temperata at-
que condita, dici non posse quantum juvent humanam vitam.

Quod si aliquos ex majoribus nostris de hisce virtutibus ad-
miramur, opinor et ab hac laude non oportere me alienum cen-
seri; justitiam meam quidem hinc potissimum æstimeris velim,
nam quum obvenisset mihi regnum, primum pecunia exhaustum,
regiis opibus penitus consumtis, deinde perturbatis negotiis, ut
his maxima cura et custodia esset opus; quumque intellexissem
alios in ejusmodi temporibus quavis ratione ac via suis privatis
commodis solitos consulere, adactosque multa contra suum ipso-
rum ingenium admittere, nulla me tamen istarum rerum corrumpit,

quo-

quominus sancte ac legitime singula Regis munera obierim, nihilque ex his prætermiserim, quæ ad incrementa civitatis et felicitatem pertinerent: in civis autem tali sum usus mansuetudine, ut neque exilia, neque cædes, fortunarum neque direptiones, neque aliam calamitatem ullam sub principatu meo quisquam viderit; cumque nobis esset ob bellum, quod tunc inciderat, clausa Græcia, et nos undique expilaremur, ego tamen plurima ex his damnis resarsi, aliis tantundem largitus quantum amiserant, aliis bonam partem, ab aliis rapta precibus recepi, cum aliis, si cut potui, in gratiam redii.

Præter hæc omnia, quum incolæ insulæ hujus graviter essent erga nos animati, et Rex Persarum sub amicitiae specie male adversum nos cogitaret, utrumque incommodum sustuli, et Regi obsequentem me, et subditis justum præbendo; tantumque absum a cupiditate alienæ ditionis, quantum alii, si vicinos habebant paullo imbecilliores, subigendi illorum occasiones quæritant, ego vero dedentem se se mihi regionem recusavi, satius ratus solam meam per justitiam possidere, quam per injuriam multo amplio-rem; sed nihil video necesse esse circa singula immorari, præsertim quum generatim atque universe liceat mihi dicere, et quidem quum nullum mortalium injuria affecerim, plures tamen et meorum civium et ceterorum Græcorum beneficiis ac majoribus congiariis donisque prosequutus sum, quam Reges alii qui ante me fuerunt; decet enim eos qui de justitia gloriantur, quique pecuniæ videri contemptotes cupiunt, habere magnifica hæc, quæ de se ipsis, quum res postulet, possint prædicare.

Ceterum de temperantia illud amplius his, quæ atdivistis, referam, quod quum intellexissem homines omnes liberos, et uxores maximi facere, gravissimeque inflammari, si qua his sit allata vis aut injuria, eamque sæpenumero magnorum malorum esse originem, ac permultos, tum privatorum, tum etiam principum, ea de causa pessum ivisse; sic semper tanti mali seminarium devitavi, ut ex quo regnum adeptus sum, feminam nullam, præter uxorem meam, attigerim, haud ignarus, illos ab omnibus comprobari, qui alienis rebus minime injurii, ex privatis sibi legitimas parant voluptates; itaque illa omni tempore laboravi,

si-

ἀλλ' οὕτως οἰίας, καὶ κελῶς ἐπεμελήθη τῶν πραγμάτων, ὥστε μὴ ἐν ἐλ-
λείψειν, ἐξ ἃν οἶόν τ' ἦν ἀυξήθηαι, καὶ πρὸς εὐδαιμονίαν ἐπιδοῦμαι τὴν
πόλιν· πρὸς τε γὰρ τοὺς πολίτας μετὰ τοσαύτης φραστότητος φροσινέχθη,
ὥστε μήτε φυγὰς, μήτε θανάτους, μήτε χρημάτων ἀποβολὰς, μήτε ἄλλην
μηδρείαν τοιαύτην συμφορὰν ἐπὶ τῆς ἐμῆς γενεῆς βασιλείας. ἀβάτου δ'
ἡμῖν τῆς Ἑλλάδος οἰσὸς διὰ τὸν πόλεμον τὸν γεγενημένον, καὶ πάντα χεῖ-
ρὸν συλημένων ἡμῶν, τὰ πλεῖστα τούτων διέλυσαι, τοῖς μὲν ἅπαντα ἀποτίων,
τοῖς δὲ μέρη, τῶν δ' ἀναβάλλεσθαι δέουσαν, πρὸς δὲ τοὺς, ὅπως ἴδου-
νάμην περὶ τῶν ἐγκλημάτων διαλλαττόμενος.

Ἔτι δὲ καὶ τῶν τὴν γῆσον οἰκούντων δυσκόλως πρὸς ἡμᾶς διακειμέ-
νων, καὶ βασιλείας τῶ μὲν λόγῳ διηλλαγμένον, τῇ δ' ἀληθείᾳ πρᾶξις
ἔχοντος, ἐμφοτέρα ταῦτα κατεπαύνα, τῶ μὲν φροσῆμας ὑπηρετῶν, πρὸς
δὲ τοὺς δίκαιον ἐμαυτὸν παρέχων. τοσούτου γὰρ δέω τῶν ἀλλοτρῶν ἐπιθυ-
μεῖν, ὡς ἴ' ἕτεροι μὲν, ἦν καὶ μικρῶ μείζω τῶν ὁμοίων δύναμιν ἔχων,
ἀπωτέμενον τῆς γῆς, καὶ πλεονεκτητῆν ζητῶσιν· ἐγὼ δ' ἔλε τὴν διδομέ-
νην μοι χάραν ἠξίωσα λαβεῖν· ἀλλ' αἰσῆμα μὴ δικαιοσύνης τὴν ἐμαυτῶ
μόνην ἔχειν μάλλον, ἢ μὴ κακίας πολλαπλασίαν τῆς ὑπαρχύσης κτή-
σασθαι· καὶ τί λείπεται κατ' ἔχαστον λέγοντα διατρέβειν; ἄλλως τε καὶ συν-
τόμας ἔχοντα δηλώσαι περὶ ἐμαυτῶ; φανήσομαι γὰρ μηδένα μὲν πῶποτ'
ἀδικήσας, πλείους δὲ καὶ τῶν πολιτῶν, καὶ τῶν ἄλλων Ἑλλήνων εὖ πε-
ποικώς, καὶ μείζους δαίρεσιν ἐκατέροις δωδωκώς, ἢ σύμπαντες οἱ πρὸ ἐμῶ
βασιλεύσαντες· καὶ τοι χρὴ τοὺς μεγαφρονούντας ἐπὶ δικαιοσύνη, καὶ φροσῆμα-
τους χρημάτων εἶναι κρείττους, τοιαύτας ὑπερβολὰς ἔχειν ἐπιτεῖν περὶ αὐτῶν.

Καὶ μὲν δὴ καὶ περὶ σωφροσύνης ἐτι μείζω τούτων ἔχω διελθεῖν· εἰδὼς
γὰρ ἅπαντας ἀνθρώπους περὶ πλείους παιγμένους τοὺς παῖδας τοὺς ἐαυτῶν,
καὶ τὰς γυναῖκας, καὶ μάλιστα ὀργιζομένους τοῖς εἰς ταῦτα ἐξαμαρτάνουσι,
καὶ τὴν ὕβριν τὴν περὶ ταῦτα μεγίστων κακῶν αἰτίαν γιγνομένην, καὶ πολλοὺς
ἤδη τῶν ἰδιωτῶν, καὶ τῶν δυναστευόντων διὰ ταύτην ἀπολλυμένους, οὕτως
ἔφυγον τὰς αἰτίας ταύτας, ὥστε ἐξ ἑ τὴν βασιλείαν ἔλαβον, ἕλεν φανήσομαι
σώματι σωφροσικῶς, πλὴν τῆς ἐμαυτῶ γυναικὸς ἐκ ἀγνοῶν, ὡς κακείνοι παρὰ
τοῖς πολλοῖς εὐδοκίμῶσιν, ὅσοι περὶ μὲν τὰ τῶν πολιτῶν δίκαιοι τυγχάνου-
σιν ὄντες, ἄλλοθεν δέποθεν ἑαυτοῖς ἐπορίσαντο τὰς ἡδονὰς· ἀλλὰ βεβλόμενος

Tom.V.

N

ἅμα

ἄμα μὲν ἑμαυτὸν ὡς παρράτατο ποιῆσαι τῶν τοιούτων ὑποψιῶν, ἄμα ὃ παρ᾽ ἐδύναμιον κραταῖον τὸν ἑμαυτοῦ τοῖς ἄλλοις πολιταῖς, γηνώσκων, ὅτι φιλεῖ τὸ πλεῖστον ἐν τοῦτοις τοῖς ἐπιτηδεύμασι τὸν βίον διαίγειν, ἐν οἷς ἂν τοὺς ἄρχοντας τοὺς ἑαυτῶν ὀρώσι διατρέβοντα.

Ἐπειτα καὶ προσήκειν ἠγησάμεν, ποσούτω τοὺς βασιλέας βελτίους εἶναι τῶν ἰδιωτῶν, ὅσα περὶ καὶ τὰς τιμὰς μείζους αὐτῶν ἔχουσι, καὶ δεινὰ ποιεῖν, ὅσοι τοὺς μὲν ἄλλους κοσμίως ζῆν ἀναγκάζουσιν, αὐτοὶ δ' αὐτοὺς μὴ σωφρονετέρας τῶν ἀρχομένων παρέχουσι· ἀρᾶς δὲ ἰούτοις, τῶν μὲν ἄλλων ἀράζων ἐάρων ἐγκρατεῖς καὶ τοὺς πολλοὺς γηνομένους· τῶν ὃ ἐπιθυμιῶν τῶν περὶ τοὺς παῖδας, καὶ τὰς γυναῖκας καὶ τοὺς βελτίους ἠτιώμενους. ἠβελήθην οὖν ἐν τοῦτοις ἑμαυτὸν ἐπιθεῖξαι καρτερεῖν δυνάμειον, ἐν οἷς ἔμελλον εἶ μόνον τῶν ἄλλων διαίσειν, ἀλλὰ καὶ τῶν ἐπ' ἀρετῇ μεγαφρονούντων· ἔτι δὲ καὶ τῶν τοιούτων πολλὴν κερκίαν κατεργάσκων, ὅσοι γυναῖκας λαβόντες, καὶ κοινῶν ποιησάμενοι πάντας τῆς βίης, μὴ φέρουσι οἷς ἐπράξαν· ἀλλὰ ταῖς αὐτῶν ἠδοναῖς λυποῦσι ταύτας, ὑφ' ἧν αὐτοὶ μηδὲν ἀξίον λυποῦντο· καὶ περὶ μὲν ἄλλας κοινῶν τιμὰς ἐπιεικεῖς σφᾶς αὐτοὺς παρέχουσι· ἐν δὲ ταῖς ἀρᾶς τὰς γυναῖκας ἐξαμαρτάνουσιν, ὡς ἔδει ποσούτω μᾶλλον διαφυλάττειν, ὅσα περὶ οὐκείωτερα καὶ μείζους οὔσαι τυγχάνουσι τῶν ἄλλων· εἴτα καὶ λαυθάνουσιν ἔθρονον ἐν αὐτοῖς τοῖς βασιλείοις, στάσεις καὶ διαφορὰς ἑαυτοῖς ἐγκαταλείποντες.

Καὶ τοὶ χρὴ τοὺς ὀρθῶς βασιλεύοντας μὴ μόνον τὰς πόλεις ἐν ὁμοιοῦσι περιεῖξαι διαίγειν, ἂν ἂν ἀρχουσιν, ἀλλὰ καὶ τοὺς ἰδίους οἴκους, καὶ τοὺς τόπους, ἐν οἷς ἂν κατοικῶσιν· ἅπαντα γὰρ ταῦτα σωφροσύνης ἔργα, καὶ δικαιοσύνης ἐστίν· ἔτι αὐτὴν δὲ γνώμην ἔχον ὑδὲ περὶ τῆς παιδοποιίας τοῖς πλείστοις τῶν βασιλέων· ἐστ' ἠέθην δεῖν τοὺς μὲν ἐκ ταπεινότερας ποιῆσαι τῶν παίδων, τοὺς δ' ἐκ σεμνοτέρας· ἔτι δὲ τοὺς μὲν νόθους αὐτῶν, τοὺς δὲ γνησίους καταλιπεῖν, ἀλλὰ πάντας ἔχειν ἐν αὐτῇ φύσει· καὶ ἀρᾶς πατρὸς, καὶ ἀρᾶς μητρὸς ἀνεγκεῖν, τῶν μὲν θνητῶν εἰς Εὐαγόραν τὸν πατέρα τὸν ἐμὸν, τῶν δ' ἠμυθῶν, εἰς Αἰακίδα, τῶν δὲ θεῶν, εἰς Δία· καὶ μηδένα τῶν ἐξ ἐμῶν γηνομένων ἀποστρεφθῆναι ταύτης τῆς εὐγενείας.

πολ-

simul ut quàm longissime recederem ab ejusmodi suspicionibus, simul ut mores meos velut exemplum proponerem civibus meis ad imitandum, edocrus in ea studia multitudinem propensam ruere, quæ vident suis Principibus placere: tum et congruere arbitratum sum, hoc debere Reges privatis hominibus esse meliores, quanto et præcellunt dignitate; remque illos facere indignam, qui subditos suos quum cogant honeste vivere, ipsi tamen non præbent se illis moderatiores.

Postremo, cetera quidem aspera et dura facile quum viderem plerosque hominum æquabiliter tolerare, affectus vero erga liberos et uxores etiam in viris optimis validissimos ac impotentes esse, ut illis obsistere non queant, studui in istis me temperantem ostendere, in quibus non solum vulgum superare contendi, sed viros quoque inclitos virtute: damnavi præter hæc omnia flagitiosam illorum pravitatem, qui quum uxores duxissent in vitæ totius communionem, non iis contenti, quæ cœlibes patraverant, etiam propriis suis voluptatibus uxores mœrore afficerent, a quibus uxoribus si quid illis subasperum contingeret, graviter indignarentur; quumque in reliqua vitæ communiōne perquam commodos se exhiberent, in uxores tamen essent perincommodi, in quas tanto convenit viros esse leniores et tractabiliores, quod illæ in secretissimis vitæ nostræ nobiscum agunt, plurimum et potiorum rerum nostrarum participes: ita fit, ut frequenter in ipsis intimis aulis seditiones ignari alant, et dissensiones post se relinquunt.

Decet eos qui regnum recte administrant, non modo civitates, quibus præsent, in concordia continere, sed singulas quoque domos, denique loca omnia, quæ incoluntur, hæc enim universa justitiæ sunt et moderationis opera; circa liberos vero nec in eadem sententia sum, qua plerique omnes Reges, nec convenire mihi censeo alios ex humilioribus feminis tollere, alios ex generosioribus, ut hos quidem relinquam nothos, illos vero legitimos. Id magis navabo operam, ut pari sint mihi omnes nobilitate, et paterna et materna, referentes genus, ex mortalibus quidem, in Evagoram parentem meum, ex Heroibus, in Æacidas, ex diis immortalibus, in Jovem, nec ullus ex me genitus, quantum a me præstari poterit, hoc carebit sanguinis decore.

Et

Et quum alia permulta adhortantur me ut in cœptis virtutum studiis insistam, tum nihil validius, quam quod cerno et fortitudinem, et fortunam, et alia in vulgus probata, multis quoque malorum hominum contingere, justitiam vero, sapientiam, animi moderationem a solis bonis atque excellentibus viris possideri; quocirca pulcherrimum duxi esse, si quis, vel ceteris neglectis rebus, has tamen virtutes nanciscatur, non habiturus eas cum improbis hominibus communes, quum sint tamen præclarissimæ, firmissimæ, maximæ, summis et singularibus præconiis multo dignissimæ.

Hæc considerans, accuratius continentiam et justitiam exercui, quam reliqua omnia, hasque anteposui voluptatibus, non illis modo, quæ ex operibus nullius precii veniunt, verum etiam iis, quæ ex gloria per strenuitatem parva proficiscuntur; experimenta vero virtutum non sunt ex ipsarum tantummodo naturis sumenda, sed sic potius: in difficultatē rei familiaris exploramus justitiam, in potentia moderationem, in juvena robur: in his ego omnibus occasionibus ingenii mei documenta dedi, siquidem relictus a patre pecuniæ indigus, eam justitiam præstiti ut nemini nocuerim civium; inito principatu, ex summa rerum omnium licentia continentior me, quam privatos experti estis; et utrumque horum feci ea ætate, quæ in plurimis hominum circa res vitæ parum instructa esse, aut uti consilio solet.

Verum hæc ipse supersedissem dicere, si apud alios verba facerem, non quod laudem fugiam, sed quod dicta forsitan fidem non invenissent; vos vero eorum, quæ dixi, testes habeo: quapropter, quum eos, qui a natura sunt ad virtutem compositi, laudari atque admirationi esse par est, tum vel præcipue illos, qui virtutem ex instituto et proposito capessunt, nam qui casu, et non consulto, bene agunt, casu etiam a virtute discedunt, qui vero adulti jam illud obfirmant, atque infigunt animis, maximum bonorum omnium esse virtutem, indubie per totam vitam in eo proposito persistunt: idcirco tam diffuse et de me ipso, et de aliis, sicuti audivistis, permultis locutus sum, ne quis reliquus fiat prætextus, quominus oporteat vos libentes alacresque quæ ego præscripsero, quæque suasero, exequi.

ER-

πολλῶν δὲ με προτεροῦντων ἐμμένεν τοῖς ἐπιτηδεύμασι τοῦτοῖς, ἔχ' ἡμεῖς μὲν κακίῃ παρεκάλειν, ὅτι δὲ μὲν ἀνδρείας καὶ τῆς δουλότητος, καὶ τῶν ἄλλων τῶν εὐδοκίμωντων ἑάρων καὶ τῶν κακῶν ἀνδρῶν πολλοὺς μητέροντας, τὴν δὲ σωφροσύνην, καὶ τὴν δικαιοσύνην ἴδια κτήματα τῶν καλῶν, κἀγαθῶν ὄντα. κάλλιστον οὖν ὑπέλαβον, εἴ τις δύναίτο ταύταις ταῖς ἀρεταῖς ἀρσάχειν τὸν νοῦν τῶν ἄλλων ἀφελόμενος, ἂν μὴ μὲν μέρος τοῖς πονηροῖς μέτερον, ἀλλὰ καὶ γησιώτατα, καὶ βεβαίωτατα, καὶ μέγιστα, καὶ μεγίστων ἐπαίμων ἀξίαι τυγχάνωσι οὖσα.

Τούτων ἕνεκα ταῦτα διανοηθεὶς, περὶ τῶν ἄλλων ἡσκησα τὴν σωφροσύνην, καὶ τὴν δικαιοσύνην, καὶ ταύτας προεβλόμην τῶν ἡλιθίων, ἔτι τὰς ἐπὶ τοῖς ἔργοις μηδελίαν τιμὴν ἔχουσας, ἀλλὰ τὰς ἐπὶ ταῖς δόξαις ταῖς δι' ἀνδραγαθίαν γενομένας: χρὴ δὲ δοκιμάζειν τὰς ἀρετάς, ἢ ἐν ταῖς αὐταῖς ἰδέσθαι ἀπάσας, ἀλλὰ τὴν μὲν δικαιοσύνην ἐν ταῖς ἀπορίας, δὲ δὲ σωφροσύνην ἐν ταῖς δυναστείαις, τὴν δὲ καρτερίαν ἐν ταῖς τῶν νεωτέρων ἡλικίαις. ἐγὼ τοίνυν ἐν ἅπασιν τοῖς καιροῖς τοῦτοῖς φανήσομαι πείραν τῆς ἑμαυτῆ φύσεως δεδωκώς. ἐνδεὴς μὲν γὰρ χρημάτων καταλιπεθεὶς, οὕτω δίκαιον ἑμαυτὸν παρέχον, ὥστε μηδένα λυπῶσαι τῶν πολιτῶν. λαβὼν δ' ἐξουσίαν, ὥστε ποιεῖν, ὅ,τι ἐν βέλωμαι, σωφρονέτερος τῶν ἰδιωτῶν ἐγερόμην: τούτων δ' ἀμφοτέρων ἐκράτησα ταύτην ἔχων δὲ ἡλικίαν, ἐν ἣ τούτῳ πλείστους ἐν εὐροίῳ μάλιστα περὶ τὰς πράξεις ἐξαμαρτάνοντας.

Καὶ πάντα ταῦτα ἐν ἑτέροις μὲν ἴσως ἐν ὄκνῳ ἐπαεῖν, ἔχ' ὡς ἐ φιλοτιμύμην ἐπὶ τοῖς πεπραγαμένοις, ἀλλ' ὡς ἐκ ἐν πιστευθεὶς ἐκ τῶν λεγομένων: ὑμεῖς δ' αὐτοὶ μοι μάρτυρες ἔστε πάντων τῶν εἰρημένων: ἀξιὸν μὲν οὖν καὶ τοὺς φύσει κοσμίους ὄντας ἐπανεῖν, καὶ θαυμάζειν. ἔτι δὲ μᾶλλον τοὺς καὶ μὴ λογισμῶ τοιούτους ὄντας: οἱ μὲν γὰρ τύχη, καὶ μὴ γνώμη σωφρονούτες, τυχὸν ἐν καὶ μεταπειθεῖεν: οἱ δὲ πρὸς τῷ πεφυκέναι, καὶ διεγνωκότες ὅτι μέγιστόν ἐστι τῶν ἀγαθῶν ἀρετὴ, δῆλον, ὅτι πάντα τὸν βίον ἐν ταύτῃ τῇ τάξει διαμένονσι. διὰ τῆτο δὲ πλείους ἐπονομάμην τοὺς λόγους καὶ περὶ ἑμαυτῆ, καὶ περὶ τῶν ἄλλων τῶν προσηρημένων, ἵνα μηδελίαν ὑπολίπω πρὸφασιν, ὡς ἐ δεῖ ποιεῖν ὑμᾶς ἐκόντας, καὶ προθύμως, ἅπτ' ἐν ἐγὼ πρὸς ἀξίω, καὶ συμβεβλήσω.

Tom. V.

O

ΦΗ-

ΦΗΜΙ δὴ πράττειν ἕκαστον ὑμῶν, ἐφ' οἷς ἐφέστηκαν, ἐπιμελῶς, καὶ δικαίως· καθ' ὁπότερον γὰρ ἂν ἑλληνικῆ τι τούτων, ἀνάγκη ταύτη κακῶς ἔχῃ τὰς πράξεις, μηδενὸς οὖν ὀλιγοφρεΐτε, μὴ καταφρονεΐτε τῷ ὑπολαμβάνοντες, ὡς ἔπαρὰ ταῦτ' ἐστίν· ἀλλ' ὡς παρ' ἕκαστον τῶν μερῶν ἢ καλῶς, ἢ κακῶς ἔξω τὸ σύμψαν, οὕτω ἀσπιδάζετε περὶ αὐτῶν.

Καὶ κίθεαθε μηδὲν ἧττον τῷ ἑμῶν, ἢ τῶν ὑμετέρων αὐτῶν· καὶ μὴ νομίζετε μικρὸν ἀγαθὸν εἶναι τὰς τιμὰς, ἃς ἔχουσιν οἱ καλῶς τῶν ἡμετέρων ἐπιπρατοῦντες·

Ἀπέχεσθε τῶν ἀλλοτριῶν, ἵν' ἀσφαλέστερον τοὺς οἴκους τοὺς ὑμετέρους αὐτῶν κέκτησθε.

Τοιούτους εἶναι χρὴ περὶ τοὺς ἄλλους ὑμᾶς, οἷόν περ ἑμὲ περὶ ὑμᾶς ἀξίετε γίνεσθαι.

Μὴ ἀπειθετέ πλεῖστον μᾶλλον, ἢ χρηστοὶ δοκεῖν εἶναι, γιγνώσκοντες, ὅτι καὶ τῶν Ἑλλήνων, καὶ τῶν Βαρβάρων οἱ μεγίστας ἐπ' ἀρετῇ δόξας ἔχοντες, πλείστον ἀγαθῶν δεσπόται κερδίζανται.

Τοὺς χρηματισμοὺς τοὺς παρὰ τὸ δίκαιον γιγνομένους ἡγεῖσθε μὴ πλοῦτον ἀλλὰ κίνδυνον ποιήσων.

Μὴ τὸ μὲν λαβεῖν, κέρδος εἶναι νομίζετε, τὸ δ' ἀναλῶσαι, ζημίαν· ἐλθέτερον γὰρ τούτων αἰετὴν αὐτὴν ἔχει δύναμιν· ἀλλ' ὁπότερον ἂν ἐν καιρῷ, καὶ μετ' ἀρετῆς γίγνηται, τῷτ' ἀφελήσει τοὺς ποιόντας.

Μὴ δὲ πρὸς ἐγκαλεπῶς ἔχετε τῶν ὑπὸ ἑμῶν ὑποπρατομένων· ὅσοι γὰρ ἂν ὑμῶν περὶ πλείστα τῶν ἑμῶν χρησίμους αὐτοὺς παρὰ χάσιν, ὅσοι πλείστα τοὺς οἴκους τοὺς ἑαυτῶν ἀφελήσουσιν.

Οἱ, τι ἂν ὑμῶν ἕκαστῳ αὐτὸς αὐτῷ τύχη συνειδῶς, ἡγεῖσθε μηδὲ ἑμὲ λήσων· ἀλλ' ἑάν καὶ τὸ σῶμα τοῦμόν μὴ παρῆ, τὴν γε διάνοιαν τὴν ἑμὴν οἰεσθῶ τοῖς γιγνομένοις παρεστάναι· ταύτην γὰρ τὴν γνώμην ἔχοντες σαφροτέστερον ἂν βυλεύσαιθε περὶ αὐτῶν.

Μηδὲν ἀποκρίψασθε μήθ' ἂν κέκτησθε, μήθ' ἂν ποιήτε, μήθ' ἂν μέλλετε πράττειν, εἰδότες, ὅτι περὶ τὰ κερυμμένα τῶν πραγμάτων ἀναγκαῖόν ἐστι πολλοὺς φόβους γίνεσθαι.

Μὴ τεχνικῶς ζητεῖτε πολιτείας, μὴ δ' ἀφανῶς ἀλλ' οὕτως ἀπλῶς, καὶ φανερῶς, ἄστε μὴδ', ἂν τις βέλῃται, ῥάδιον εἶναι ὑμᾶς διαβάλλειν.

ERGO præcipio, ut unusquisque quod sibi munus obvenierit, id diligenter ac fideliter obeat, quorum si alterutrum desit, negotia ut prave gerantur necesse erit: nihil ergo ex his, quæ dixerò, prætermittatis; est enim unumquodque velut cuiusdam corporis pars, quod sine ea constare non potest: itaque tanta est singularis cura adhibenda, quantum illud ipsum totum curatum vobis expedit.

Et mea ipsius non alio habete loco, quàm vestro; neque exiguum censueritis bonum, honorem, qui ad illos redit, qui res nostras bona fide administrant.

Ab alienis manum continete, ut vestras ipsorum fortunas tutius possideatis.

Tales oportet vos aliis exhibere, qualem me cupitis erga vos.

Ne laboretis ditescere potius, quàm bonam vobis æstimationem parare; haud ignari, et apud Græcos, et apud Barbaros, illos qui optime de virtutibus audiunt, ingentibus bonis præfici.

Emolumenta, quæ per injuriam quæruntur, ne divitias creditis esse, sed pericula.

Nequaquam existimandum est, accipere esse lucrum, et damnum expendere, nam utrunque horum ex virtute æstimandum est, non ex se ipso.

Nihil ex jussis meis grave sit vobis; quotquot enim utilissimos se mihi præbent, ii quoque ex ea re uberrimos capiunt fructus.

Nemo vestrum existimet, vel conscientiam suam clam esse; nam etsi corpore vestris actibus absum, animo tamen putate me semper præsentem esse: quæ cogitatio si apud animos vestros valeat, sapientius vos et moderatius geretis.

Nihil celaveritis, seu possideris quid, seu facitis, seu meditamini, scientes, metum semper earum rerum, quas occultare concupiscitis, comitem esse.

Ne vafre, aut tecte versemini inter cives, sed ita simpliciter atque aperte, ut nemini facile sit vos calumniari, licet maxime affecter.

Singulas actionum perpendite, et illas existimate reprobas, quas velletis me celare, illas autem probas, quæ si ad meas aures pervenerint, meliores vos de illis ipsis indicavero.

Ne reticeatis, si quos cognoveritis male erga principatum meum affectos, sed hos objurgate, atque arbitramini eodem teneri crimine et peccantes, et eos a quibus occultantur.

Felices judicate non eos, qui si quid peccaverint, non deprehenduntur; sed eos, qui nihil peccant; et hos dignos esse pro meritis præmio, illos vero pro delictis supplicio.

Cœtus, et congregationes, citra meam approbationem, nullas celebrate, tales enim conventus, ut non sint in Rebuspublicis inutiles, certe in regnis periculosi sunt.

Non solum a peccatis est vobis abstinendum, sed ab iis etiam exercitamentis, quibus necesse est suspiciunculam aliquam subesse.

Amicitiam meam, tutissimam, et maxime stabilem existimate; coliteque præsentem rerum statum, nec rebus novis studeatis, non ignorantibus per ejusmodi rerum mutationes interire civitates, et privatas domus funditus concidere.

Nemo vestrûm putet, Reges aut commodos aut incommodos ex sua ipsorum natura magis fieri, quàm ex subditorum moribus, multi enim propter subditorum vitia, coacti sunt asperius regnum administrare, quàm suum ingenium ferebat.

Fidite non tam meæ mansuetudini, quàm vestræ virtuti; et me tutum agere, hoc demum vestrum esse munimentum ducitote; ut enim res meæ se se habuerint, sic habebunt et vestræ.

Imperio meo morigeros atque obsequentes vos præbete; ac ferte animis æquis regios mores; legesque a me datas custodite.

In publicis civitatis functionibus, iisque, quæ a me fuerint constituta, pro magnificis atque splendidis facite.

Juvenes ad virtutem exhortamini, non monitis tantum, sed exemplis vestrarum actionum monstrantes, cujusmodi deceat esse viros bonos.

Do-

Δοκιμάζετε τὰς πράξεις, καὶ νομίζετε πονηρὰς μὲν, ἂν ἂν φράσσονται ἐμὲ βούλοσθε λαμβάνειν· χρηστὰς δὲ, περὶ ὧν ἂν ἐγὼ μέλλω πυνθόμενῳ βελτίους ὑμᾶς νομεῖν.

Μὴ χρισιοῦσθε, εἰάν τις ὄρατε περὶ τῆς ἀρχῆς τὴν ἐμὴν πονηροῦς ὄντας, ἀλλ' ἐξελέγχετε, καὶ νομίζετε τῆς αὐτῆς εἶναι ζημίας ἀξίους τοὺς συγκρίποντας, τοῖς ἐξαμαρτάνουσιν.

Ευτυχεῖς δὲ νομίζετε μὴ τοὺς λαμβάνοντας, εἰάν τι κακὸν ποιήσασιν, ἀλλὰ τοὺς μηδὲν ἐξαμαρτάνοντας· τοὺς μὲν γὰρ ἐκὸς τοιαῦτα παθεῖν, οἷά περ αὐτοὶ ποιεῖσι, τοὺς δὲ χάριν ἀπολαβεῖν, ἧς ἀξιοὶ τυγχάνουσιν ὄντες.

Εταιρίας μὴ ποιεῖτε, μήτε συνόλους ἀνευ τῆς ἐμῆς γνώμης· αἱ γὰρ τοιαῦτα συστάσεις ἐν μὲν ταῖς ἄλλαις πολιταῖς πλεονεκτοῦσιν, ἐν δὲ ταῖς μοναρχίαις κηδυνεύουσιν.

Μὴ μόνον ἀπέχεσθε τῶν ἀμαρτημάτων, ἀλλὰ καὶ τῶν ἐπιτηδευσμάτων τῶν τοιούτων, ἐν οἷς ἀναγκαῖόν ἐστι ὑποψίαν γίνεσθαι.

Τὴν ἐμὴν φιλίαν ἀσφαλεστέτην, καὶ βεβαιωτέτην εἶναι νομίζετε, καὶ διαφυλάττετε τὴν παρῶσαν κατάστασιν, καὶ μηδεμιᾶς ἐπιθυμεῖτε μεταβολῆς, εἰσότες, ὅτι διὰ τὰς τοιαύτας τοραχὰς, ἀναγκαῖόν ἐστι καὶ τὰς πόλεις ἀπόλλυσθαι, καὶ τοὺς οἴκους τοὺς ἰδίους ἀναστῆναι γήνεας.

Μὴ μόνον τὰς φύσεις αὐτίας νομίζετε τῶν χαλεποῦς, ἢ πράξας εἶναι τοὺς τυράνους, ἀλλὰ καὶ τὸν πρόπον τῶν πολιτῶν· πολλοὶ γὰρ ἤδη διὰ τὴν τῶν ἀρχομένων κακίαν τραχύτερον, ἢ καὶ τὴν ἑαυτῶν γνώμην ἀφῆσαν ἠναγκάσθησαν.

Θαρρεῖτε μὴ διὰ τὴν ἐμὴν μάλλον φραδύτητα, ἢ διὰ τὴν ὑμετέραν αὐτῶν ἀρετὴν τὴν ἐμὴν ἀσφάλειαν, ἀλειαν αὐτοῖς εἶναι νομίζετε· καλῶς γὰρ τῶν περὶ ἐμὲ κειμένων, τὸν αὐτὸν πρόπον καὶ τὰ περὶ ὑμᾶς αὐτοὺς ἔξει.

Ταπεινοὺς μὲν εἶναι χρὴ πρὸς τὴν ἀρχὴν τὴν ἐμὴν, ἐμμένοντας τοῖς ἤθεσι, καὶ διαφυλάττοντας τοὺς νόμους τοὺς βασιλικούς.

Λαμφοῦς δ' ἐν τε ταῖς ὑπὲρ τῆς πόλεως λειτουργίαις, καὶ τοῖς ὑπὲρ ἐμῶν φοροαττομένοις.

Προτρέψετε τοὺς νεωτέρους ἐπὶ ἀρετὴν μὴ μόνον παραινοῦντες, ἀλλὰ καὶ περὶ τὰς πράξεις ὑποδεικνύντες αὐτοῖς, ὁποῖός εἶναι χρὴ τοὺς ἀνδρας τοὺς ἀγαθοῦς.

Tom.V.

P

Δι-

Διδάσκετε τοὺς παῖδας τοὺς ὑμετέρους αὐτῶν βασιλεύεσθε, καὶ περὶ τὴν παιδείουσαν τῆς τοιαύτης ἀρετῆς ἐβίζετε αὐτοὺς ὡς μάλιστα διατρέβειν· ἐὰν γὰρ ἀρχεσθε μάθωσι, πολλῶ μᾶλλον ἀρχεῖν δυνήσονται· καὶ πιστοὶ μὲν ὄντες, καὶ δίκαιοι μεθέξουσι τῶν ἡμετέρων ἀγαθῶν, κακοὶ δὲ γενόμενοι κινδυνεύουσι περὶ τῶν ὑπαρχόντων.

Μέγιστον ἠγεῖσθε τοῖς παισὶ, καὶ βεβαιοτάτον πλεῖστον παραδώσειν, ἐὰν αὐτοῖς δύνωθε ἢ ἡμετέραν εὐνοίαν καταλιπεῖν.

Αθλιωτάτους ἠγεῖσθε, καὶ δυστυχεστάτους, ὅσοι περὶ τοὺς πιστεύσαντας ἀπιστοὶ γενόμενοι· ἀνάγκη γὰρ τοὺς τοιούτους ἀθύμως ἔχοντας, καὶ φοβημένους ἅπαντα, καὶ μηδὲν μᾶλλον πιστεύοντας τοῖς φίλοις, ἢ τοῖς ἐχθροῖς τὸν ἐπίλοιπον χρόνον διάγειν.

Ζητέτε μὴ τοὺς πλεῖστα κεκτημένους, ἀλλὰ τοὺς μηδὲν κερδὸν σφίσι αὐτοῖς συνειδόμενος· μετὰ γὰρ τοιαύτης ψυχῆς ἡδίων ἂν τις τὸν εἶον δύναιτο διάγειν.

Μὴ τὴν κερδαίνουσαν μὲν πολλὸν τῆς ἀρετῆς ἀφελεῖν νομίζετε, τὸ δὲ ὄνομα δυσχερέστερον ἔχειν· ἀλλ' οἷον περὶ ὀνομάτων ἕκαστα τῶν πραγμάτων τετύχηκε, τοιαύτας ἠγεῖσθε καὶ τὰς δυνάμεις αὐτῶν εἶναι.

Μὴ φρονεῖτε τοῖς παρ' ἐμῶν πρωτεύουσιν, ἀλλὰ ἀμιλλᾶσθε, καὶ πειράσθε χρηστὸς ὑμᾶς αὐτοὺς παρέχοντας ἐξισῶσθαι τοῖς ἀρχέουσιν· φιλεῖν ἴεσθε δεῖν, καὶ τιμᾶν, οὐς περὶ ἂν καὶ ὁ βασιλεὺς, ἵνα καὶ παρ' ἐμῶν τυγχάνητε τῶν αὐτῶν τούτων.

Οἷά περ παρόντων ἐμῶν λέγετε, τοιαῦτα καὶ ἀπόντων φρονεῖτε.

Τὴν εὐνοίαν ἢ πρὸς ἡμᾶς ἐν τοῖς ἔργοις ἐνδείκνυσθε μᾶλλον, ἢ τοῖς λόγοις.

Αἱ πάχοντες ὑφ' ἑτέραν ὀργίζεσθε, ταῦτα τοῖς ἄλλοις μὴ ποιεῖτε.

Περὶ ἂν ἂν ἐν τοῖς λόγοις κατηγορεῖτε, μηδὲν τούτων ἐν τοῖς ἔργοις ἐπιτηδεύετε.

Τοιαῦτα προσδοκᾶτε πράξαι, οἷα ἂν περὶ ἡμῶν διανοεῖσθε.

Μὴ μόνον ἐπαυεῖτε τοὺς ἀγαθοὺς, ἀλλὰ καὶ μιμεῖσθε.

Τοὺς λόγους τοὺς ἐμῶν νόμους εἶναι νομίζετε· καὶ πειράσθε τούτοις ἐμμένειν, εἰδότες, ὅτι τοῖς μάλιστα ποιεῖσιν ὑμῶν, ἢ βούλομαι, τούτοις ἐξέτασται ζῆν, ὡς αὐτοὶ βέλονται.

Docete liberos vestros modeste sub regno vivere, atque illos huic rei assuefacite; nam si parere prius didicerint imperio, multo dexterius poterunt deinceps imperare: quumque evaserint æqui ac fideles, participes erunt nostræ fortunæ, sin vero evadant mali, de sua quoque in periculum venient.

Maximam et stabilissimam hereditatem putate vos filiis tradituros, si illis meam benevolentiam reliqueritis.

Infortunatissimos ac miserrimos censete illos, qui fidentibus fidem non servant; oportet enim ejusmodi homines dejectis animis perpetuam vitam agere, non amicis magis, quàm inimicis confisos, ad omnia semper pavidos.

Æmulamini, non locupletes, sed eos, qui nullius maleficii sunt sibi ipsis conscii; nam hæc demum est vita jucundissima quæ per tranquillissimos affectus traducitur.

Ne credideritis posse vos plus a malitia, quàm a virtute adjuvari; ac reputate, non de nihilo esse nomina rebus indita, taleque esse quidque, quale nomen sortitum est.

Ne invidetis iis, quos ego ad summa evexi loca, sed labore ac diligentia contendite ut illis exæquemini: convenit, vos et illos amare, quos ego amo, ut eadem a me consequamini, quæ et illi.

Talia me absente cogitate, qualia dicitis præsentem.

Benevolentiam erga me operibus magis declarate, quàm verbis.

Ne aliis ea feceritis, quæ si vobis fierent, ægre ferretis.

Quæ in sermonibus reprehenditis, hæc operibus ne exequimini.

Expectate talia vobis eventura, qualia de nobis cogitatis.

Ne sufficiat vobis bonos laudasse; imitamini quoque.

Sermones meos legem esse existimatote, quam ut custodiat annitendum vobis est; ac scitote, iis qui fecerint quæ ego volo, facultatem affore vivendi ut ipsi volent.

Summa dicatorum omnium hæc esto: Cujusmodi censeretis debere in vos esse vestros subditos, tales decet vos ipsos præbere erga meum principatum.

Quæ si feceritis; quid opus est multis verbis explicem quanti fructus consequentur? Nam si ego talis esse pergam qualem hactenus sensistis, et vos sic in posterum audientes dictis sitis quemadmodum hucusque, videbitis profecto brevi tempore, et auctas fortunas vestras, et principatum meum condecoratum, et felicem universam civitatem.

Et quum talium bonorum gratia nullus labor recusandus esset, nullum periculum deberet videri formidandum, tamen vobis licet citra molestiam omnem, justitia sola et fide, cuncta, quæ diximus, plenissime præstare.

ISOCRATIS NICOCLIS JOAN. LUDOVICO VIVE.
interprete, finis.




Κεφάλαιον δὲ τῶν ἐρημένων, οἷους περ ἂν τοὺς ὑφ' ὑμῶν ἀρχομένους οἶεσθε δεῖν περὶ ὑμᾶς εἶναι, τοῖς τοῦτο χρὴ περὶ τὴν ἀρχὴν τὴν ἐμὴν ὑμᾶς γίνεσθαι.

Καὶ ταῦτ' εἰάν ποιεῖτε, τί δεῖ περὶ τῶν συμβησομένων μαυρολογεῖν; ἦν γὰρ ἐγὼ τε παρέχω τοῖς τοῦτο ἑμαυτὸν, διὸν περ ἐν τῷ παρελθόντι χρόνῳ, καὶ τὰ παρ' ὑμῶν ὁμοίως ὑπερητήται, ταχέως ἔφεσθε καὶ τὸν βίον τὸν ὑμέτερον αὐτῶν ἐπισθεδωκότα, καὶ τὴν ἀρχὴν τὴν ἐμὴν ὑψημμένην, καὶ τὴν πόλιν εὐδαίμονα γεγενημένην.

Ἄξιον μὲν οὖν τηλικύτων ἀγαθῶν ἕνεκα μηδὲν ἐλλείψω, ἀλλὰ καὶ πόρους, καὶ κινδύνους ὑπενεργεῖν ὑμῖν γ' ἔξεστι μηδὲν ταλαιπωρηθεῖν, ἀλλὰ πιστοῖς μόνον, καὶ δικαίαις οὖσιν ἅπαντα ταῦτα διαπράξασθαι.

ΤΟΥ ΝΙΚΟΚΛΕΟΥΣ ΤΟΥ ΙΣΟΚΡΑΤΟΥΣ

Τέλος.



JOANNES LUDOVICUS VIVES

REVERENDISSIMO D. ERARDO A MARCA,
Episcopo Leodiensi, et Archiepiscopo Valentino
designato, S. D.

Valentino-
rum inge-
nium.

Regio Va-
lentina qua-
lis.

UTris prius gratulabor, R. Pater, Princepsque Illustrissime, quod Valentinus Archiepiscopus factus sis, Tibine, an mihi, civibusque meis? utrisque namque est gratulandum; et Tibi, cui is contigit Episcopatus, qui tum animis populi Tui, tum amœnitate regionis, non poterit Tibi non jucundissimus gratissimusque esse; multitudo enim illa est naturâ læta, alacris, facilis, tractabilis, obediens; in Principes Magistratusque suos favore et benevolentia singulari, ecclesiasticam rem incredibili curat diligentia; sacerdotum jussa neque segniter nec contumaciter exequitur; nobilitas, quæ est in ea civitate, si in alia ulla, numerosa, mire splendida, magnifica, comis, humanaque est, cujus familiaritatis et consuetudinis nunquam vel odium Te vel satietas tenebit: jam ipsa regio illa est quam interluit ille, ut inquit Claudianus, (1)

Floribus, et roseis formosus Thuria ripis:

tam fertilis ager, ut nullum fere sit usquam gentium vel fructus, vel frugis, vel salutaris herbæ genus, quod non producat ac fundat uberrime; tam speciosus, atque amœnus, ut nulla anni parte non sint et prata, et arbores complures, frondibus, floribus, virore, ac varietate colorum vestitæ, ac pictæ; cœlum nitidum, purum, mite, clemens, neque rigoribus concretum, neque nebulis caliginosum, neque vaporibus et ardore extenuatum incensumque, quo temperamento usque adeo admirabili, prosperrima est toto illo tractu viventium omnium valetudo, vegetus, ac firmus vigor: sed hæc, forsân nec hujus loci, nec hujus temporis, majora sunt quam quæ epistolâ comprehendi vel possint, vel debeant, et ego de patria mea, tamquam

(1) Laus Serenæ Reginæ. Vers. 72.

quam de meis bonis, verecundius loquor, ne suspicio ulla jactantiæ de verbis meis suboriatur.

Verum nobis etiam, et quidem permultum, gratulandum est, quibus Tu, talis, ac tantus contigeris Antistes, quem speramus omnes ita administraturum ecclesiam illam, ut hæc tempora posteris, continentia, doctrinæ, caritatis, sanctitatis facibus, præluceant; quas virtutes non dubito Te in nostra ecclesia adaucturum, idque Tuæ vitæ exemplo, quo nulla possunt esse sacerdotibus Tuis efficaciora præcepta, fortiora jussa: sed hæc non minus Tibi verecunde dico in os, ne ut illic jactantiæ crimen, ita hîc assentationis, obrectator aliquis nobis impingat, quum utraque tamen sint ex æquo vera atque perspicua: divinans itaque ea secula, quæ et Tu nobis, et alii (sicut spero) aliis sunt reducturi tam felicia, tam totiùs virtutis et lætitiæ referta, lusi ea de re *Somnium* quoddam, quod vice est præfationis in *Somnium* Scipionis; addidi et *Vigiliam meam* in idem *Somnium* Scipionis, quo libello perfectus et absolutus in republica princeps instituitur, atque formatur, nullumque est in tota philosophia præstabilius opus, atque divinius: neque excogitavi sublimes, et magna pollicentes inscriptiones; *Somnium* appellavi, quo nomine quid potest inveniri minutius? quid humilius? quasi quis dixerit, nugas, neque enim volo plurius ea quæ ibi dico fieri, dumtaxat si quis irascatur; tum et *Vigiliam*, quod simile est illi, *Lucubrationem*, quem titulum *Bibaculus*, facetissimus poëta, suo indidit operi; et re vera vigilandum nobis fuit in enarrando illo Somnio, quod multa variaque sapientia sua, et vigilantem, et bene sobrium interpretem, conjectoremque sui exposcit: utrumque meum opus optimo jure Tibi a me, Princeps Illustrissime, dicatur; prius quidem, quoniam Tu pro Tua parte, eaque non exigua, auctor et adjutor eris ejusce temporum felicitatis, quam ipse orbi prænuntio, quamvis somnians; posterius, quoniam recturo ecclesiæ nostræ rempublicam, quam ego omnium beatissimam esse vellem, meritò optimi et absolutissimi Principis velut expressum simulacrum et exemplar proponi velim, ad quod se componat, quodque (ut et ipse facis) imitetur. Vale. Lovanii, quinto calendæ Aprileis, M. D. XX.

Somnium.

Vigilia.

JOAN-

JOANNIS LUDOVICI VIVIS

VALENTINI

SOMNIUM,

QUÆ EST PRÆFATIO AD SOMNIUM SCIPIONIS CICERONIANI.

Somni do-
mus.

H Esterna nocte, studiosi juvenes, quum de enarrando vo-
bis Scipionis somnio cogitarem, Somnus me suam in æ-
dem repente induxit, ipsumque somniantem ostendit Scipio-
nem, ex quo me jussit percontari totius illius lucubrati et vi-
gilati somnii enarrationem: operæ pretium fuerit singula a ca-
pite ipso cognoscere, et describere vobis templum illius dei,
cui vos tam crebro tam libenter sacrificatis, ne ignoretis eum
locum, in quem piis animis operaturi sacris sæpe convenitis:
arripuit me igitur somnus, seu verius ultro secuturum placide
blandeque advocavit, et per angustas vias, recessusque a luce
et die remotissimos, ad paludes Mæotidas perduxit, immersus-
que densiore caligine, profundisque tenebris, ibi me statuit,
ubi tum perpetua nubium, imbrum, nimborum, nivium, ca-
liginis, opacitate, tum altissimis montibus, tum etiam subter-
rancis cavernis atque habitaculis, neque sol, neque luna, ne-
que sidus aliquod aliud conspicitur; gens illa Cimmerica nun-
cupatur, quæ nostras istas dierum noctiumque vicissitudines ig-
norat; una semper ipsa est eademque et sui similis mundi cœ-
lique facies, nigra videlicet; ibi ferunt, Noctem, antiquissi-
mam Reginam, regni sedem fixisse, quæ quum ex Herebo li-
beros liberasque alterum et viginti suscepisset, amorem, gra-
tiam, laborem, invidiam, metum, dolum, fraudem, pertina-
ciam, egestatem, miseriam, famem, querelam, morbum, senec-
tutem, pallorem, tenebram, mortem, Charontem, diem, æthe-
ra, et hunc nostrum Somnum, ipsaque Nox, terræ filia, reg-
num maternum obtineret, ceteras quidem regni ditionisque
provincias cum Die filio suo communicavit, imperio ambobus
æquato, non ut Q. Fabio et Minutio Ruffo, sed ut Æmilio Pau-
lo et Varroni bello Punico secundo, vicibus enim uterque im-
pe-

Nox.

L.VIVIS SOMNIUM, VEL PRÆFATIO AD SOMNIUM SCIPIONIS. 65

perat suis; certis vero muneribus et officiis earundem provin-
ciarum ceteros liberos suos præfecit, nullamque voluit esse ci-
vitatem, nullum oppidum, nullum pagum, nullum conventi-
culum, ac ne quidem ullam domum, in quam illi sui filii jus
ac potestatem non haberent, ubique enim est amor, ubique
labor, ubique metus, dolus, miseria, egestas, invidia, fames,
querela, et reliqui, præter Lovanium, a quo exulant invidia,
dolos, fraus, pertinacia, amoris et gratiæ plena sunt omnia;
Cimmeriam vero regionem solam sibi Nox servavit, nec in ea
ditio est Diei ulla, in qua est tamen particeps regni atque im-
perii Somnus filius, quemadmodum erat Titus Vespasianus con-
sors imperii paterni.

Lovanii fe-
licitas.

Eo igitur in loco Regiam sibi ædificavit Somnus ex He-
beno constructam, neque enim vel ipsi Somno, vel parenti
Nocti, alius placet color quàm niger; Atriensis, et domus Præ-
fectus, sunt Quies et Silentium, qui procul a limine fragores,
sibila, susurra, murmura, voces omnes, sonos, strepitus, ar-
cent; nulla humana illinc vox exauditur, nullus equorum hin-
nitus, rugitus leonum, latratus canum, grunnitus suum, barri-
tus elephantum, garritus avium; gallinaceus gallus, si conti-
cescentiam illam et altissimum noctis silentium ruperit, extem-
plo sacer est Nocti, gratissimaque ei deæ mactatur victima; an-
serum etiam illic non alius est usus quàm in sacrificiis, lustra-
les enim istæ sunt hostiæ; nec ranæ ullæ sunt nisi Seriphæ, nec
cicadæ nisi Acanthiæ; nullum ibi forum est, nulli causidici,
nulli advocati, non jurgia, non lites, nullus clamorosus rabula,
nullus rixosus zelotypus, et quamvis incolæ bonum bibant vi-
num, nullus est tamen præco, nisi siquis forsitan est, qui ges-
tibus indicet quale sit vinum, non boatu; ac ne ullus sit car-
dinis stridor, nulla est in tam ampla domo janua, neque enim
fures illic timentur, nec sunt aliquæ vigiliæ, vel excubiæ; unus
est autem perlenis strepitus, et gratissimum Lethæi fluminis mur-
mur, decidens inter lapillos, et præterlabentis cum maxima in-
vitatione soporis; ejusce fluvii aqua temperatur vinum, reliqua
omnis aqua ominosa illis gentibus, atque execranda est.

Quies et si-
lentium.

Gallinaceus.

Anseres.

Præcones.

Aqua.

Culices.

Sed de culicibus præterii; admittuntur et ii a deo Somno

Tom. V.

R

post

post majora convivia, quum vino et Lethæo flumine madent omnia, sed mites isti culices, inermesque sunt, sine aculeis ullis, tenuissimoque cum susurro circumvolitant lectum Somni, est enim lectus ipse dei etiam ex Hebeno contectus furvo, in quo ipse jacet cum uxore suâ Securitate, proximoque in toro sunt filiæ jam nubiles, ignavia, inertia, torpor, oblivio, desidia; tertio in lecto magister Veternus, altum stertens, effusus decumbit, is quem ferunt bonum atque opulentum fuisse ante Jovem natum, Regem, potitumque rerum cum Saturno et Jano, nunc ex quo Jupiter cœpit gerere bella, Græci contentiosum aperuere forum, Servius Tullius æreum signavit numum, Phædon et Lydii argenteum et aureum, Romani tot leges accumulaverunt, Accursius, Bartholus, Baldus tot glossas, Cepola tot cautelas, reliqui meras vafricies et malos dolos, exulat, et suo devolutus regno tamquam alter Dionysius inferior, aperuit ludum, docetque Somnum nonnullos ex nostris spatioribus Lovaniensibus; Somnus ipse interdum oscitabundus, oculis identidem conniventibus, surgit ut domum suam componat, ut jus dicat, non quod lites sint aliquæ, aut accusationes, sed ut singulos quæ faciunt facere perpetuo jubeat; quod si lites ullæ afferrentur, nullus est hodie judex æquior deo illo; arcta cognatione, ac gentilitate, justitiæ tenetur; nullus est illi nostrarum personarum respectus, sive Rex sit, sive mendicus, servus, liber, vir, femina, puer, senex, omnibus pro meritis jus reddit, ut si bona sit quis valitudine, bene pastus, bene potus, etiam si sit servus, humilis, abjectus, bene dormiat, sin secus, etiam si sit dives, et Rex ipse, vigilet, et crucietur, omnesque quamdiu in illo versantur foro, pares sint, nec aliquid inter beatissimum et miserimum intersit.

Somni lectus.
Somni uxor.
Filiæ.
Magister
Veternus.

Somnus justissimus.

Mecœnatis
triennalis
vigilia.

Nescio quid in Somnum peccaverat C. Mecœnas; deprecabantur ejus crimen apud Somnum Vergilius, Horatius, Propertius, omnes poëtæ; Asinius Pollio, Valerius Messala, omnes oratores; Princeps etiam Augustus; Mecœnas ipse sacrum quotidie Somno cum tibicinibus et servis symphonicis faciebat; jacebat in sacrificio tota illa domus et familia abjecta, sordidata, mœrens, et supplicans ad pedes Somni; hæc omnia rigidam illam

Som-

Somni justitiam nunquam flectere potuerunt, et quum per tres continuos annos innumeras immolasset victimas, ne una quidem horula litare potuit, et pacem dei invenire; quæ quum ita essent, nec Somnus Mecœnatem suam in domum admitteret, soror Somni Mors, aliquanto facilior, et quæ sæpenumero adest non vocata, illum suum in regnum derulit: hæc est causa cur reliqui poëtæ, ne crimen patroni in se quoque permanet, toties Somni laudes decantarunt, quas didicerant a Somni sacerdotibus, Endymione Care, Epimenide Theologo Crentensi; illi enim in sacris deum ipsum aliâs vocant mollem, aliâs suavem, aliâs dulcem, placidum, benignum, nutricium, gratissimum deorum munus, mirabilium artificem, canuntque ei versus illos, quos mihi videtur Ovidius memoriæ mandasse. (1)

Somni Sacerdotes.
Somni cognomina.

*Somme, quies rerum, placidissime Somne deorum,
Pax animi, quem cura fugit, qui corpora, duris
Fessa ministeriis, mulces, reparasque labori.*

Tum et laudant eum, quod tam mitis mansuetusque sit, ut eos, quibus sit propitius, tales reddat, alios, quos oderit, præferoces, immites, inhumanos, refractarios, crudeles efficiat; quod intelligens exemplum illud Romanæ gravitatis et sapientiæ Censorius Cato, servos quantum vellent sinebat dormire, ne nimis vigiliis animi atque ingenia eorum efferarentur. Hinc Somnus deligit sibi ex tota rerum natura ministros, primum, ut in istis maximis domibus fieri solet ut sint plerique otiosi, onerari magis (honori dixerim) quam necessitati, qui si rogentur, cui sint illic usui? respondere possint, ne domus sit infrequens, neque aliud agunt, quam intrare, exire, spectare, et comedere, ita Somnus habet plerosque, amplis in illis suis ædibus, tales, ii sunt omnia animalia, stirpes vero, et ea quæ nihil sentiunt, excluduntur, ut a domibus principum ii, qui assentandi et adulandi sensum nullum habent: jam sunt ad secretiora munia famuli, qui feriat nequitiam sunt; hos habet ex hominibus infantes quamdiu sunt in maternis locis præter paucula quædam

Famuli aularum.
Per ironiam

mo-

(1) Metamorph. lib. xi. v. 624.

Animalia
quæ mul-
tum dor-
miunt.

momenta, tum et recentes ab ortu; ex reliquis animantibus, glires hiemem totam, ursas xiii. dies perpetuos a conceptu fœtu, vitulos marinos magna temporis parte; istis familiarius utitur quibus bona dat stipendia, reliquos verbo tenus famulos satis habet modo alat; nec omnes tamen in illis ædibus quamlibet spatiosis diversantur, sed, ut videmus in domibus istorum procerum dispersi habitant, totosque dies, noctes etiam, vagantur male feriati, ansati homines, trahentes prælongos enses efferato vultu, interim bene compti (præsertim quum amant) magnificis promissis ac verbis, tam inani crumena, quam cerebro insania differto, et quamquam se alere totam civitatem posse jactent, hora tamen prandii aut cœnæ citius deserant quodvis vadimonium quàm domini aulam atque ollam, ita et Somnus famulitium suum permittit quocunque voluerit loco habitare, modo tempore pabuli ne desint; alii famulorum incolunt editos montes, proceras arbores; alii terram; alii antra, et speluncas; alii nidulos aut sub terris aut in parietibus; alii aquas et ipsum mare; homines, et quadrupeda, clausis oculis, et stertentia, pascunt somnos, quos delphini et balæna imitantur; pisces, et insecta, sola quies indicat pasci; et quamvis tantis sit familiis ac clientelis, nunquam tamen (quod raro inter nos contingit) bellum gerit.

Nam si quis suis parère jussis, sive mortalis is sit sive deus, detrectat, protinus virga illa sua tactum vincit, prostratque; sic dedit manus aliquando Jupiter ipse; sic domita sunt pleraque monstra, Medusa, Argus, et velleris aurei serpens custos; illam eandem virgam Somnus Mercurio plerunque accommodat, Mercurius vicissim ipsi talaria sua, quo fit ut frequenter Somnus, non minus quàm Mercurius, nuncius sit Jovis summi. Porro domesticis rebus ita constitutis, Somnus ipse se sibi brevi deambulatiuncula reficit, usque ad hortulos spatiatus suos, in quibus mater Nox omne genus herbas soporiferas sevit, primum parentis suæ Cereris papaver perfusum Lethæo liquore, hinc lactucas atras, et mandragoras, et ex leguminibus fabas, pisa, phaselos, lentas vero illic non crescunt, ac ne seruntur quidem; et si hostia cæditur vespertilio, protinus cavent ne domi-

Somni vir-
ga.

Sonus nun-
cius Jovis.

Somni hor-
ti.

Vespertilio.

sicetur caput, nescio enim quas tragœdias ferunt illic esse excitatas propter caput aridum cujusdam vespertilionis. Itur hinc ad convivium, in quo frequentes adsunt Bacchus, et Silenus, et M. Antonius, et filius Ciceronis, et Torquatus, Tricongius, et L. Piso curator urbis, et si qui alii sunt, qui capitale bellum indixerunt aquæ; sedet ipse Somnus, medius inter vitam et mortem, sed propior tamen morti quàm vitæ; nec mirum, quum mors sit ejus soror germana, vita non sit germana soror, sed patruelis, idcirco ex familiaribus complures parvam cum mortem vocant: Somno, postquàm ivit cubitum, cohors vigilum ad custodiam excubat, admirabiles rerum formæ, quæ communi vocabulo Somnia dicuntur, id enim est gentile nomen; cognominibus et prænominibus, ut Romani, distinguuntur; eorum enim est qui vocetur *γνώπιον*, latinè Insomnium, cujus est munus ut falsa gaudia, tristitias falsas, humanis animis ingerat, ut quod in vigilia optent, vel timeant, per quietem se consecutos, sibive accidisse, putent; hoc *γνώπιον* regnum habet in eos, qui amant qui ipsi sibi somnia fingunt; in meticulosos, qui semper sua feriri dorsa putant, fugere persequentem, et sub linteamibus delitescere male tutos; in avaros, qui singulis noctibus beneficio somni ditati, postridie maleficio diei et lucis pauperes surgunt; in eos, quibus non adeo vel vinum vel cervisia displicet, qui sibi integra exhaustire quadrantalia, et jucundissime alios ad bibendum provocare, provocarique ab eisdem, quum sunt in Somni domo, putant.

Est ex satellitibus alter, qui vocatur *φάτασμα*; Cicero, qui latinè loquitur, Visum dicit, quòd sensibus nostris se offert semisomnibus, quum nec vigilamus, nec planè somni obsequio totos adhuc nostros artus tradidimus, sed in confinio sumus duorum potentium regnorum, Somni, Vigilæque; hic filiam ducebat ponè sequentem *ὑπέρλαττον*, quæ cum aliquem ex Somni ministris et famulis complectitur, etenim magnum scortum est et cubitat libenter cum viris, ita opprimit eum, ut sibi magnis turribus atque ponderibus gravatus videatur, nec inspirare, nec respirare queat, ac ne clamare quidem, vel quiritare, et open fidemque deorum atque hominum implorare; ad hæc, est etiam

Somni con-
vivium.

Somnus par-
va mors.

Somnia.

Insomnium.

Visum.

Morpheus. gravis quidam et peritissimus Promethei consanguineus, qui vocatur Morpheus, potentior etiam quam ipse Prometheus; nam hic ex luto finxit homines sublato furtim igne illo cœlesti; Morpheus vero de nihilo facit homines, nec eos mutos, aut nudos, sed ornatos sericis et aureis vestibus, loquentes, disertos, Oratores etiam, quum nunquam declamarint, Theologos, qui nec Lovanii unquam, neque Parisiis fuerint, nec scholas intrarint, vel viderint, Reges quoque, Principes, mendicos, servos, dominos, eos qui sunt Lovanii, facit convivari Romæ, qui Romæ jus dicunt, medio in foro Lovaniensi facit saltare: circulatorum ipsi non sunt tales artifices, qualis Morpheus ille. Proximus huic est Icelos, magnus auceps et venator; incredibile dictu est quam multa genera fetarum et avium quotidie capiat, leones, ursos, capras, damas, cervos, apros, lepores, cuniculos, tum ex avibus; sive ad esum, ficedulas, perdiculas, turdos, anates, pavones, anseres, gallinas, pullos gallinaceos, capos, coturnices, turtures, columbos, (a) ites; sive ad cantum, lusciniolas, passerulos, merulas, ardeolas, cassitas; sive ad imitationem vocis humanæ, psittacos, corvos, picas, sturnos, cardueles, monedulas; sive ad alias capiendas, aquilas, vultures, circones, bucteones, arsaloes, cymindes; si hic semel venisset Lovanium, nunquam postea ad forum sancti Petri iretis ad emendas aves; quamquam venit, sed incognitus abiit.

Cymindis id est Bubo.

Phantasia.

Postremo Phantasia sigilla habet rerum universarum quæ anima et sensu carent; quanta regna hic habet dii immortales! quantas opes! quam multum auri, argenti, margaritorum, gemmarum! quæ opes hoc ab iis quas veras appellare solemus distant, quod hæc, ut veræ sunt, ita veros pariunt dolores, et cruciatus non fictos, illæ, ut sunt inanes fictæque, sic gaudia sibi similia, inania videlicet, gignunt, fictaque, tametsi sunt qui ficta hæc, et adumbrata, veris illis atque expressis anteponant; atque his quidem omnibus sunt sua sacra, suæ cærimoniarum, sui sacerdotes, sunt oraculorum interpretes, nam etiam præ-

(a) In avem, quam vocamus *Fayian*, conversus fuit *Iris*, de quo loquitur Ovidius lib. 6. *Metamor.* ideoque *Vives noster dixit Iris*.

prædicunt ventura multi quidem conjectores, qui ex somniis admirabilia fata unico in manum accepto asse, et asse autem? immo sextante aliquo numo, vel unciaria stipe, pollicentur; quos nonnulli *ὀνειροπόλοι* appellant; sed honoratissimi tamen *ὀνειροκριτικοί* Josephus Jacobi filius; (Amphicton Tiresias Thebanus Democritus Abderites quos ego aspexi interdum destomachantes et execrantes responsa illa suorum deorum, dejerantes nihil esse veri, nihil sinceri, nihil certi, omnia mendaciorum et vanitatis esse referta) nullus mihi visus est certior conjector Tiresias Thebano; hic est seniculus quidam jucundus, quem superba illa et rabiosa Juno, quod iudicio quodam inferior discesserit, luminibus orbavit; is quoties rogatur, illud præfatur: *Quod vaticinabor, aut erit, aut non erit*: atque eo modo nondum audivi eum mentitum; versabantur et in eadem somniorum cella medici plerique, qui de valetudine ex oraculis somniorum iudicium ferebant, idque non usquequaque male, sed cuncta somnia erant adeo pota, ut mirareris quam funderent nec coherentia, nec vera, nec vero similia, interim tamen certiora etiam, quam quæ interdum vigilantes videmus ac tangimus, ut de cane illo qui somniabat se fustibus cædi, et cædebatur, et de illo homine, qui quum de lecto devolveretur, somniabat id ita accidere, ipse quoque Cornelium Rufum, qui consul cum M. Curio fuit, narrari audiebam, visum amisisse, quum id sibi accidere somniaret.

Somniorum interpretes.

Tiresias Thebanus.

Sed hæc rara exempla, frequentiora illa: quod usque adeo sunt somnia illa fallacia, ut nihil tam exiguum sit, quod non ingens ipsa prædicent, de rebus quoque quæ adsunt, quæque sentiuntur, non erubescunt apertissime mentiri; et auditur ex illis aliqua vox? tonare, corruere montes, frangi et decidere grandes arbores, subverti domum ipsam dicunt; et ascendit ad palatum aliquid dulcioris liquoris? quidquid est sacchari et mellis te comedere canunt; et superest in gutture aliquid vini, aut cervisiæ ex pridiana potatione? totos cervisiæ culeos, solida vini dolia sesquiclearia te bibere asseverant; et incaluerunt paullo plus solito certæ quædam corporis partes? circumdatum te ignibus et per vivas ambulare prunas jurant.

Somnia ontia augent.

Hic

Hic de oraculis somniorum magnam videbam in curia dis-
 sensionem, non inter senatores solum, et doctos philosophos,
 ac velut majorum gentium patres, sed inter minorum quoque
 gentium, et conscriptos allectosque; consulebatur senatus a Ma-
 nio Somnorino Consule, inter curas varias, inter spem atque
 metum sedente, et quoniam in trepidis rebus sententiæ erant
 dicendæ non acceptis pignoribus, sed datis, per deos omnes,
 qui ei templo, in quo senatus habebatur, præsent, Patres
 Conscriptos Consul obtestatus est, ut quod quisque sentiret,
 quodque e Republica futurum existimaret, id fortiter constan-
 terque diceret; primi igitur rogati sententiam viri consulares,
 et multis maximisque honoribus functi, Pythagorici, Socrates,
 Plato, Platonici, Stoici, verissima illa et sacrosancta videri sibi
 oracula dixere, nec in eis vitii quidquam, in nobis culpam
 inesse omnem, qui cibo potuque infracti, et obruti, quieti
 nos tradamus, quo fit, ut ea pars animi, quæ mentem con-
 siliumque obtinet, sopita sepultaque crapulâ, jaceat cæca, nec
 intueri quidquam valeat; *Nam qui salubri et moderato cultu* (di-
 cam Platonis sententiam Ciceronis verbis) *qui, inquam, ejusmodi*
cultu atque victu quieti se tradiderit, ea parte animi, quæ mentis et
consilii est, agitata, et erecta, saturaque bonarum cogitationum epu-
lis, eaque parte animi, quæ voluptate alitur, nec inopia enecta, nec
satieta affluenti, quorum utrunque præstringere aciem mentis solet
sive deest naturæ quippiam, sive abundat atque effluit, illa etiam par-
te animi, in qua irarum existit ardor, sedata atque restincta, tunc
eveniet, duabus animi temerariis partibus compressis, ut illa tertia
pars rationis et mentis eluceat, et se vegetam ad somnandum acrem-
que præbeat; tum ei visa quietis occurrent tranquilla atque veracia.

In hanc sententiam, non pedibus solum, sed manibus quo-
 que, et capitibus, transierunt, ex Græcis quidem, Alexander
 magnus radiculam, qua Ptolemæus sanatus est, manu gestans,
 Dionysii superioris, et Phalaridis Agrigentini, matres, filiorum
 magnitudinem sævitiamque ostendentes, Xenophon prævisâ per
 quietem militiâ ornatus insignisque, Eudemus Alexandri Pheræi
 mortem indicans, suumque post annos quinque in domum pa-
 triamque reditum æternam, Sophocles Herculis admonitu mag-
 ni-

nificus, Simonides dilata navigatione lætus et exultans, Cræ-
 sus, Lydorum Rex, Atym majorem filiorum, hasta transfixum,
 lugens, Alcibiades Atheniensis amiculæ pallio involutus, Chry-
 sippianus ille somniator, invento per ovi indicia thesauro, di-
 ves repente factus, Himæta Syracusana, cujus nocturnum vi-
 sum Syracusæ magno suo malo nimis verum fuisse expertæ sunt,
 Archas ille Stoicianus vindicasse mortem socii gloriatus.

Ex Romanis vero, Tarquinius superbus, Rex, nimis mag-
 no impetu arietatum se ab ariete illo lamentans, P. Decius Mu-
 cius, et T. Manlius Torquatus, victoriam de Latinis, et devo-
 tionem pro patria suam subinde commemorantes, L. Attinius,
 homo de plebe, quem nescires tristioreme diceres amisso filio,
 an lætorem recuperata salute, C. Sempronius Græccus in simi-
 le ruens fatum, invitus et reluctans, quo Tiberius frater, Ar-
 terius Ruffus, eques Romanus, ceu piacularis pro mirmillone
 trucidatus, et se minus monitis deorum parentem, et amicos
 nimis importunos execrans, Ciceronis nutrix, salutem reipubli-
 cæ primumque et verum patriæ patrem a se alitum jactans, Cal-
 phurnia Cæsaris dictatoris uxor, conjugem suum multis con-
 fectum vulneribus, in gremio suo depositum ejulans et lugens,
 Cn. Octavius, et Accia, Augusti parentes, filium mundi domi-
 num succollantes, Artorius, Augusti medicus, principem or-
 bis uno insomni sui oraculo servatum demonstrans; ad hæc,
 ex barbaris Hecuba, Priami uxor, incensam face sibi ostensa
 Trojam cum rabie commemorans, Cyri superioris mater Man-
 dane urinam suam Asia tota tamquam matella exceptam præ-
 ferens, Cyrus ipse vitæ suæ annos digestis in ordinem numeris
 colligens, Hamilcar, Pœnus, longe alio, quàm animo præ-
 sumpserat, apparatu atque affectu mœstus Syracusis cœnans,
 captivus Hannibal, itidem Pœnus, tot prælia, tot Romanos,
 tot Italos, partim cæsos, partim captos, tantam Italiæ vastita-
 tem, Romanis exprobrans: multitudine videbantur et auctori-
 tate hi vincere, itaque senatus consultum in eorum sententiam
 jam incipiebat scribi, quum subito Volupius Epicurus, Tribu-
 nus plebis intercedere se profiteretur, quo factum est ut Consul
 in exquirendis patrum sententiis pergeret; ita rogatus Aristote-

les, longe sibi aliam esse mentem dixit, somnia ex se nihil habere veritatis sibi videri; si quando verum prænuntient, non id protinus vera esse somnia arguere, quippe quum singulis somniemus noctibus, mirandum non est si aliqua verum dicant; collimet aliquando, vel totius artis jaculandi rudis omnino ac ignarus, necesse est, si totum diem jaculatur; quid quòd nos variis interpretationibus, pro libito nostro confictis, efficimus ut verum prædixisse somnia videantur?

Hinc Carneades cum magna Academicorum manu quum assurrexisset, et licet, inquit, Somnorine, loqui de republica? negare plerique consularium extra ordinem jus esse cuiquam in senatu sententiam dicere, timebant videlicet invictam illam hominis eloquentiæ vim, qua essent plerumque convicti et confutati, quem virum tanti esse in disputando acuminis affirmabant, tantæ artis, ut nullam unquam rem esse defenderit, quam non probarit, nullam oppugnarit, quam non everterit; Consul, voluntatem principum secutus, quiescere illum jussit; appellat tunc ipse Tribunum Epicurum, qui, quòd esset Carneades legatus ad Romanos designatus, potestatem ei quæ velit dicendi facit; ille, invitis adversariis, in hunc modum disseruit, ut totam pæne fidem oraculis somniorum adimeret: Si enim, inquit, vera somnia, Patres Conscripti, mittuntur a deis, falsa a quibus mittuntur? an ab vulpeculis, quæ fallere et astu eludere consueverunt, an potius vera sunt a Jove deo veraci, falsa vero a Mercurio mendaciorum præside? Quòd si dii voluntatem suam somniantibus declarant, quanto magis, eorum et majestatem deceret, et beneficiæ congrueret, non dormientibus ea, stertentibusque nuntiare, sed vigilantibus atque attentis? quanto etiam benevolentia illorum erga nos magis esset consentaneum, non obscuris et flexilibus signis, quæque conjectore indigeant, ludere genus humanum, suspensumque cura et metu (ut tu nunc es Somnorine) irridere, verum aperte et dilucide mentem nobis suam enuntiare? Productus est ab eo sub finem orationis pro thesauro quidam carbonis inventor, qui fletu et lacrimis suis magnopere senatum misericordia movit, ingentemque somniis invidiam fecit; querebatur enim se

de

de thesauro mane inveniendò somniasse, non ambigiose et per iavolucra, ut fecerat ille Chryssipianus cui per vitellum albumine contectum, aurum argento circumdatum significatum est, sed simpliciter et aperte; at quum lætus surrexisset, invenisse carbones quavis pice attriores; siccine vos Somnia juvat nobis illudere, et veteratoriis vestris artibus simplicitati nostræ imponere? Emeram jam apud me ex thesauro, mihi a vobis ostenso, fundos, villas, hortos, ædes; paraveram splendidam et delectabilem vitam; destinaram filiabus suas dotes, filiis amplum patrimonium; jam me inter principes meæ civitatis, atque adeo totius regionis, connumerabam; en ad quantam inopiam fucis et mendaciis vestris hæc omnia reciderunt! quis ergo post conditum ævum afflictus et prostratus poterit dici, si non sum ipse immani calamitate de fastigio opum dignitatisque deturbatus? si non sum unus, ex omni memoria, miserimus repente ex felicissimo factus?

Minuit hæc oratio apud plerosque Patrum non mediocriter Somniorum auctoritatem; Pyrrho vero et Herillus incertæ erant mentis, atque sententiæ, multum animadvertent, multum cogitabant, magnopere considerabant, diu cunctabantur quid essent acturi, in utram se partem prorepturi; modo istis decreverant assentiri, et toto impetu in eorum subsellia transibant, sed medio in cursu, nescio quo ipsos altrinsecus quasi unco tetrahente, sistebant aliquantisper, et in diversam se partem post paullum conjiciebant; neque perveniebant tamen, nam utrimque quantum trahebantur, tantum expellebantur; quumque id fieret paribus hinc inde viribus, necesse erat eos velut ferrum in conditorio Arsinoës suspensos, in medio consistere, nequidquam alterutris se conjungere conatos, idque non semel: vix hæc fueram intuitus, quum video duos cantillantes viros, alterum Græce eumque cæcum, alterum Latine; et cornua nescio quæ, ac elephantes prædicabant: Græcus dicebat: (1)

Δοιαὶ γὰρ τε πύλαι ἀμενητῶν εἰσὶν ὄνειρων.

Αἱ μὲν γὰρ κεράεσσι τεταύχεται, αἱ δ' ἐλέφαντι.

Τῶν

(1) Homerus Odys. 19. vers. 562.

Τῶν οἱ μὲν κ' ἔλθωσι διὰ τριγῶν ἑλέφαντῶν,
 Οἱ ῥ' ἐλεφαίρονται ἑσπεί ἀκράντα φέροντες,
 Οἱ δὲ διὰ ξεστῶν κεράων ἔλθωσι θύραζε,
 Οἱ ῥ' ἔτυμα κραίνουσι βροτῶν ὅτε κέν τις ἴδῃται.

Quos versus Latinus poëta hunc in modum suos faciebat: (1)

*Sunt geminae Somni portæ, quarum altera fertur
 Cornea, qua veris facilis datur exitus umbris;
 Altera candenti perfecta nitens elephanto,
 Sed falsa ad cælum mittunt insomnia manes.*

Ita asserabant fore ut si per cornu illud, quod splendorem lucemque admittit, facies illæ et formæ eorum, quæ in quiete videntur, exirent, certa essent omnia, perspicua, clara, indubitata; sin vero per elephantem, cujus quamlibet tenuissima lamina densitate sua lucem omnem excludit, confusa, turbata essent: memini hoc dictum vehementer esse a compluribus probatum, sed dolebant cornua ista nusquam pæne inveniri, nisi in illo cornu copiæ ubi etiam lactis gallinacei haustus esset; erant qui crederent de cornibus lunæ Vergilium loqui; qui sibi videbantur facitiores, de cornibus hominis curruæ nescio quid cavillabantur; Æthiops quidam, Jovis Hammonii sacerdos, poëtas de Hammonis cornu loquutos censuit, quæ gemma est inter sacratissimas Æthiopes colore aureo, quæ arietini cornu speciem reddit, quale est cornu Jovis Hammonis, quem illi arietem esse putant; eam gemmam, pro comperto habent traduntque Æthiopes, nocturna visa, oraculi modo, certa veraque efficere.

Dum hæc aguntur, rixoso altercatorum clamore excitatus Somnus, Quietem Silentiumque graviter increpat, quòd tam garrulum genus hominum intromiserint, proinde, antequam serio succenseat, amoliantur illud protinus; Quies et Silentium ante Somni torum provoluti, culpam flebili voce cum lacrimis deprecantur; narrant sophistas esse illos Parisienses, a quibus

Hammonis
cornu.

Sophistæ
Parisienses.

(1) Virgilius. Æneid. lib. vi. vers. 893.

sibi esset infeliciter impositum, quòd quum nec græce loquerentur, nec latine, nec lingua aliqua, quam ipsi nossent (noverant autem humanas omnes, divinam vero solam ignorarent) putarunt istos plus esse quàm homines, deos plane quosdam, qui sic loquerentur; non potuisse aliter facere, quin et reverentissime eos, non ad ipsius quidem Somni, sed ad somniorum cubiculum, quòd pervenire magnis conatibus contendebant, introducerent; hic Somnus, sit satis semel peccasse, posthac scitote illam non esse linguam humanam, multo etiam minus divinam, sed strepitum et interpellationem totius quietis; ejiciantur hinc primo quoque tempore. Et quum ipse deus in se relaberetur, dixit verbum quoddam, quod ego non satis potui percipere an esset græce, *ἢς κέρωνας*, an latine, *in cloacas*: simul ac auditum est jubere Quietem verbis Somni ne intra Neome-nias mensis Pirochali, quæ erant postridie futuræ, sophista ullus in Somni regia esset, permultuosa excitata est seditio; omnia prope somnia abitura se cum congerronibus suis professa sunt; ibi sophistæ amplexari carissima sua somnia, et dicere illud amarum *valet*, somnia retinere amicissimos suos; o triste spectaculum! confusus jam erat fletus; et utrinque exortus plangor horribilem reddebat audientibus sonum; ibi manifesto intellectum est quàm gravis et acerbus esset amicorum discessus, et quasi divulsio a se se; fuere ex Somniis, qui et Noctem, et Erebum, et quidquid est deorum, jurarent se, nisi libere cum sophistis abire permetterentur, claustra ipsius regie refracturos; Somnus, modo aliqua ad ministeria necessaria obeunda superessent, aliis eundi quòd vellent fecit potestatem.

Ita sophistæ cum magna parte somniorum a Quietate exclusi sunt, quumque quærerent, quonam gentium essent omnes ituri sophistæ responderunt se nihil magis ignorare quàm mundum quem incolerent; si in cælo essent, nulla via, nulla semita, nullum compendium, oppidum, viculus, mons, flumen, palus, fons, lacus, ignoraretur; omnia illa cælestia tenere se in digitis, quot autem millibus distet sanctus Dionysius a Parisiis id omnino se nescire, ne ex Parvo quidem ponte satis comper-tum habere quâ vertendum sit ad nostræ Dominæ; proinde orare

Digestus
somnia
et sophista-
rum.

Eumetrides
gemma.Armum si-
nistrum cro-
codili.Semen Pyg-
mocomi.Thasos in-
sula.Atlantes po-
puli.Bestiæ som-
niant.

atque obtestari somnia, ut se ducant; ex Somniis, nonnulla in Bacra contendere, ad investigandam Eumetridem gemmam, silici non absimilem, quæ dormientis capiti supposita certissima facit visa; alia, in Ægyptum profecta sunt ad venandos crocodilos, quorum sinistrum armum præsentaneam vim habet ad immittenda quæ velis, et quibus velis, somnia; alia, ea quidem quæ simultates, partim occultas, partim etiam apertas, cum Quiete, præfecta prætorii Somni, exercebant, quæsitum jerunt semen pygmicomi ad tumultus et turbas in quietem somni concitandas; jam percurrerant somnia orbem totum; restabat insula Thasos, una ex Cycladibus, et Atlantici in Africa populi; Thasii somniis illis gentem suam infici volebant, vineas idcirco a sole inventas plantarunt, quæ omnia depellerent somnia; sed Nox tantam ministris filii sui injuriam fieri pati non potuit, quo factum est, ut quæ vites interdum plantarentur, eæ somnia propellerent, quæ vero noctu, conciliarent; tum ad Atlantes, feros homines, atque adeo vix homines, non fuit consilium ire, quumque impensius rogarent sophistæ, Quinam hominum essent Atlantes isti? dictum est eis, gentem esse belluinam in Africa, quæ ritu humano non vivat, solem et nascentem execrentur et occidentem, neque nominibus propriis signati et distincti sint; Proh summe Juppiter, inquit, cuiusmodi genus hominum! ad ponendos casus, omnes possent vocari, *a* et *b*: hæc est peregrinatio somniorum, in qua cum omnibus populis gentibusque fœdus et amicitiam iniverunt, præter quàm cum detestabilibus illis Atlantibus; nec solum cum hominibus sed cum bestiis etiam plerisque juncta societas est; declarant hæc latratus canum dormientium, caudæque agitatio; ex hominibus vero aliarum gentium quàm Atlanticæ, sunt quidam ingenio usque adeo contumaci, ut comprehendi in amicitia illa et fœdere cum somniis noluerint, quos interdum pœnitent sui erroris, et pœnas dant illius, seras quidem, sed per magnas; neque enim conciliantur nisi prægravi indicta mulcta aliis vehementi aliquo morbo, aliis etiam morte ipsa; quam rem ad terrorem inimicorum scribi ab Aristotele jusserunt, et in publicum nundinis omnibus proferri.

At-

Atque in hunc modum compositis rebus, antequam hieme opprimerentur, autumnino cuncta Somnia domum redire, ostensa unicuique ex amicis et sociis via, qua facillime eo pervenire posset: magna erat in domo illa læticia, reversis iis, qui peregrinationem pro republica suscepisse se jactabant; nam jactantiam didicerant a comitibus suis sophistis, quorum plerisque reliquerant prope Athenas in Cynosarge, eosque senes maxime, nam juvenes usque adeo cum somniis complexi ac complicati erant, ut citius ab igne calorem, quàm a somniis sophistas abstraxissent: et quamquam edixerat Quies, ne sophista ullus Somni aulam introiret, juvenes tamen isti usque adeo se totos somniis tradiderant, ut nihil differre jam ab ingenio, natura, effigie somniorum viderentur; ovum non est tam simile ovo, quam isti somniis; ita, decepto custode qui illos nihil præter somnia cernebat esse (ac propemodum non fallebatur, immo vero plane non fallebatur) se illuc juvenes insinuarunt; senes eodem uti dolo nequiverunt, quoniam, tametsi magna ex parte somniorum faciem induissent, tamen reliquerant detecta nonnulla, quæ humana esse facile erat cuivis deprehendere, juvenes vero illi astutuli, totos se a vertice ad pedes, intus, exterius, somniis se non modo vestierant, sed reconcinnavant, refinxerant, reformarant, majore cum similitudine quàm vel illi Servilii gemini, vel Menœchmi Plautini, mater quos non internosset sua quæ mammam dabat, neque adeo mater ipsa quæ illos pepererat, ita ut dignosci nulla ratione posset juvenesne sophistæ essent versi in somnia, an somnia potius in juvenes sophistas; ceterum, quomodo res cumque haberet, satis constabat, et juvenes sophistas esse somnia, et, per conversionem simplicem, somnia esse juvenes sophistas. Jam me incipiebat tædere tantæ in domo illa Somni moræ, et Somnus ipse, in soporem totus resolutus, immemor jam erat mei; tum ad ipsum deum accedo per quàm reverenter, præfatusque pacem et veniam, oro, uti mihi Scipio ostendatur; arrisit Somnus, ut est deus humanissimus, et cum primis comis; Jam tibi, inquit, longi videtur ista in æde nostra mora; bona, inquam, venia, secure Somne, oppido quàm libenter domi tuæ versor, sed solli-

Sophistæ ju-
venes.

ci-

citum me reddit juvenus Lovaniensis, quæ est me cràs auditura; nosti hominum genus vigilantissimum: Apage, inquit, istud dictum, nulla juvenus mihi est acceptior, nulla libentius ministrat nobis; aspice, inquit, ad dextram; et ostendit mihi complures ex vobis, qui identidem annuebant: sed tu, ἐνύπνιον, duc istum Vivem ad cubiculum tuum; accepit me insomnium, et quum attentius perspexisset, agnovit congerronem; ἰπαρὰ; tu es Vives, inquit, cui ego soleo sæpe persuadere eum modo cum Cicerone, modo cum Quintiliano, tum Parisiis, tum Valentia, tum Athenis cum Aristotele, Platone, Socrate versari et suavissimè disputare? Ipsissimus, inquam; sed ad Scipionem, quæso te, celerius.

Deliciae
Somnii.

Patebat cubiculum; ibi innumera jacebat turba, ex qua tota Somnium, quum alios permultos delegerat sibi collusores, compotores, compransores, confabulones, velut Ochamum, Suisethum, Gregorium quendam Ariminensem, Paulum Venetum, Hontisberum, conterraneum meum Petrum Hispanum, Accursium, Bartholum, Baldum, tum vero ad singulares, summasque delicias, Joannem Scotum acceperat, quo homine ferebant Somnium usque ad insaniam delectari; nec Scotum ipsum fastidire Somnium, sed cum eo versari longe libentissime, sociare cum eo sermones, conferre seria, joca, tristia, lata, præterita, præsentia, ventura, lusitare, certare, luctari, Somnium vicissim credere ipsi sacra et profana, publica et privata, somniantes ei committere et commendare, ut veteranus somniator tyrones in eo ludo doceret, atque exerceret; reliqui illi omnes jam huic, etsi sodali, etiam multorum de illo cumulo magistro, perditè invidere, captare reprehendendi et detrahendi locum; sed ille, Somnii artibus bene instructus, non tutus solum erat, verum securus quoque, illosque contemnebat omnes præ se, et magno cum fastidio, oculis, ore, verbis aspernabatur; si instabant procaciores, unica ex somniantis nebulis, quàm poterat maximè vana, objecta illis ob os, non secus atque ostenso Gorgonæ capite sic stupefaciebat, ut nec vocem emittere, nec anhelitum recipere, nec annuere quidquam, nec signis quæ vellent declarare possent; nisi si qui forte erant, qui discussa caligine illa,

Joannes Scotus
unica
Somnii delicia.

illa, et nebula, et velut Ægide quadam Palladis, totius sapientiæ deæ, objecta, somnii commentum intrepidi ac sine periculo perspicere; cum his erant illi molestæ rixæ: contentio ejusmodi in pugnos fustesque solet exire: erat hoc quidem spectaculum jucundum, sed mihi non vacabat singula dispicere.

Ita, quum somniantes alios lustrarem, quendam ex toga prætexta, et severitate vultus, ex querna corona, et gemina laurea, ex habitu toto corporis, et filo, aliisque non malis conjecturis, deprehendo Scipionem esse; excitatusque a me, quum rogasset quis nam essem? rescissetque Vivem esse Hispanum, Vivem non agnovit, Hispanum vero cum audisset, subveritus non nihil est ne Numantinus aliquis essem, qui pœnas deletæ Patriæ a se repeterem; quem ego bono esse animo jussi, et ut quæ somniaverat declararet, rogavi: ille indignatus, quòd bono animo ut esset, dixissem, abi hinc, inquit, cum tuo istoc verbo; tot hostes armatos, totam concionem populi Romano infestam, non timui, timuissem te? Abi, inquit, quàm primum, nam nec satis scio quæ somniarim, nec vacat mihi in præsentia ut somniis animum intendam; totus sum in Papiria rogatione dissuadenda, obsistendoque conatibus Gracchi et Fulvii: sed quum illum enixius orarem, indicavit hominem exerta aurea lingua, quem Arpini natum, pater, tenerum adhuc, in Urbem transtulerat, ut tantas dicendi opes colligeret, quantæ satis essent ad regnum occupandum; quibus effecit ut et senatum, et forum, et totam rempublicam gubernaculo linguæ versaret ac regeret; quumque homo esset imperiosus, nemo tamen non parebat ei volens et libens, extorquebatque a subditis vi, quæ volebat, illi orando impetrasse eum, se vero sponte sua concessisse arbitrabantur: hic, mediusfidius, inquam, est Cicero ille, cum quo ego somnians jucundas sæpe noctes transigo: cantillabat versus nescio quos, quorum principia teneo, cetera exciderunt: (1)

Cicero.

O fortunatam
Cedant arma
Principio ætherio

tum et ex soluta oratione: O præclaram laudem mei consulatus; o

Tom. V.

X

50.

(1) Cicero in fragm.

solem ipsum beatissimum; aliaque nonnulla, quæ dicens, minime consistebat, sed citato gradu, nescio quo, celerabat ire: Cicero, inquam; Marce Tulli; Orator; Princeps patronorum; Rex forensis; non respiciebat; pergo cum aliis nominibus vocare; Consularis; Catilinicida; Imperator; Vindex conjurationis; Antonii Proscriptor; Patriæ Pater: hanc demum vocem exaudivit, conversusque rogavit mox cuius essem, et quarum partium: quæso te, inquam, Cicero, cuius tibi videor? Mihi vero, inquit, sermo tuus, nescio quam Romani faciem videtur præ se ferre, vocis concentus peregrinum quiddam resonat: nihil est, inquam, Orator, quod ob eam rem non iudices me civem tuum; nam ipsi etiam nati hodie in umbilico Romanæ urbis, Gothicum potius, aut Vandalicum quippiam concinunt, quam Latinum, vel quod tu vis esse exactius et urbanus, Romanum.

Omitte ista, quæso, inquit, dic potius an civis Romanus sis? Minime, inquam, sed Valentinus: latine, inquit, voluisti dicere, quod ego dixeram græce; nec ignoro Romam nostram a Latina juventute Valentiam esse olim nuncupatam: verum nunc ne recta e Roma? inierunt consulatum D. Brutus et Plancus? quid moliantur Brutus et Cassius? quid Sex. Pompejus? Filius meus non parat vindicare mortem meam? L. Antonius, amores et deliciae Populi Romani, petit consulatum? Fusius Calenus dominatur in senatu? O tempora! O mores! Ego vero Ciceronem sine meo ullo mendacio facile sum passus decipi, usuramque illam opinionis et benevolentiae erga me ejus gaudens accepi; ac quo majorem ad eum gratiam captarem, Pompejanum me esse professus sum, obortisque lacrimis, et excitatis singultibus, narro illi interiisse D. Brutum; Lepidum, Triumvirum, pro Bruto factum esse Consulem cum levissimo homine Munatio Planco; Brutum et Cassium magnos et instructissimos exercitus habere; Sex. Pompejum ædificasse numerosam et fortem classem; Ciceronem, ejus filium, occidisse C. Antonium in castris Bruti; in hos quatuor reipublicæ animum, mentem, oculos conversos esse; L. Antonium designatum esse Consulem cum Servilio Isaurico; M. Antonium dies et noctes per-

potare in villa Fusii Caleni, in qua quum M. Varro proscriptus delitisset, ab Antonio in gratiam hospitis servatus est: hæc ut intueretur Cicero in domum fatorum repente proripuit se, nam Zeno et Chrysippus Stoici, quoniam Cicero tam multa adversum ipsos de fato et divinatione disputarat, a Jove multis precibus impetrarant (quo disputatio tota finiretur, fidemque haberet Cicero iis saltem rebus quas conspiceret) ut liceret ei fata cernere, non ea solum quæ sub terris vitas, statusque hominum, animantum, regnorum, populorum nent atque regunt, sed illa etiam superiora cœlestia, ex quorum notis, signisque, tum præterita, tum futura incognita, vates canunt; assectabar et ego Ciceronem, quanquam non passibus æquis; janitor, arbitratus me unum esse de ejus famulis, me non exclusit; ibi primum ingressus ingentes audio clamores, acerba convicia; spectabat res ad ferrum et pugnam: mirum quam poenitebat me inermem venisse; nec tulisse mecum saltem meam semispatham! quid est? inquam, quid est? Tace tu, inquit quidam, ne sis domi alienæ tam ardelio; Clothò est, quæ domi suæ insanit; tu, quum fueris in tua, evertas eam si volueris, licebit tibi; licebit, inquam? ne studere quidem per quosdam homines licet: non licet sane, inquit, magnis et claris ingeniis ne ab his facibus illæ candelulæ obscurentur, ac opprimantur, tuo vero ingenio, stupido, bardoque, et quod ipsi suo non timent, quidvis licet,

Verum, ut dixerat ille, insaniebat plane Clothò, nam persuadere Lachesi omnino connitebatur, ut ne dissimilia unquam præsentibus fila traherentur, Atropos incredibili molestia et tædio sexcentorum ac prope mille annorum affecta, quibus omnia tam obscura, tam sordida, vana, stulta, absurda, puerilia, indocta, iniqua, misera fuere, talia revocari secula, qualia ante mille fuissent annos volebat; multi mortales Clothò, multi Atropo favebant; res maximis contentionibus studiisque agebatur, intentusque cunctus ille populus erat, quem tandem eventum res ea esset acceptura; ad suadendum dissuadendumque innumerum prodibant; obscuro homines, filii terræ, de Atlantum (ut credo) genere, sine ordine, proletarii, capite censi, cum Clothò

Dissensio in
ter Parcas.

fa-

faciebant, nihilque clamabant aliud, quàm non oportere ali-
quid mutari, non esse vetera propter nova relinquenda; coie-
rant apud Atropum optimi et nobilissimi quique, Paulus Apos-
tolus, Hieronymus, Ambrosius, Augustinus, Hilarius, Chrysos-
tomus, Aristoteles, Plato, Demosthenes, Cicero, Vergilius, Pli-
nius, Seneca, Livius, Quintilianus, omnes denique magni, et
clari, primæque classis viri; qui quum capita simul cum Atro-
po contulissent, communis universorum consensio atque sen-
tentia Ciceroni mandavit, ut pro causa ipse publica diceret:
gaudebat Cicero, quòd sibi, optimo patrono, non pro Gabi-
nio aliquo, aut Vatino, aut Horestino, sed pro optima cau-
sa dicendum esset: ita, ex consilio recta ad rostra illa fatorum
discessit, in quibus ubi primum eum Clothici conspexerunt,
magno cum murmure cœperunt indignari; dehinc compellare
eum grammaticum; atque huic, honorifico quidem nomini,
sed quod ipsi grande putarent esse convicium, addebant alia,
quæ revera et convicia et probra erant, nam istorum hominum
natura talis est ut loqui nequeant nisi sui simillima; et clama-
bant identidem: *Clothò*: quòd quum eloqui satis diserte non
possent (sunt enim omnes partim infantes, partim blæsi, par-
tim balbi) pro *Clothò*, *Clodium* sonabant; ad quam vocem Ci-
cero perterrefactus est, arbitratus aliud sibi iudicium Milonia-
num superesse; ac subinde circumferebat oculos; ut videret an
armis circumseperti concio inciperet, sederetve Pompejus ad Sa-
turni? Hocque quum viderent patricii, reffectum prius eum ac
recreatum, aut de scripto dicere more vetustissimorum Orato-
rum, more etiam quorundam sententias in senatu dicentium,
aut perbreve orationem habere jusserunt, ut antequam iterum
acclamaretur, finiret: hoc maluit Cicero, et quum se ex terro-
re illo recepisset, alique eum essent magnificis, sed non mi-
nus veris cohortati verbis, præfatus solemne carmen, ad hunc
modum verba fecit.

ORA-

ORATIO CICERONIS

AD LACHESIN.

IN omni republica, constitutione provida et sancta, Lache-
sis, bonos mores in civitatem introduci, duplicem fructum
affert; alterum, quod reipublicæ status melior est, et civibus
jucundior; alterum, quod magis est firmus, ac diuturnus: quo-
circa in ordinatione hac nostræ reipublicæ magnopere viden-
dum est, ut optima quæque eligamus prius, deinde teneamus:
duos video Coss. duas tibi, Lachesis, tuoque populo promul-
gasse leges, easdem maxime diversas ac contrarias; clarissimus
consul patricius, Atropos, constitui vult rempublicam, et leges
illas veteres in usum posterorum revocari; plebejus consul, sed
homo multarum virium, Clothò, nihil mutari sinit, hic rerum
status, hic tenor perpetuus uti sit, laborat: prius de tota cau-
sa pauca loquar, hinc respondebo etiam breviter strepitibus
vestris, boni Getæ, qui pro Clothò conclamastis: nunc, vos
Lachesii, quæ dicam, non affectu me aliquo nec factione cre-
datis dicere, nam et plebejus natus, et inter plebejos altus sum,
ideo eis non possum male velle, dignitatis tamen Optimatum
studiosus semper fui, hoc enim temperamento existimavi me et
placere et satisfacere omnibus posse, qua ratione vitæ per cunc-
tos honorum gradus ad consulatum ipsum perveni. Primum et-
go memoriam nostram ad vetera illa tempora referamus, præ-
sentiaque cum illis conferamus, nam id dicunt esse hominum
maxime prudentum: est in illis multa sapientia, in istis mira
stultitia et fatuitas est; in illis omne genus eruditionis, in istis
unum aut alterum sophisma puerile; in illis cognitio linguarum
et totius antiquitatis, in hoc vix quid heri factum sit scitur;
lingua latina ne de facie quidem est cognita, totaque philoso-
phia, et reliquæ bonæ artes, cum seminario suo, latino, græ-
coque sermone, in tenebris obscuræ, ignobiles jacent; si de re-
ligione libet loqui, de christiana videlicet, quam post Tiberii
Cæsaris tyrannidem didici unam esse omnium verissimam et op-
timam, illis temporibus pura erat, his turbata; illis verum erat

Procemium.

Narratio.

Partitio.

Probatio.

Tom. V.

Y

dic.

dictum illud Christi: *Fugum meum suade*, nunc nihil videtur insuavius tanto pondere addito; tunc soluta erat mystica illa asina cum suo pullo, nunc nodi illi Gordii non sunt magis illigati et impliciti; tum verum erat finem esse impositum cærimoniis, nunc plures habemus quam ulli unquam habuerunt Judæi; denique tum vigeat et valebat Evangelium, nunc mihi, nec Demosthenes Græcus, nec L. Crassus ex nostris, persuaserit populum istum tuum, sancta Clothò, esse eum, qui ex Evangelii legibus et præscripto vivat, vivere tamen virisimile est, quoniam se christianos esse jactant, quamquam satis interdum esse nonnulli putant, si intincti sacra illa et mysteriosa fuerint aqua: proinde, hoc mihi clarius illo, in quo superi versantur, die videtur, melius esse illa tempora priora reduci, quam hæc manere tam infelicia, tam ex omni seculorum memoria revelenda.

Non loquitur de approbatione ab Ecclesia.

Refutatio.

Nunc considerare operæpretium est, quæ sit causa quamobrem vos, boni Getæ, strepatis reclamatisque non esse faciendum, nihil oportere mutari inquitis; nam et si vos non intellexi, istud tamen voluisse vos dicere suspicor: Vos, ergo, cur omnia per hos quingentos annos mutastis, atque adeo invertistis? cur eam licentiam accepistis vobis, meliorem facultatem et libertatem aliis concedi non vultis? Ne sequantur tumultus, inquitis: An mundus, quum ex luce in tenebras per vos immergi quietè passus sit, e tenebris ad lucem per alios vobis, si non meliores, certe non peiores, emergere, id demum ægre ferret, et turbas idcirco ciet? Quid, quod videtis hunc rerum statum diutius sine magnis turbationibus retineri a vobis non posse? Videtis Lachesim, quamvis precibus Clothi fatigatam, magis tamen ad voluntatem Atropi propendere, nec aliquis ex Lachesiis est, qui pati possit se eisdem obrui tenebris et sordibus, quibus ipsi et vos involvistis, et involvi posteros laboratis, ne meliore videlicet conditione sint quam fuistis, quamque estis ipsi omnes: Quid, quod consuli Atropo magis in hac causa, quam Clothò credi consentaneum, aut necessarium potius est? Clothò enim, quoniam sola præsentia hæc novit, ea sola diligit, ea sola manere vult, nec mirum, qui potest enim

ca

ea malle quæ ignorat? longe aliter sensura, si prisca illa nosset: quæ quum sint Atropo explorata atque perspicua, simul cum his, recentioribusque, quæ sunt omnino Clothiciis istis similia, utri per Christum Opt. Max. assentiri potius decet, atque expedit? Nam quod dicitis, præferenda esse novis vetera, hoc si quale esset intelligeretis, si aliquando cum Atropo versati essetis, nunquam profecto effudissetis, quod unicum verbum totam vestram evertit causam; vetera sunt ea quæ nos volumus cum commodo cum æterno reipublicæ decore redire; nova sunt abjecta ista et sordida, quæ cum ignominia et macula reipublicæ manere contenditis: quæ quum ita sint, te, Atrope, magnopere laudo, quòd aliquando reipublicæ tam bene consultum velis, hortorque ut in tua voluntate persistas, perferendamque legem, quam cœpisti ferre, cures, et connitaris, nulliusque minas et inconditos strepitus pertimescas: ego atque hi omnes opem, auxilium, consilium nostrum, quidquid denique in nobis virium est, id omne tibi ad hanc rem, sine qua reipublica stare diutius non potest, conficiendam pollicemur, et deferimus; tu vero, Lachesi, quod faxis, Christum ipsum velim fortunare.

Conclusio cum exortatione.

Hæc oratio satis persuasisset Getis ut sententiam mutarent, si vel audita, vel intellecta esset; verum ex Getis, maxima pars audire nolebant, et aures obstruebant velut ad incantatoris carmen, alii reclamabant et perstrepebant, alii qui quidquid diceretur libenter audiissent, miselli non intelligebant, quorum me miserabat vehementer: sed quid ad rem? Non canebatur hoc carmen ipsis desperatis jam et deploratis, sed soli Lachesi, de qua est tota spes: at vero Clothò, abjectis suis consultoribus Getis, a promulgatione sua destitit, dixitque si sui colligendi gratia aliquot sibi darentur dies, paucis mutatis assensuram collegæ suo Atropo, sin properantius agerent, permissuram quidem se ut edictis Prætorum aliqua noventur, Senatus tamen consultum, quod in universum de omnibus caveat, nullum futurum ante annum vicesimum quartum; esse enim ex Getis aliquot Tribunos plebis, qui intercessionem suam se interposituros minati sint, quorum pertinaciores ante eum annum abibunt

ma-

magistratu, qui sunt mansuri, erunt faciliores, pollicitique sunt in potestate Senatus se futuros: dolebant ex Atropicis complures, quod per hos quatuor, qui superessent, annos, carituri essent usura melioris reipublicæ, Cato Censorius hoc sermone illos mæstos consolabatur, abjectos excitabat.

SERMO CATONIS CENSORII

AD SENATUM.

SI quatuor annos, Patres Conscripti, præsentem rerum statum pertulerimus, meliori deinde illo fruemur diutius, et magis; est enim maximis et pulcherrimis rebus proposita difficultas, ita videmus a rerum natura comparatum: maxima animalia, et diu victura, tardius in utero absolvuntur; flores multum vernaturi, lentius e suis tunicis erumpunt; fructus qui in autumnum hiememque condendi sunt, nunquam leguntur præcoces: animalia eodem die inchoata et absoluta, etiam eodem die, aut postridie, intereunt, ut illa ad Hypanim amnem; poma, quæ falsa maturitatis specie lætificarunt agricolam nihil tale adhuc sperantem, vel suspicantem, antequam ad miraculum rei carpantur, concidunt putria, et fidem facit agricola vicino suo illa maturuisse, quia jam putruerunt; tum et odi puerulum præcoci sapientia; omnis denique nimis festinata maturitas suspecta mihi est: quare, P. C. bono este animo, et pergite quod cœpistis, nec de viribus aut consilio quidquam remittatis, quamquam certum habeo res ipsas suo se cursu et gradu confectum ituras; nec est quod miremini, si vobis difficile sancti illi veteres mores referri videntur, minus quod mœreatis; etenim considerare opus est cum quibus nobis est res, et quid conamur perficere; saxa sunt P. C. in quæ nos volumus imaginem hanc imprimi; facilius fieret in cera, atque ea emollita et eliquata, fateor, sed citius etiam elueretur, atque evanesceret; hîc videbitis quam tenaciter hærebit quod semel adhæserit: at, per deos omnes immortales, vos, P. C. estis Senatus ille, qui per tam varia bella, ærumnasque, quum tot non annis modo, sed seculis labora-

Præcocia
non diu du-
rant.

sc-

setis, imperium illud priscum ex minimis initiis, quale non fuit post natos homines, effecistis, et nunc longi vobis videntur quatuor anni, etiamsi antehac quidam fuerunt istis non absimiles? Cogitare debetis ad hoc imperium novum constituendum laboribus opus esse, nec fieri sine turbationibus, tumultibus, seditioibus, intercessionibus tribunitiis posse, quemadmodum nec illud, quod amisimus, ejusmodi carere rebus potuit, antequam ad eam magnitudinem perveniret: quarum rerum causa, durandum est P. C. et non concidendum animis; nam qui nec Porsenæ occupato Janiculo, nec Hannibali obsidenti urbem, nec Gallis, quum solam nobis reliquissent arcem, cecidistis, turpissimum esset a pauculis quibusdam fumosis devinci Getis, atque iis etiam non viris, sed infantibus: Quid, quod non hortor vos ne bellum geratis, tantum ne in tempore vobis, vestraque occasione, desitis? usque dum Clothò sententiam mutarit, retinete vestram dignitatem, manete in ordine, ne transeat ad illos; cetera ipsum tempus citra laborem, vel arandi, vel serendi, afferet, proque hac brevi admodum molestia, jucunditate fruemur sempiterna.

Hæc quum dixisset, nuntiatum est patribus Lachesim concessisse quatuor annos Clothò ut quæ vellet de sententia mutaret Atropi, modo rei summam relinqueret integram, neu tangeret caput illud: *De sanioribus judiciis, clarioribus ingeniis, melioribus disciplinis*: in quo juravit per Stygia Lachesis se nihil mutaturam quo minus eisdem perferretur verbis, quibus esset ab Atropo rogatum; ceteræ multitudini Getarum eadem est dies præfinita, antequam liceret sine fraude in aliam sententiam transire, præterquam rerum capitalium condemnatis, velut: *Ingeniti stuporis, inflexibilis duritatis, immedicabilis insanie*: quos Lachesis populus transire ad se non sinet, quoniam plus tum officerent bonis, quam antea: Quum ad eum populum hæc ferrentur, narrabant unum de Getis illis condemnatis, qui in concione aderat, succlamasse: *Eciam si reciperetis nos, non transiremus*: et cum dicto correptus tanto furore est, ut morsibus Lachesis impeteret, sed continuo datum est tragicis a populo negotium, ut ad Herculem, Orestem, Alcmæonem, et alios

Lachesis de-
cretum.

Tom. V.

Z

de.

deduceretur ne solus esset, aut in Anticyram deportaretur; ille se Orestem habere socium malle dixit, quàm ad Anticyram ire ubi elleborum nasceretur.

Audito Lachesis decreto, totus Senatus, populusque, et Atropicus, et Lachesius, ingenti lætitia perfusus est; Vergilius arrepta cithara cecinit: (1)

*Talia secla, suis dixerunt currite, fuis,
Concordes stabili fatorum numine Parca:*

Seneca vero tanto est percitus gaudio, ut exultaret, ut pæne insaniret; quod ostendunt versus quos tum repente concinuit, nam ex philosopho subito factus est poëta: (2)

*Jam Lachesis redimita comas, ornata capillos,
Pieria crinem lauro, frontemque coronans,
Candida de niveo subtegmina vellere sumit,
Felici moderanda manu, quæ ducta colorem
Assumpsere novum; mirantur pensa sorores,
Mutatur vilis precioso lana metallo,
Aurea formoso descendunt secula filo,
Nec modus est illis, felicia vellera ducunt,
Et gaudent implere manus, sunt dulcia pensa,
Sponte sua festinat opus, nulloque labore
Mollia contorto distendunt stamina fuso;
Phœbus adest, cantuque juvat; gaudetque futuris,
Et letus nunc plectra movet, nunc pensa ministrat,
Detinet intentas cantu, fallitque laborem:*

nuntiatum et istud est in cælis, ad quos etiam permissu Jovis ascendit Cicero, admissusque et ipse sum tamquam Ciceronis vel comes vel assecla; cunctaque sidera usque adeo sententiam comprobarunt, ut eo ipso vicesimo quarto anno, ad mundum e sordibus illis tam inveteratis perpurgandum, constituerint magna vi aquæ terras alluere, ac mundare, quo tempore miseris illos, quibus aqua est venenum!

His

(1) Ecloga iv. v. 46.

(2) L. Seneca de morte Claudii.

His omnibus conspectis, quum Ciceronem jam paullo viderem otiosorem, oro te, inquam, M. Tulli, quid sibi vult Somnium illud Scipionis, quod confinxisti? aveo ex te aliquid ea de re audire, si modo vacat, et si vis, idque sine commento aliquo, sine fuco, sine colore, aperte, exposite, simpliciter: tum ille: Nihil mihi contingere gratius potest, quàm quum in vita reipublicæ nostræ tantum profuerim, etiam me mortuo ex libris nostris aliquam ad juvenes nostros utilitatem, ad nomen Populi Romani dignitatis non parum accedere; quo fit, ut quum monumenta mea in manibus haberi, evolvi que a vobis, ceterisque hominibus, audio, incredibili lætitia, voluptateque afficiar: quare nec tibi id me roganti deero, nec ulli mortalium alteri, qui ex meis libris vel copiam facundiamque sermonis nostri, quæ per nos, quantum potuimus, tum exulta, tum aucta est, vel philosophiam, præceptaque bene et beate vivendi, parare sibi studeant; quæ nos effecimus, ne inaudita, ignorataque, auribus nostri populi essent, neve, quum reliquis pæne maximis et præclaris artibus, Græcis essemus superiores, atque præstantiores, hac una ab illis plurimum vinceremur, nam pro virili parte mea opes illas, litteris et sermone Græcorum reconditas et abstrusas, in nostram civitatem transferre conatus sum, ne quum aliis prope rebus omnibus nostræ reipublicæ consulissem, hac sola ipse, qui inter alios non omnino nihil poteram, illi deessem: et perfeci, nisi vehementer fallor, ne quidquid esset philosophiæ solis Græcis litteris contineretur, quæ jam velut Romana civitate per me donata est, qui nisi de ea scripsissem, tota etiam num apud Græcos remaneret, latinoque sermone elinguis et muta prorsus esset: pro quo beneficio audio dementes, nescio quos, hominesne, an belluas, et hominum prodigia atque portenta pessima, mihi referre gratiam, qui nihil, quod meum sit, philosophiam esse volunt, omnia grammatica esse unica sententia pronuntiant: Ita est, inquam, ut dicis, sed non credo te ignorare, ex quo sint isti hominum genere, ex illo nempe Getico, adversum quod dudum habuisti orationem; eorum judicium movere te nihil debet, quippe quum tua nec legant, nec intelligant si legant.

Ego

Primus Cicero de Philosophia scripsit.

Cicero de
Republica
cur et quan-
do scripsit.

Ego vero, inquit ille, vel hac ratione insaniam eorum molestius fero, quòd indictam et inauditam causam damnent; quid enim potest fieri iniquius, aut indignius? Perfer, inquam, tantisper quæso te, M. Tulli, ut hortatus est vos Cato senior, nam brevi constituetur, quemadmodum scis, respublica; et perge ut cœpisti: Quum igitur, inquit ille, philosophiam in nostram civitatem transferre multum diuque cogitarem, non mihi minorum gentium philosophos proposui, quorum præcepta scriptaque exprimerem, latinisque litteris consignarem, atque mandarem, sed principes illos, Platonem, Aristotelem, Zenonem, Theophrastum, qui omnes ex sacro illo, et perenni Socratico manarunt fonte; quumque permulta ad eorum imitationem scripsissem, locum illum prætermittere non statui, qui est de formanda republica, magnus, et philosophiæ proprius, ab illis quos modo nominavi, totaque Peripateticorum familia tractatus uberrime: itaque primis temporibus mei consulatus, cum occulta essent adhuc consilia Catilinæ, coquereturque sæteto tanta conjuratio, tantum civile bellum appareretur, tanta pernicietas strueretur patriæ, ego subsicivis horis, quantum per immensas reipublicæ occupationes licebat, de Republica cœpi scribere; nec enim putavi ullum esse posse aptius tempus, quo de ipsa vel scriberem, vel legerem, vel commentarer, quàm quum ea me totum ad suam curam tutelamque, imposita Consulis persona, revocabat, et trahebat; moreque ac modo Platonis, quemadmodum aliis in libris meis feceram, loquentes introduxi eos, quos existimavi optime de eo ipso, quod ageretur, posse disserere, illosque accepi, qui paullo ante, sed proxime, nostram memoriam fuissent, ne hæc mea tempora, et memoriam communium miseriarum, attingere et tractare cogerer.

Dedi igitur sermonem Scipioni Africano posteriori, et amico ejus C. Lælio illi, qui cognominatus est sapiens, et Manlio, et Furio Pilo, viris consularibus, quibus omnibus non tulit ullos Romana civitas, aut gloria clariores, aut auctoritate graviores, aut humanitate politiores; Scipioni vero ipsi nemo post conditam urbem fuit, sive prudentia, sive auctoritate, sive innocentia, sive belli gloria, par; occasionemque collocutionis

ac-

accepi, quòd, quum Sempronio Tuditano, et Aquilio Coss. geminatus sol esset conspectus, quod portendebat oriri alterum in cælo solem pro eo quem nostra respublica perditura esset, eo enim anno Scipio, civitatis nostræ sol, extinctus est, ad id expiandum de consilii et pontificum sententia novendiale sacrum est indictum; quibus feriis fingo Scipionem in hortos suos cum Lælio secessisse, cum quo, et seria, et joca, et publica, et privata, domi, forisque, tractare consueverat, venisse eodem Manlium, Pilum, Tuberonem Africani ex sorore nepotem, et duos Lælii generos Fannium et Scævolum, ibique esse illos de optimo statu civitatis, deque optimo cive commentatos, sermonemque in novem et libros et dies primum distribueram, sed quum postea hi libri mihi in Tusculano legerentur, audiente Sallustio nostro, non illo flagitiosissimo adultero, et turpissimo ganeone, qui historiam scripsit, quique probri gratia ordine nostro motus est, sed alio quodam probissimo cive amico nostræ familiæ maximo, admonitus sum ab illo, multo majore auctoritate illis de rebus dici posse, si ipse loquerer, de republica præsertim, quum essem non Heraclides Ponticus, sed consularis, et is, qui in maximis versatus in republica rebus essem; quæ tam antiquis hominibus attribuerem ea visum iri mirifica esse; nam Oratorum sermonem, in libris de Oratore meis, Crasso et Antonio me assignasse neminem mirari, quòd ad eos retulissem, quos ipse vidissem: Aristotelem denique, in iis quæ de republica, et præstante viro, scribat, ipsum loqui.

Commovit me, et eo magis, quòd maximos motus nostræ Civitatis attingere non poteram, quòd erant inferiores, quàm illorum ætas qui loquebantur; ego autem id ipsum tum eram secutus, ne in nostra tempora incurrens offenderem quempiam; hæc me ambiguum nonnihil reddiderant, constitueramque ipse loqui cum Q. fratre, sed postremo redii ad primum consilium, nihilque ex eo mutavi aliud, nisi quod, quum nimis multi, et dies, et libri illi viderentur, neque enim fuisset verisimile novem continuos dies viros illos fuisse simul, semperque sermonem eorum in eodem argumenti genere esse versatum, idcirco dies ad tres contraxi, libros ad sex, quibus eo genere dicendi

Tom. V.

Aa

usus

Geminatus
sola.

Sex libri de
Republica
Ciceronis.

usus sum, ut dignitati illorum, splendor, et eruditio orationis defuisse non videatur: quod quamquam scire vos non potestis, ad quos temporum invidia, ut alia permulta tum meum etiam aliorum, ita et illi sex libri non pervenerunt, ex ipso tamen Scipionis somnio, quod de tanto, velut naufragio, submersis tot opibus, solum enatavit, pervenitque ad litus, conjecturam facere satis firmam atque certam potestis; in quod mihi tantum rerum, tantum sententiarum, tantum reconditæ et arcanæ eruditionis, conjecisse videor, quantum totidem verbis capi et comprehendere, quavis ratione, et via poterat, dictionis formula, quæ tantum habet majestatis, quantum et res ipsæ de quibus agitur, et ipsi tres, Scipionis duo, et Paulus Æmylius, principes omni ævo nostræ civitatis, qui disserunt: cujus argumentum cum consilio meo breviter accipe.

ARGUMENTUM

SOMNII SCIPIONIS CICERONIANI.

ET si professus sum, ne illos, a quibus aliquid sumsi, dissimulem, reddamque mutuum eis, a quibus acceperim, me in his de republica libris Platonis comitem esse, multo tamen quàm ille aliam meæ civitati clausulam adjeci, alia etiam hominum respectans ingenia; nam si est unusquisque homo animal variæ ac multiformis naturæ, quanto magis in ipso humano genere diversa et longe dissimillima esse ingenia par est? Hæc enim ad virtutem serviliter metu trahuntur, seu deterrentur potius a vitiis; alia, ea quidem generosiora, præmiis invitata sequuntur; invenias nonnulla præstantissima atque excelsa, quæ suapte natura ad ipsum verum et genuinum bonum propensa sunt: quocirca Plato in ordinatione suæ civitatis homines a facinoribus atque flagitiis absterret, ostensis iis cruciatibus et pœnis, quæ malos homines vita jam functos manent: ego vero Romanorum animos nobiliores in spem sempiternæ felicitatis erigo, ac tanta proposita mercede hortor ut patriæ benefaciant, atque in placidissima pace civitatem regant, et tueantur

tur

tur: Excitat a mortuis Plato Herum quendam Pamphylium militem, qui in acie ceciderat, quò sit dictis major fides, eo narrante, qui viderit; ego gravissimas personas induco, Paulum Æmilium, et duos Scipiones Africanos, quibus sit pœne nefas non credi, et ex iis, quæ per quietem Scipioni futura prædicuntur, quorum veritatem eventus ipse comprobaverat, ad sequentia fides captatur.

Porro ne inciticia videantur errare qui futura illa bona pollicentur, disserunt ex intima philosophia de cursibus, et conversionibus cœlorum, et siderum, de justitia, de æquitate, ex quibus, velut fontibus, vires suas recta veraque fortitudo accipit, ita ut non aliam ob causam videatur hæc quæsita et parata, quàm ut bonum et sanctum suo in statu perpetuò contineri, atque servari possit, nec debet alia res arma porrigere viro forti, quàm justitia, quàm in deos, in patriam, inque totum genus humanum, pietas, cujus rei non opes et gloria sunt præmia, sed vita illa sempiternam felicitatem comitata: at vero ne homines videri quàm esse boni malint, totique ex populi sermonibus pendeant, quò fieret ut sæpe ambitione transversi agerentur, tota gloriæ cupiditas, qua plerumque magni atque excelsi animi accensi feruntur, ex mente Scipionis, qui ad divinam illam virtutem instruitur, et formatur, fortissimis eluitur argumentis, et ipse veram expressamque jubetur gloriam sperare, quæ et latissime patet, nec unquam casura est: Postremo ne si interitus ullus animorum timetur, inania videantur hæc tanta promissa et vanitatis plena, manifestis argumentis animæ immortalitas colligitur; atque obiter ne securitas, atque impunitas malefactorum, neglectum pariat virtutis, iis dumtaxat animis, qui nihil altum, atque excelsum, cogitantes, præsentis corporum oblectamento sunt contenti, cruciatibus et pœnæ spurcis, flagitiosis, consceleratis hominibus, proponuntur, ut omnes, aut virtutem ultro sectentur, aut a vitiis deterreantur.

Aa 2

SOM-

SOMNIUM SCIPIONIS,

EX CICERONIS LIBRO DE REPUBLICA SEXTO,

EXCERPTUM.

A re gesta
inceptit.

Cum in Africam venissem, Marco Manilio consule, ad quartam legionem tribunus (ut scitis) militum, nihil mihi fuit potius, quam ut Masinissam convenirem Regem, familiae nostrae justis de causis amicissimum; ad quem ut veni, complexus me senex collacrimavit, aliquantoque post suspexit ad caelum, et grates, inquit, tibi, summe Sol, ago, vobisque reliquis, caelites, quod antequam ex hac vita migro, conspicio in meo regno, et in his tectis, P. Cornelium Scipionem, cuius ego nomine ipso recreor; ita nunquam ex animo meo discessit illius optimi, atque invictissimi viri memoria: deinde ego illum de regno suo, ille me de nostra Republica percunctatus est, multisque verbis ultro citroque habitis, ille nobis consumtus est dies: post autem regio apparatu accepti, sermonem in multam noctem produximus, quum senex nihil nisi de Africa loqueretur, omniaque non solum ejus facta, sed etiam dicta meminisset: deinde, ut cubitum discessimus, me et fessum de via, et quia ad multam noctem vigilassem, arctior quam solebat somnus complexus est; hic ergo mihi (credo equidem ex hoc quod eramus locuti, fit enim fere, ut cogitationes, sermonesque nostri pariant aliquid in somno tale, quale de Homero scribit Ennius, de quo videlicet saepissimè vigilans solebat cogitare, et loqui) Africanus se ostendit ea forma, quae mihi ex imagine ejus quam ex ipso notior erat; quem ut agnovi, equidem cohorruui; sed ille, ades (inquit) animo, et omitte timorem Scipio, et quae dicam memoriae trade: Videsne illam urbem, quae parere Reipublicae coacta per me, renovat pristina bella, nec potest quiescere? (Ostendebat autem Carthaginem de excelso, et pleno stellarum, illustri, et claro quodam loco) ad quam tu oppugnandam nunc venis paene miles? Hanc hoc biennio consul evertes, eritque tibi id cognomen per

Hoc modo
loquendi u-
titur in pri-
mo Acade-
mi. Quæst.

SOMNIUM SCIPIONIS.

per te partum, quod habes adhuc hereditarium a nobis; cum autem Carthaginem deleveris, triumphum egeris, censorque fueris, et obieris legatus Aegyptum, Syriam, Asiam, Graeciamque, deligere iterum Cos. absens, et bellum maximum conficies, Numanitiam excindes.

Sed quum eris curru Capitolium invectus, offendes Rempublicam perturbatam consiliis nepotis mei, hic tu, Africane, ostendas oportebit patriae lumen animi, ingenii, consiliique tui; sed ejus temporis ancipitem video quasi fatorum viam, nam quum aetas tua septenos octies Solis amfractus, reditûsque converterit, duoque hi numeri, quorum uterque plenus, alter altera de causa habetur, circuitu naturali summam tibi fatalem confecerint, in te unum, atque in tuum nomen se tota converteret civitas, te Senatus, te omnes boni, te socii, te Latini intuebuntur, tu eris unus in quo nitatur civitatis salus, ac ne multa, dictator Rempublicam constituas oportet, si impias propinquorum manus effugeris. Hic cum exclamavisset Laelius, ingemuissentque ceteri vehementius, leniter arridens Scipio, quæso, inquit, ne me a somno excitetis, et pax sit rebus; audite cetera: Sed quo sis, Africane, alacrior ad tutandam Rempublicam sic habeto; omnibus qui patriam conservaverint, adjuverint, auxerint, certum esse in caelo ac definitum locum, ubi beati sempiterno aëvo fruantur; nihil est enim illi Principi Deo, qui omnem mundum regit, quod quidem in terris fiat acceptius, quam consilia, cœtûsque hominum jure sociati, quæ civitates appellantur; harum rectores, et conservatores hinc profecti, huc revertuntur: hic ego (etsi eram perterritus, non tam mortis metu, quam insidiarum a meis) quæsi tamen, vive-retne ipse, et pater Paulus, et alii quos nos extinctos arbitrabamur? Immo vero, inquit, hi vivunt, qui e corporum vinculis tamquam e carcere evolaverunt; vestra vero, quæ dicitur vita, mors est; quin tu aspicias ad te venientem patrem Paulum: quem ut vidi, equidem vim lacrimarum profudi, illi autem me complexus, atque osculans, flere prohibebat; atque ego ut primum fletu represso, loqui posse cœpi, quæso, inquam, pater sanctissime, atque optime, quoniam hæc est vita,

Ætas Sci-
pionis.Verba sunt
hæc Cicero-
nis.Unus Deus
mundum re-
gens.Corpus car-
cer.

ut

ut audio Africanum dicere, quid moror in terris, quin huc ad vos propero venire?

Non est ita, inquit ille, nisi enim cum Deus is, cujus hoc templum est omne quod conspicis, istis te corporis custodiis liberaverit, huc tibi aditus patere non potest; homines enim sunt hac lege generati, qui tuerentur illum globum, quem in hoc templo medium vides, quæ terra dicitur, hisque animus datus est ex illis sempiternis ignibus, quæ sidera et stellas vocatis, quæ rotundæ et globosæ divinis animatæ mentibus circulos suos, orbisque conficiunt celeritate mirabili; quare et tibi, Publi, et piis omnibus retinendus animus est in custodia corporis, nec injussu ejus a quo ille est nobis datus, ex hominum vita migrandum est, ne munus humanum assignatum a Deo defugisse videamini; sed sic, Scipio, ut avus hic tuus, et ut ego qui te genui, justitiam cole et pietatem, quæ cum magna in parentibus et propinquis, tum in patria maxima est: ea vita via est in cœlum, et in hunc cœtum eorum, qui jam vixerunt, et corpore laxati, illum incolunt locum quem vides: Erat autem is splendidissimo candore inter flammam elucens circulus, quem (ut a Grajis accepistis) orbem lacteum nuncupatis, ex quo omnia mihi contemplanti præclara certe et mirabilia videbantur; erant autem eæ stellæ, quas nunquam ex hoc loco vidimus, et eæ magnitudines omnium quas esse nunquam suspicati sumus; ex quibus erat ea minima, quæ ultima a cœlo, citima terris, luce lucebat aliena; stellarum autem globi, terræ magnitudinem facile vincebant; jam vero ipsa terra, ita mihi parva visa est, ut me imperii nostri, quo quasi punctum ejus attingimus, pœniteret; quam cum magis intuerer, quæso (inquit Africanus) quousque humi defixa erit tua mens? Nonne aspicias quæ in templa veneris? Novem tibi orbibus, vel potius globis, connexa sunt omnia, quorum unus est cœlestis extimus, qui reliquos complectitur omnes; summus ipse Deus arcens, et continens ceteros, in quo sunt infixi illi qui volvuntur stellarum cursus sempiterni; cui subjecti septem qui versantur retro contrario motu atque cœlum; e quibus unum globum possidet illa, quam in terris Saturniam nominant; deinde ho-

mi-

minum generi prosperus, et salutaris ille fulgor, qui dicitur Jovis; tum rutilus, et horribilis terris, quem Martem dicitis; deinde subter mediam fere regionem Sol obtinet, dux et princeps et moderator luminum reliquorum, mens mundi, et temperatio, tanta magnitudine, ut cuncta suâ luce compleat, et lustret; hunc, ut comites, consequuntur Veneris alter, alter Mercurii cursus; in infimoque orbe Luna radiis solis succensa convertitur; infra autem jam nihil est, nisi mortale, et caducum, præter animos munere deorum hominum generi datos; supra Lunam sunt æterna omnia; nam ea quæ est media, et nona tellus, neque movetur, et infima est, et in eam feruntur omnia nutu suo pondera.

Quæ cum intuerer stupens, ut me recepi, quis hic, inquam, est qui complet aures meas tantus, et tam dulcis sonus? Hic est, inquit ille, qui intervallis conjunctus imparibus, sed tamen pro rata parte ratione distinctis, impulsu, et motu ipsorum orbium conficitur, et acuta cum gravibus temperans, varios æquabiliter concentus efficit; nec silentio tanti motus incitari possunt, et natura fert ut extrema ex altera parte graviter, ex altera autem acute sonent; quam ob causam summus ille stellifer cœli, cujus conversio concitator est, acuto, et excitato movetur sono, gravissimo autem hic lunaris, atque infimus; nam terra nona immobilis manens, ima sede semper hæret, complexa medium locum mundi; illi autem octo cursus, in quibus eadem vis est duorum, septem efficiunt distinctos intervallis sonos, qui numerus, rerum omnium fere nodus est; quod docti homines, nervis imitati atque cantibus, apertuerunt sibi reditum in hunc locum, sicut alii qui, præstantibus ingeniis, in vita humana, divina studia coluerunt; hoc sonitu completæ aures hominum obsurduerunt; nec est ullus hebetior sensus in vobis; sicut ubi Nilus ad illa, quæ Catadupa nominantur, præcipitat ex altissimis montibus, ea gens quæ illum locum accolit, propter magnitudinem sonitus sensu audiendi caret; hic vero tantus est totius mundi incitatissima conversio sonitus, ut eum aures hominum capere non possint; sicut intueri solem adversum nequitis, ejus radiis acies vestra, sensusque

vin-

Contra se
occidentes.Via ad cœ-
lum.
Animi ad
cœlos rever-
runtur.
Orbis lac-
teus.Citima no-
bis Luna.
Ratio cœlo-
rum et to-
tius mundi.Novem cir-
culi.
Circulus pri-
mus.Secundus Sa-
turni.Circulus Jo-
vis.
Martis.
Solis.Veneris.
Mercurii.
Luna.Terra nonus
circulus.Cœli armo-
nia.
Ex Pytha-
gora primus
deinde ex
Platone.

Soni septem

Catadupa.

vincitur: hæc ego admirans referebam tamen oculos ad terram identidem; tunc Africanus: Sentio, inquit, te sedem etiam nunc hominum, ac domum contemplari, quæ si tibi parva (ut est) ita videtur, hæc cœlestia semper spectato, illa humana contemnit; tu enim quam celebritatem sermonis hominum, aut quam expetendam consequi gloriam potest? Vides habitari raris et angustis in locis, et in ipsis quasi maculis ubi habitatur, vastas solitudines interjectas; hosque qui incolunt terram non modo interruptos ita esse, ut nihil inter ipsos ab aliis ad alios manare possit, sed partim obliquos, partim transversos, partim etiam adversos stare vobis, a quibus spectare gloriam certe nullam potestis.

Cernis autem eandem terram quasi redimitam et circumdatam cingulis; e quibus duos maxime inter se diversos, et ipsis verticibus cœli ex utraque parte subnixos, obriguisse pruina vides, medium autem illum et maximum, solis ardore torreris; duo sunt habitabiles, quorum australis ille, in quo qui insistent, adversa vobis urgent vestigia, nihil ad vestrum genus, hic autem alter subjectus Aquiloni, cerne quàm tenui vos parte contingat; omnis autem terra quæ colitur a vobis, angusta verticibus, lateribus latior, parva quædam insula est circumfusa illo mari, quod Atlanticum, quod magnum, quod Oceanum appellatis in terris, qui tamen tanto nomine quàm sit parvus vides; ex his ipsis cultis, notisque terris, num aut tuum, aut cujusquam nostrum nomen, vel Caucasum hunc, quem cernis, transcendere potuit, vel illum Gangem tranatare? Vel quis in reliquis Orientis, aut abeuntis solis ultimis, aut Aquilonis, Austrive, partibus tuum nomen audiet? Quibus amputatis cernis profecto quantis in angustiis vestra se gloria dilatari velit; ipsi autem qui de nobis loquuntur, quàm loquentur diu? Quin, si cupiat proles illa futurorum hominum deinceps laudes uniuscujusque nostrum, a patribus acceptas, posteris prodere, tamen propter eluviones, exustionesque terrarum, quas accidere tempore certo necesse est, non modo non æternam, sed ne diurnam quidem gloriam assequi possumus.

Quid enim interest ab his qui postea nascentur sermonem

fo-

fore de te, quum ab his nullus fuerit qui ante nati sunt, qui nec pauciores et certe meliores fuerunt viri, præsertim cum apud eos ipsos, a quibus audiri nomen nostrum potest, nemo unius anni memoriam consequi possit? Homines autem annum tantum Solis, id est unius astri reditum, metiuntur, re ipsa autem quum ad idem, unde semel profecta sunt, cuncta astra redierint, eandemque totius cœli descriptionem longis intervallis retulerint, tunc ille vere verrens annus appellari potest, in quo vix dicere audeo quàm multa hominum secula teneantur; namque ut olim Sol deficere hominibus extinguique visus est, cum Romuli animus hæc ipsa in templa penetravit, quandoque ab eadem parte Sol, eodemque tempore, iterum defecerit, tum signis omnibus stellisque ad principium revocatis, expletum annum habeto: cujus quidem anni nondum vicesimam partem scito esse conversam; Quod si reditum in hunc locum desperaveris in quo omnia sunt magnis et præstantibus viris, quanti tandem est gloria hominum, quæ pertinere vix ad unius anni partem exiguam potest? Igitur alte spectare si volēs, atque hanc sedem et æternam domum contueri, neque te sermonibus vulgi dederis, nec in præmiis humanis spem posueris rerum tuarum, suis te illecebris oportet ipsa virtus trahat ad verum decus, quid te de alii loquantur, ipsi videant, sed loquentur tamen, sermo enim ille omnis, et angustiis cingitur his regionum quas vides, nec unquam de ullo perennis fuit, et obruitur hominum interitu, et oblivione posteritatis extinguitur.

Quæ cum dixisset: Ego vero, inquam, Africane, siquidem bene meritis de patria quasi limes ad cœli aditum patet, quamquam a pueritia vestigiis ingressus patris, et tuis, decori vestro non defui, nunc tamen præmio tanto proposito enitar multo vigilantius; et ille: Tu vero enitere, et te habeto non esse mortalem, sed corpus hoc; nec enim tu is es, quem forma ista declarat, sed mens cujusque, is est quisque, non ea figura quæ digito demonstrari potest: deum te igitur scito esse, siquidem est Deus qui viget, qui sentit, qui meminit, qui providet, qui tam regit et moderatur et movet id corpus cui præpositus est, quàm hunc mundum ille princeps Deus; et ut

Tom. V.

Bb

ip-

Disputatio
de contem-
nenda glo-
ria.

Zonæ cœli.
Duæ ad ver-
tices mundi
frigida.
Una torrida.
Duæ habi-
tabiles.

Annus Solis

Annus ver-
rens qui et
magnus.Virtus tra-
hit ad ver-
rum decus.Homo pot-
est dici deusProvidentia
Dei.

Argumentum.

Principium.

Animal in
animum.
Animæ na-
tura et vis.Curæ in vi-
ta optima.

ipse mundum ex quadam parte mortalem ipse Deus æternus, sic fragile corpus animus sempiternus movet; nam quod semper movetur, æternum est, quod autem motum affert alicui, quodque ipsum agitur aliunde, quando finem habet motus, vivendi finem habeat necesse est: Solum igitur quod se movet, quia nunquam deseritur a se, nunquam ne moveri quidem desinit, quin etiam ceteris quæ moventur, hic fons, hoc principium est movendi; principio autem nulla est origo, nam ex principio oriuntur omnia, ipsum autem nulla ex re alia nasci potest, nec enim id esset principium quod gigneretur aliunde: quod si nunquam oritur, nec occidit quidem unquam, nam principium extinctum, nec ipsum ab alio renascetur, nec ex se aliud creabit, siquidem necesse est a principio oriri omnia; ita fit, ut motus principium ex eo sit, quod ipsum a se movetur, id autem nec nasci potest, nec mori, vel concidat omne cælum, omnisque natura consistat necesse est, nec vim ullam nanciscatur, quæ a primo impulsu moveatur: cum pateat igitur id æternum esse quod a se ipso moveatur, quis est qui hanc naturam animis esse tributam neget? Inanimatum enim est omne, quod pulsus agitur externo, quod enim est anima, id motu cietur interiore et suo, nam hæc est propria natura animæ atque vis; quæ si est una ex omnibus quæ se se moveat, neque nata certe est, et æterna est: hanc tu exerce optimis in rebus; sunt autem hæc, optimæ curæ de salute patriæ, quibus agitatus et exercitatus animus, velocius in hanc sedem et domum suam pervolabit, idque ocius faciet, si jam tum cum inclusus erit in corpore eminebit foras, et ea quæ extra erunt contemplans, quàm maxime se a corpore extrahet, namque eorum animi qui se voluptatibus corporis dederunt, earumque se, quasi ministros, præbuerunt, impulsuque libidinum voluptatibus obedientium, deorum et hominum jura violaverunt, corporibus elapsi circum terram ipsam volutantur, nec hunc in locum, nisi multis exagitati seclis, revertuntur: Ille discessit, ego somno solutus sum.

JOANNIS LUDOVICI VIVIS

VALENTINI,

IN VIGILIAM SUAM IN SOMNIUM SCIPIONIS,

PRÆFATIO.

Non dubito futuros plerosque, qui simul ac me enarrare Scipionis Somnium, quæ est pars libri de Republica Ciceronis sexti, vel viderint, vel audierint, mox putent actam me rem agere, quum in illud ipsum Somnium Macrobius, eruditus sane scriptor, nec inelegans, duo justa volumina scripserit, quod et mihi jam a quibusdam amicis meis objectum est: quibus quum rationem consilii atque instituti hujus mei declaravero, si ea non satisfecerit, minime moleste feram ipsos in eadem opinione persistere, audita causa, in qua erant prius quàm audirent me; certe causam dixisse, hoc demum juvabit. Ego quum in Ciceronis libello, quo nullum scimus scriptum ab eo, neque elegantius, neque eruditius, me vellem more meo ludens oblectare, non deterritus sum magnis Macrobiæ commentariis; tum quod video veteres permultos scriptores ausos esse in eodem versari argumento, quod a prioribus erat jam uberime tractatum, nec id in hoc solum enarrandi munere, sed in orationibus, in philosophia, in omni genere artium et disciplinarum, otiosum esset in re aperta nullique ignorata exemplis uti; tum quod Macrobius certos quosdam sibi delegit locos, in quibus se effunderet et jactaret, multos prætermisit, quos alii tractare possent: ad hæc, ex iis quos ipse explicat, nonnulli sunt qui mihi aliter videntur tractari posse, alii qui forte melius: neque id dico, quod objectum et obrectatum quidquam velim memoriæ clarissimi et doctissimi viri, quod quum nusquam alibi decet, tum vero hic esset turpissimum, nec invidiæ careret suspicione, illudque Hesiodum in mentem protinus lectori veniret: *Figulus figulo*: sed ut sciat lector relicta esse a Macrobio, licet copiosissimo auctore, quæ in Somnium Scipionis dici adhuc possint.

Causa cur
post Macro-
bium scri-
bat.Hesiodi dic-
tum de in-
videntibus.

Dissero igitur ipse de iis quæ Macrobius omisit; de quibus disputavit, aliter ego disputo, aliàs fusiùs, aliàs arctius et compressius: et quia id dixi, ne quis putet me ab illo esse pleraque mutuatum, profiteor me nihil fere ab illo sumsisse; quòd si fecissem, mallet (ut inquit ille) ingenue profiteri, per quem profecissem, quàm serviliter in furto deprehendi: postremo de me et Macrobio illud unum, mea quidem sententia, possum dicere, quod de se atque Homero Vergilius:

*Illius immensos miratur Græcia campos,
At minor est nobis, sed bene cultus ager.*

Cujus rei nulli mihi erunt iniquiores iudices, quàm qui vel me, vel Macrobius non legerint, nam reliquis facile me hoc probaturum confido. Ac de Macrobio quidem hæc erunt, ut arbitror, in præsentia satis; nunc de hac mea enarratione pauca loquar: non concidi eam minutim more aliorum interpretum, sed perpetua oratione, et unico velut dictionis contextu, simul cum Ciceronis sensu, ac verbis, progressus sum; quod quum ob alias nonnullas causas feci, quas paullo post edam, tum vero, ne ad reprehensionem obnoxia et objecta duobus generibus hominum esset, quorum alterum minimè grammaticum videri vult, alterum nimis; nullum enim scriptorem enarrare illa ratione commentarii potes, etiam si ex intima philosophia de reconditissimis disputes rebus, quin nostri recentes Philosophi opus tuum inauditum, incognitum, grammaticum pronuntient, et tamquam rem vilem nimis abjectamque contemnant atque aspernentur; de qua ipse insolentia et loquar aliàs quàm plurima, et paucula quædam aliis meis operibus jam dixi; grammatici porro nostræ ætatis, ut magna pars istorum hominum, vitio parum sani iudicii laborat; si quid prætereas, quod dici potuisset necessarium ramen non sit, (tam iniqui sunt et sævi rerum omnium æstimatores) segnem, dormitantem, oscitantem, sterilem interpretem appellant, sin alicui non satisfacias loco, hallucinatum mox clamant; si quo (ut nemo unus potest omnia) fueris falsus, ibi, idii immortales! quibus verborum ponderibus exaggerant rem, et ex levissima faciunt gravissimam

at-

atque intolerabilem? Ibi tum Pericles omnes dicas, ita fulmiant, et tonant.

Quem non terreant ista? error fustuario dignus, erratum vice flagro eluendum, prodigium majoribus hostiis expiandum, insaniam cui nullæ Anticyræ suffecerint, hallucinatio carcere et exilio dignam, commissum furca eluendum et cruce, et alia, quorum sola commemoratione horrescit animus; et quum grammaticus ille unum aliud quod dictum diligentius se putaverit examinasse, atque excussisse, quàm tu feceris, vult majorem sibi partem illo solo gloriam quàm tibi totis solidis commentariis, in quibus multum operæ, multumque olei non tam collocasti, quàm (siquidem tam iniqua refertur gratia) perdidisti. Quas ob res sæpenumero deflevi conditionem miseram enarrantium, quorum opera tam insanis et furiosis iudiciis subjecta essent: et eram ipse in multos Ciceronis, Vergilii, Plinii, Quintiliani libros editurus commentaria, quæ domi perfecta servo, nisi tam me illarum demontiarum et rabiosarum annotationum tæderet pigeretque; statim enim grandia annotationum proferuntur volumina, quibus interpretes miserimè lacerantur, et omnium rerum ignorantia arguuntur: Quid vero si voculam aliquam deprehendant, quam se apud aliquem ex antiquis scriptoribus parum meminerint legisse? ibi nulla excogitari possunt tam impio et nefando sceleri satis condigna supplicia, omnes apud inferos omnium et Sisyphi, et Tantalii, et Ixionis, et aliorum simul pœnæ non suffecerint: hîc, idii vestram fidem! quantæ excitantur tragœdiæ? liber ille cum auctore suo ex toto consortio generis humani eliminandus est, et deportandus in insulam ubi solæ degant ferae, aut in illas Africae desertas arenas, ubi nihil nascitur præter venena, quum interrim vocabulum illud, aut loquendi proprietas, qua movetur tam atrox tumultus quo tota rerum natura confundi debet, apud Ciceronem sit, vel Cæsarem, vel Livium, vel Plinium, vel Quintilianum, vel aliquem ex illis illorum temporum, idque non semel; neque est mirum; non enim potuit grammaticus ille omnia vel legisse, vel attentus legisse, vel complecti ac tenere memoria; multa sunt ei non lecta, atque utinam non plura quàm lecta; multa legit aliud agens, parum considerans,

Misera conditio enarrantium.

pa-

Recentes philosophi.

Grammatici

parum animadvertens; multa excidunt partim ob tantam rerum et verborum copiam, partim ætate, quæ aufert omnia: sed argumentum hoc destinatum mihi est aliis voluminibus quæ spero me de lingua latina editurum, ubi ostendam quanta nostris temporibus per recentes grammaticos invecta in latinum sermonem superstitio est, veterum auctorum religioni adversa atque contraria: hæc vero sint a nobis dicta ad nostros grammaticos commonefaciendos, ut si fieri possit, ne velint pro lege esse in latino sermone, qui latius patet quam putent, quidquid ipsi se legisse non recordentur: nunc ad id quod institueram redeo.

Hoc ergo commentarii genus et philosophis non tam grammaticum, et grammaticis magis rhetoricum videbitur, simul illi dignam rem existimabunt quam legant, simul hi minus dignam quam reprehendant, utpote sua professione superiorem; et quamquam non particulatim singula sum persecutus, nihil tamen tacitum dimisi: lector si opus hoc meum separatim, solumque legat, facile credat novum esse argumentum a me excogitatum; sin vero cum Cicerone conferat, tum demum intelliget, quid agam, illamque ad ipsum perventuram commoditatem arbitror, quod sine tædio interrupti toties cursus orationis poterit hæc nostra percurrere, et precium operæ referet, non solum ex narratione ipsius Somnii Scipionis, sed forte aliquantum etiam ut spero ex stilo nostro, de quo mihi loquendum neutram in partem est, nec sine pudore tria illa verba dixi: de hoc vero Somnio illud possum affirmare, Nullâ unquam hominum memoriâ scriptum esse librum (sacros nostræ religionis semper excipio) in quo plus rerum, plus artis, plus eloquentiæ, sit comprehensum atque infarctum; nulla portio cujusquam partis aut speciei philosophiæ in tantillo deest libello; ratiocinationes, inductio, enthymemata, ceteraque argumentationum genera varie ex sedibus illis, et velut probationum adytis, producta; quæ sunt ex dialectica, passim sunt sparsa, sed illic creberrima, et densissima, ubi animæ immortalitatem ostendit; moralem disciplinam ex professo, et quæ ad privatos affectus conducit, quam dicunt ethicen, et quæ ad regendam repu-

bli-

blicam quam politicen, tam purè, tam integre, caste, religiose, sancte tractat, ut incredibile pæne videatur ab Ethnico illa potuisse proficisci, quæ etiam a christiano viro dicta non possemus non admirari et adorare: portò naturæ, sursum Deum, quàm partem non excutit! orsus a primo illo et altissimò cœlo, non abruptè in terram desilivit, sed gradatim singula quæque persecutus, ac perscrutatus, ad terram delapsus est, in qua non una resedit civitate, vel regione, sed eam totam divisit prius, deinde finibus suis, atque limitibus, descripsit ac definiit: nec ex Mathematicis artibus prætermisit aliquam, astrorum rationem totam percurrit, multa sunt ex Musicâ, eaque præcipua, ex Arithmetica et Geometria quædam, ceterum reconditissima: at de dictione ipsa piaculum est aliud iudicium ferre, quàm illud unicum: Ciceronis est: Hoc enim solò nomine quidquid artis, quidquid virtutis dicendi posset explicari, clauditur et continetur.

Hunc igitur libellum verius appellari cornu-copiæ liceret, quàm illud capræ nutricis Jovis; in hoc namque quidquid usquam est in tota rerum natura, est conjectum; ita ut Macrobius vir eruditissimus, etiam si et aliud in totâ non egisset vita, in qua re vera pro virili sua litterariæ reipublicæ bene laboravit, sed si aliud præterea non egisset quàm servare nobis hunc omnis eruditionis thesaurum, optime de studiis omnibus fuisset meritis, ejus enim opera ad nostram usque pervenit ætatem, nam alioqui cum suo corpore, sex illis Ciceronis de Republica libris, vel intercidisset, vel certe lateret adhuc libellus, quem ego quidem et præfero magnis multorum philosophorum libris, et ajo difficiliorem multo esse, vel intellectu, vel enarratu, quàm totos octo de physica auscultatione Aristotelis libros, quamlibet intricatos et obscuros; quos qui nostris in scholis audierunt, et philosophos se, et consummatos quidem, esse existimant, et pro talibus passim se defricta frontè rudi plebi venditant: nemo me suggillare Aristotelem credat, quem ego universis philosophis, nemine excepto, antepono, sed illos Pseudaristotelicos; neque enim mihi consilium est ex vituperatione aliorum aliquid ad Ciceronem commendationis derivare, invidio.

Somnium
Scipionis.Cornu-cô
piæ.

diosa enim est ejusmodi laudandi ratio: ideo nec Platonis narrationem Heri Pamphili, quæ est in ejus volumine de Republica decimo, ad cujus exemplum Cicero Somnium hoc tamquam coronidem suis de Republica libris adjecit, cum hoc nostro libello componam, et comparabo: æmulatus enim est Cicero fere ubique Platonem, multaque ex illius philosophia in suam, partim reconcinnata et murata, partim integra, ad verbum translulit; quod quum plerisque aliis in scriptis suis fecit, tum in hoc ipso totus est Platonicus, præterquam ubi de cœlis disserit, in qua disputatione ad Pythagoram et Ægyptios magis deflexit de ordine siderum vagantium, et concentu cœlorum: quocirca et ego ex Platone ipso, Platonisque, ad Platonis sententiam explicandam nonnulla mutuatus sum, nec quod ipse sentirem interdum protuli, sed quod vel Cicero, vel Plato, quem Cicero sequitur: Hoc nunc in principio admoneo, ut ne lector, quum omnino Platonice rem aliquam tractaro quæ melius forsân Aristotelice diceretur, consilium meum ignoret; quod in naturalibus potissimum rebus contingere aliquando arbitror, nam moralia non poterant sanctius tradi quàm a Platone et Cicerone in iis, quæ nunc sunt in manibus, scribuntur; quæ ego, ut fructus esset uberior et amplior, leviter ad Christiana nostra accommodavi, non oblitus tamen quid agerem, et cujus personam induissem.

Sed jam tempus est, ut hæc præfati, P. ipsum Scipionem Æmilianum dicentem audiamus; is enim verba faciet solus, non qualis est in Somnio nostro Cicero, quem ego induco præsentium rerum non ignarum, utpote qui fata viderit, sed qualis tunc erat paullo ante mortem, qualem eum Cicero fingit disserentem; ideo nec de re aliqua inférieure sua ætate atque memoria loquetur: quum ergo novendialibus feriis, C. Sempromio Tuditano, C. Aquilio Coss. in hortis Scipionis post colloquium duorum dierum, tertio die, posteaquam multa de optimo reipublicæ statu essent ab ipso Scipione, C. Lælio (qui appellatus est sapiens) Manlio et Furio disputata, justitiæ causa esset a Lælio contra accuratam Furtii orationem defensa, inventumque longis esset disputationibus justitiam esse in primis in

op-

optima Republica colendam, tum de illius, deque ceterarum virtutum mercede, ac præmio, cœpit Lælius inquirere, mirarique quod P. Cornelio Nasicæ nullum esset datum præmium optimi illius facti, quo Rempublicam seditione et tyrannide Tiberii Gracci liberavit; Africanus videns Lælium ex vulgari illa et populari sapientia, non ex perfecta atque divina, id quærere; ut quæ bonos viros manent bene actæ vitæ præmia, quæ ipse non a mortali aliquo, et in tenebris corporis, vitæque hujus ignorantia, laborante, sed ab immortalibus jam et divinis Scipione Africano, et Paulo Macedonico, accepisset, doceret, hujusmodi orationem habuit.

Cur Scipio
narrare Sô-
nium.

PRÆFATIONIS FINIS.

JOANNIS LUDOVICI VIVIS
IN SOMNIUM SCIPIONIS,

EX SEXTO DE REPUBLICA CICERONIS, VIGILIA.

Lucio Licinio Lucullo, Au. Posthumio Albino Coss. quum per Gulussam Masinissæ filium patribus nuntiatum esset, delectus Carthagini haberi, ea causa satis magna justaque Carthoni, viro consulari, atque Censorio, Carthaginensiumque peracri hosti, visa est, propter quam bellum Africæ inferretur; P. Scipio Nasica, ille, qui judicatus vir optimus, bis consul et censor fuit, ad pacem, misericordiam, clementiam magis propensus, nihil temere, nihil contra fidem, et fœdera, movendum censebat: ita is annus concertationibus patrum, dissensionequè duorum principum consularium, extractus est. Consules postea sunt creati noster hic *M. Manlius* et L. Martius Censorinus, quo anno quum nostris Legatis Carthaginenses non paruisent, sed contemptis Senatus jussis prælium cum *Masinissa*, amico veteri, et summo, nostro, commisissent, Cato Senatui persuasit, ut per magistratum aliquem ad populum ferendum censeret de bello Carthagini inferendo, idque plebs jussit: his ego

Initium bel-
li punici ter-
tii.

Masinissa.

Tom.V.

Cc

con-

consulibus ex Hispania in Africam veni missus a Lucullo, sub quo tribunus militum ad quartam legionem eram, nihilque in mandatis habebam aliud, quam ut a Masinissa ad Hispaniense bellum elephantos aliquot nomine Imperatoris mei peterem: eodem die quo ad ejus castra perveni, Hasdrubal Imperator Carthaginensis cum Masinissa contulit signa, isque a Rege ingenti prælio superatus est, duos vero potentissimos exercitus concurrentes secutus, ipse et lætus ex edito colle velut e theatro despectavi, ingentique voluptati spectaculum mihi illud fuit; digressum a bello Masinissam conveni victorem, qui incredibile commemoratu est, quantum congressu nostro sit lætatus, non aliam ob causam quam quod me Africani amici sui nepotem videret; acceperat enim Regem hunc Africanus in amicitiam Populi Romani, nostraque Respublica et in pace, et in bello, bono ac fideli socio semper illo usus est: nec degenerat a virtute patris Micipsa hic qui Numidiæ nunc imperat: erat igitur Masinissa multis beneficiis, ut scitis, affectus ab avo meo Scipione, reverebaturque Rex eum simul et amabat mirifice.

Ita quum primum me vidit, *Complexus me arctissime cæpit præ ingenti gaudio collacrimari, paulloque post suspiciens ad cælum gratias egit Soli, Lunæ, Jovi, Marti, ceterisque diis et deabus qui cælestia illa delubra incolunt et ornant, quod antequam ex hac vita ad eos commigraret, frueretur ea voluptate, quam, post discessum scilicet Scipionis ex Africa, semper primam concupisset, ut videret aliquem de familia et gente nostra, quam ipse ita tenere uniceque diligebat, ut non modo Scipione aliquo, sed ipso solo audito nomine recrearetur, et velut repubesceret; usque adeo hærebatur infixa ejus memoriæ admiratio illa et amor Africani, quo viro nullum hæc Respublica tulit meliorem domi, felicitorem in castris, ut ad conservandum hoc imperium natus fuisset videatur: hunc ego, quem, tametsi juvenem, non tamen juvenilium rerum multa tenebat cura, sed nostræ Reipublicæ, sed regnorum nobis sociorum, nostrarumque provinciarum, rogavi primum, quàm feliciter ejus regnum ageret? Ibi de injuriis illi a Carthaginensibus illatis plenius cognovi: Ille me vicissim de Senatu nostro, deque populo percunctatus est: ita dum ipse*

mi-

mihi de bello cum Carthaginensibus suo, *ego illi de nostro cum Hispanis narro, quod supererat diei consumsimus. In sequenti nocte eo apparatu sumus excepti, et qui Regem victorem decebat, et quem ille decere arbitrabatur nepotem Africani, filium Æmilii Pauli; multa in eo convivio locutus est pæne nonagenarius ille senex, sed de iis rebus omnia, quæ Scipioni contigerant: Sumus nos senes omnes natura loquaces, libenterque præterita nostra facta, aut nostrorum amicorum, narramus: talis fingitur ab Homero Nestor, talis erat Panætius noster, talis Cato: commemorabat igitur senex, non facta modo Africani, qualis in pugna ad Trebiam fuisset, quum, pæne prætextatus, in uno homine tot personas servasset, civis, consulis, Imperatoris, patris clarissimi, et sanctissimi viri; ut quernam coronam repudiasset, quod officium se illo immortalis facinore præstitisse, non beneficium contulisse existimaret; illi enim attulit vitam, a quo ipse acceperat: quid post Cannensem cladem? quum jurare juvenes nobiles coegisset, ipsos Italiam non relicturos; qualis Imperator in Hispania; qualis in Africa; quàm pius legatus fratris; quàm mitis in exilio: non hæc tantum facta referebat, sed dicta etiam, velut illud: Nunquam sum minus otiosus, quàm quum otiosus: et alia permulta.*

Provecta erat nox, et me, quamvis hominem non admodum somnolentum, fessum tamen de via, et quia tantum post lassitudinem vigilaram, gravior solito somnus fatigabat; discedere tamen non decebat me juvenem, antequam hospes meus, in cujus regno eram, senex venerabilis, suapte sponte cubitum concederet; ille autem laborum patientia juvenes omnes superabat, summa erat in eo corporis siccitas, admirabile nervorum robur, omnia Regis obibat munia, nihil ex iis operibus, quæ adolescens sustinere assueverat, senex remisit, sed jam tandem cubitum discessimus, me altissimus somnus totum complexus est, placidissimoque sopore ita sum perfusus, ut non mirer, quum tam varia, partim læta, partim tristia, partim admirabilia, partim horrenda, per quietem viderim, me non esse affectu aliquo excitatum, erant nimirum omnia somni vinculis bene illigata, atque districta, nec facile fuissent soluta: *Ac quoniam*

Præclara gesta Scipionis.

Scipio Africanus prior.

Vigilans de Africano fueram tam diu locutus, is mihi dormienti se ostendi, hoc enim nulli nostrum non usu venit, ut si de re aliqua multum, vigilans, aut cogitarit, aut fuerit locutus, hæc ei res quiescenti in mentem veniat, præsensque obversetur: Simile mihi quiddam Q. Ennius sibi narrabat contigisse, quem ego senem peradolescens interdum audivi; nam quum natura sua ad carmen et poësim esset propensus, etsi artem non multum in hoc populo honoratam, velletque nostram linguam hac parte mancā non esse, nam antea, præter Livium Salinatoris libertum, nullum habebamus, nisi quis Saliorum carmina, et quædam indigitamenta, et alia nonnulla, qualia Fauni, vatesque canebant, multum ad rem pertinere credit: Dabat igitur Ennius multam Homeri operibus operam, ut divitias illas Græcas in hanc, si posset, urbem transferret; nam Livii carmen relegat ille quidem frequenter, quoniam scripturus erat, consulebat tamen nobis, qui non eramus scripturi, ne lectum legeremus; non esse tantum carmen, ut bis legeretur; idem de quibusdam poëmatibus Nævii censebat, quæ tum primum in apertum proferebantur.

Itaque quum per aliquantum temporis, nihil illi in ore, nihil in mente præter Homerum esset, visus est sibi cum Homero in Parnasso, Phocidis bicipiti monte, versari, cujus alterum verticem, quem Thitorean vocant Græci, Baccho sacrum dicunt, alterum Hyampæum, Apollini; totum vero Musarum esse domicilium; tum et potare se affatim de fonte illo Castalio existimavit, cujus liquorem ferunt poëticos illos spiritus atque furorem infundere; hocque somnium tale fuit, ut postridie annales, et præclara illa poemata, quæ nunc sunt in manibus, cœperit scribere; quod somnium scriptum videtis illo carmine: *Visus Homerus adesse Poëta*: aliisque deinceps versibus permultis. Eodem pæne modo et mihi Africanus est visus, ea facie, ut illum esse potius ex statuis et imaginibus ejus, quas in atrio veteri, consuetudine habemus, conjicerem, quàm ex memoria ipsius a me visi; neque enim possum ejus meminisse, qui anno post me natum obiit, L. Portio Licinio, P. Claudio Pulchro Coss. Catone censore, quo anno mortuus est etiam Plau-

Ennii Somnium.

Poësis prima Romæ.

Nævius.

Parnassus mons. Duæ ejus vertices.

Qui Castalio fons.

Plautus et Hannibal eodem anno mortui.

tus, et Hannibal veneni haustu se ipse in Bithynia sustulit, quum ego natus sim Tuditano et Appio Claudio Coss.: sed ut Scipionem esse cognovi, non tam quod mortuus homo se ostenderet, quàm veneratione tanti viri non mediocriter cohorrui, ac perterritus sum; at ille: Nihil est quod hic timeas Scipio, revoca animum tuum, qui extra te est pavore percussus, sis præsens, mandaque memoriæ quæ tibi eventura prædicam: erat vero Scipio in altissimo quodam loco, non modo per se se claro, sed etiam admirabilibus illustrato facibus; illinc indicat mihi Carthaginem; Vides, inquit, urbem illam, quæ altero Punico bello, quod contra fœdus, contra æquum, nobis Hannibal intulit, a me victa et subacta est obedire nostræ Reipublicæ, ac stipendium pendere Populo Romano, nunc pristina illa duo revocat bella, nec sua pace contenta quiescere potest, nata ad exercendam virtutem Romanam, ad rumpenda nostra otia? ad eam tu nunc oppugnandam venis tribunus militum, hoc est, paullo plus quàm miles: quamvis in eo munere, ita te geres, ut sæpe salutis sis militibus nostris, nosterque consul Manlius cum suo exercitu magno ex discrimine per te liberetur, atque servetur, coronaque ab ipso et cohortibus ejus graminea doneris, monumentum vitæ, et salutis, consilio et virtute tua receptæ, ita ut Catoni, homini ingenio maledicentissimo, illa vox de te exprimat: *Hic sapit solus, reliqui, in Africa militantes, umbræ sunt*: talisque erit in Urbe sermo ac opinio de te, ut contra veteres leges populus te consulem creare nitatur; etsi non perficiet, nam Marcius qui comitiis prærit, omnino in ea sententia perstabit, ut ne nomen hominis tam juvenis recipiat; ita consules erunt Calphurnius Piso, et Hostilius Mancinus: proximo anno petitor ædilitatis descendes in campum, renuntiabere consul ingenti suffragiorum consensu, non tribuum modo, sed singulorum etiam hominum, addito de plebe quidem collega, ceterum ex honorata familia, Livio Druso, qui ob egregiam pro Senatu, proque optimatum dignitate, adversum nepotes meos operam, Patronus Senatus vocabitur; quumque de te ortæ fuerint contentiones, quod contra legem Annalem factus sis consul, legibus te populus solvet, tibi que extra

Scipio Æmilianus corona graminea donatus. Vox Catonis de Scipione.

sortem Africū mandabitur bellum: quo anno magna virtute, et summa disciplina militari, atque imperatoria, *Carthaginem expugnabis*, et urbem quæ a Phœnicibus condita, magna et in pace et in bello gloria per septingentos annos claruerat, evertes incendesque, durabitque decem et septem dies incendium illud: tum nomen istud Africani, quod per filium meum, qui te adoptavit, simul cum hereditate ad te transiit, erit tibi tua virtute et armis quæsitum: tunc appellabere Africanus, etiamsi in familiam nostram ascitus non esse. Romam regressus C. Cornelio Lentulo, L. Mummiō Achaico Coss. incredibili omnium ordinum lætitia triumphum illum ages, quo imperium Pop. Rom. certum atque securum confirmabitur ac stabilietur; illa enim urbe deleta, nihil supererit quod nostris armis orbem invadentibus, tamquam moles objici possit; maria et terræ nobis patebunt, parebuntque. *Fies post hæc cum L. Mummiō, qui Corinthum evertet, censor;* et quamvis futurum sit, ut ita tuus tibi vileat et displiceat collega, ut in concione te omnia pro majestate populi Romani in censura fuisse gesturum dicas, si tibi in eo magistratu collega datus aut esset, aut omnino non esset, cum illo tamen magnæ continentiæ viro summa cum laude et gloria censuram geres, lustrumque condēs multis et factis et dictis insigne.

At quum sublato eo populo, qui unus metum nostræ Reipublicæ facere poterat, Senatus populusque noster, orbis terrarum imperium mente et cogitatione invaserit, nihilque nisi altum, nisi excelsum cœperit cogitare, quomodo leges vere humanas cunctis gentibus et nationibus ferat, quomodo victus et humanitatis rationem barbaris et efferatis populis communicet, quomodo linguæ commercio et tamquam vinculo dispersum genus humanum congreget et devinciat, *Mitteris ipse legatus ad Ægyptum, Syriam, Asiam, Græciamque;* nam quoniam Antiochus junior, Alexandri Asiæ Regis filius, adversus Demetrium bellum in Syria geret, cui bello Ptolemæus Evergetes, Rex Ægypti, se immiscebit, vexabunturque Jonathas, et alii Judæi, socii atque amici nostri, delatis istarum rerum querelis ad senatum, mitteris tu ad eas regiones, eo quidem prætextu ut

auc-

auctoritate tua videas componasque res sociorum, sed re vera uti prudentia tua speculeris, quale nam genus hominum ea regna terrasque incolat, bellicosum an imbelles, armatum an inerme, simplex an vafrum et astutum, opulentum an inops, frequens an rarum; ut deliberari facile possit, quibus copiis atque exercitu debellari gentes illæ, nostroque imperio et Romanis legibus adjungi queant: ibis ad legationem, comitatus unico amico Panætio, quicum de gravibus disseris rebus, quem consulis, etsi consilii minimè indigus, a quo philosophiam doceris, maximasque, et præstantissimas artes: (1)

—*Quicum bene sæpe libenter
Mensam, sermonesque tuos, rerumque tuarum,
Comiter impartis.*

Necnon,

*Cui res audacter magnas, parvasque, jocumque
Eloqueris, quæ tincta malis et quæ bona dictu
Evomere, si quid velles, tutoque locare,
Quocum multa volup, ac gaudia, clamque palamque,*

ut noster, inquit Ennius: comitatus quoque ad tuarum rerum necessarios usus servis quinque, proficisceris; e quibus quum unus morietur, alterum e domo, ne tibi sit emendus, accerses; per totam enim tuam vitam, tanta futurus es parsimonia, cum pari gravitate conjuncta, ut nihil unquam emas, nihil vendas, nihil alienes, nunquam cantes, nunquam saltēs, heredi libras argenti relinquant triginta, auri duas.

Defunctus legatione, invenies Rempublicam gravi bello et ignominioso implicitam atque intricatam; Sedigenses enim (qui est in Hispania populus) manus nostrorum Imperatorum elapsi, ad Numantinos socios, veteresque consanguineos suos, refugient: est porro Numantia in Uracis sita, acclivi colliculo, Sparthæ Lacedæmonia viris munimentisque urbis non absimilis, nisi quod Sparta aliquanto major est; sed in utraque fortissimi

Numantiæ
situs.

sunt

(1) Ex Q. Ennio Annal. lib. 7.

sunt viri, neutra turres habet, neutra muros: hæc civitas quum Sedigenses illos hostes Populi Romani in urbem, domosque suas acceperit, illosque protexerit, rebus universis juverit, armis etiam, Magara duce fuerit tutata, bellum ei a vestro Populo indicetur, multosque annos ita a nostris illic pugnabitur, ut maxima cum ignominia et dedecore recedamus victi; interdum (quod non minus horreo, quam pudet dicere) a quatuor millibus triginta millia nostra fundentur, fugabuntur, adigenturque ad pacem fœdusque, quæ erit nota et macula nostræ Reipublicæ diuturna; idque non semel, nec uno Imperatore fiet: confugietur ad te, tamquam ad eum qui natus sis ad terrores Reipublicæ tollendos, ad securitatem tuæ patriæ parandam, obtrudeturque tibi secundus consulatus recusanti, objicientique legem Annalem, quæ eundem magistratum, ni intersint decem anni, capi ab eodem homine vetat; verum ingenti consensu, et una totius civitatis voce, solveris iterum legibus, ut consul cum Cn. Fulvio Flacco, ignominiam labemque patriæ abstergas; ad bellumque in Hispaniam profecto, tibi major cum tuis militibus quàm cum hoste certamen negotiumque erit in illis ad veram illam disciplinam militarem, qua nos tot Reges, populos, gentes domuimus, reducendis: verum nihil non perficiet et vincet tua virtus, tuum consilium, ostendesque Rempublicam Romanam, scientia Imperatorum potius, quàm fortitudine militum, stare: eisdem enim illis victis et profligatis a Numantinis, quique antea non arma solum, sed ne vocem quidem, et terribilem hominis Numantini aspectum, sustinere poterant, tu Numantinos franges, urbem ipsam *Numantiam*, per quatuordecim annos a quatuor virorum millibus fortissimè propugnata atque defensam, *dirues* et incendes, triumphabisque iterum de gente post Carthaginensem ferocissima, et quæ fœdiores Romanis clades attulerit, quàm alia ulla.

De gente, inquam, triumphabis, sed (quòd nunquam antea contigerat, nunquam postea continget) nomen dumtaxat tecum in Urbem invehes, non captivum aliquem, non aurum, non argentum, vel factum vel infectum, non prædæ genus aliquod, nihil denique præter ipsius oppidi simulacrum; tuisque

Numantino-
rum virtus.

Lex Annalis

Scipio con-
sul bis.

Roma Impe-
ratoribus po-
tius vicit
quam mili-
tibus.

Scipionis
triumphus
secundus.

Triumphus
de Numan-
tinis qualis.

mi-

militibus usque adeo et venerabilis erit tua majestas, et ad imitationem proposita continentia, ut sedecim millia pondo, a te post victoriam eis omnibus divisa, satis sint; nec mirum; quippe qui te, Imperatorem suum, prius conspicient, quum munera a puero Antiocho Syriæ Rege accipies, non illa more ceterorum occultare Imperatorum, sed in publicas referri a quæstoribus tabulas jubere, professum ex iis te fortes viros donaturum: hic erit finis tuarum militiarum: et ætas deinde tua, et usus necessitasque Reipublicæ, te ad res urbanas totum vocabunt; nam de duodecim liberis, quos Cornelia, probissima et sanctissima filia mea, ex minore T. Graccho illo, qui bis consul, bis triumphalis, et censor fuit, progignet, duo illi, qui supererunt virilis sexus, obliti et paternæ et meæ virtutis, ac gloriæ, quum possent tum generis nobilitate, commendationeque, tum etiam eloquentia, bonisque artibus et ingenio, quibus imbuti ac præditi erunt, magni et clari in Republica esse, splendoremque a majoribus relictum suis gestis rebus augere, mallent tamen ita populares videri, ut quietam et bene constitutam Rempublicam turbare atque labefactare connitantur rogationibus legum Agrariarum, quæ in nostra civitate et fuerunt

Gracchi duo

Leges Agra-
riæ.

Ὡς ἀπόλοιτο καὶ ἄλλοι, ὅς τις τοιαῦτά γε βέλοιο.

Cum minore Cajo, milite tuo, propositum tibi certamen est, juvene impigro, strennuo, factioso, vehementiore et calidiore fratre suo; cujus Caji in triumviratu collega C. Papyrius Carbo rogationem Tr. pl. feret, ut eundem tribunum populo quoties velit reficere liceat: hanc tu gravissima oratione dissuadebis, suasuque et hortatu Caji Gracchi a Tribuno, homine populari, turbulento, disertissimo, ad invidiam tibi atrocem con-

Papyria ro-
gatio.

Tom. V.

Dd

ci-

(1) Odis 1. vers. 47.

citandam rogabere, quid de Tiberii Gracchi nece sentias? respondebis jure tibi videri casum; reclamantem atque obstrepentem ferociter, ut nunquam alias, concionem vultus auctoritate voceque increpabis et sedabis: sed illud tuum de Tiberii cade verbum, atque iudicium, alius in pectus Caji Gracchi, Carbonis, Fulvii, uxoris etiam tuæ Semproniae, Gracchorum sororis, aliorumque affinium tuorum, quam quisquam suspicabitur, descendet; hinc Cajus Gracchus, Tiberii fratris sui vestigia ingressus, excitatis intermortuis illius reliquiis, agrariam illam, per veterem Liciniam legem de quingentorum agri iugerum possessione, de centum majoris armenti capitibus, deque quingentis minoris, olim a Licinio Stolone latam, addito capite, ut agri ad id tempus inique possessi, simul cum fructibus, veteribus veris germanisque restituantur possessoribus, quam frater ejus aliquot ante annis per summam contentionem atque vim perferet, ita tuebitur, ut vir ipse cum Flacco et Carbone turbet, atque affligat domi forisque omnia, deque causis agrariis cognoscere ac iudicare cum collegis contra jus omne, contra bonum æquumque velit: Quis commemorare vel possit, vel sustineat, quantas turbas, quos tumultus importuna illa tempestas in civitatem importabit? qua tempestate agitabitur et concutietur, non modo populus noster, sed universa etiam Italia, atque omnes prope gentes et nationes? His tu fluctibus, hac procella, ostende, Scipio, patriæ nostræ, quantus sis gubernator, quanta sit in te regendæ in tempestate navis peritia, nam te unum tuam sapientiam, ingenium, consilium, tamquam sidus aliquod spectabunt omnes; te duce, vel Cynosura illa, vel Helice, omnes se navigaturum, atque hanc tempestatem evitaturum sperabunt; ad te tamquam ad salutem, portum, aram unicam subsidii, velut non minus salutarem, quam Tindaridas illos Dioscuros, refugietur; in tuum sinum tuamque fidem tota se Respublica effundet et tradet.

Verum hoc vitæ tuæ curriculi loco ita constitutam et dispositam rationem siderum video, ut quum vitæ tuæ septies octonos amfractus, acclives arduosque ascensus et ambagiosos progressus, regressusque, hoc est, ambitus perfectos solis, quos ipsi

Sempronia
Scipionis uxor.
C. Gracchi
seditio.
Lex Licinia.

Dioscuri
Castor et
Pollux.

an-

annos appellatis, impleveris, tunc a fati præscriptum tibi numerum videaris attingisse; sunt enim isti duo numeri, qui in se se aucti, magni fortisque ac sapientis viri, et in Republica cum summa æquitate, innocentia, laude versati, ætatem impleant, pleni ipsi atque absoluti, quamvis non eadem ratione pleni sint ambo, sed uterque peculiari sua; octo enim soliditatem illam cuborum præ se ferunt, sine vacuitate ulla, sine fucis, omnia ostendentes atque exponentes recta, sincera, solida, expressa; nihil fictum, nihil adumbratum, subdolum, fraudulentum, vaftrum, impostorium, qualem civilem illum in Republica principem esse decet, non aliud habentem ore promptum, aliud corde contextum, et occultum; pectus illud debet esse apertius candidiusque, quam togæ illæ candidæ, quibus nos comitiis nostræ civitatis petere magistratus consuevimus, qui color commonefacit nos, si quid modo est in nobis sensus, et pudoris, qualis animus ipse debeat esse; tum et in eo ipso octonario numero distributio illa prima est æquissima justitiæ, ut in omnes partes civitatis fructus commodæque deriventur; octo enim in duo secernitur quaterna, singula horum in duo bina, et hæc in puncta illa unitatis insecabilia, quæ nec refugerent se aliis impartiri, si vel natura sua pateretur, vel essent qui aut peterent, aut caperent, si daretur: hæc est causa quamobrem a Pythagoreis justitia est numerus hic appellatus: jam septenarius ille admirabilis mysteriis est; mirum quàm tota vestrorum corporum consummatio septenariis constet! in locis maternis incremento, in ætatum moribus atque ingeniis, in meatibus sensuum, capitis, geminis et auribus, et oculis, et naribus, ore unico, quæ omnia non injuria et a septem oriri planetis, et a vicibus ipsius Lunæ videri possunt, quæ totæ septenis diebus conclusæ et contentæ sunt: verum hæc forsitan non usque adeo ad præsens institutum accommodata, ut illud quod numerus hic qui dicitur a Græcis *επτά*, Minervæ, hoc est, fortitudini et sapientiæ sacer est, quas virtutes per Minervam intelligi mortales voluerunt; est enim unus infra decem, qui nec generatur a quoquam, nisi a monade, nec alium ipse gignit, virgo enim fingitur Pallas ipsa, et de solius cerebro Jovis, unici dei, summi principis

Octonarius
numerus.

Qualis princeps in Republica.

Septenarius
numerus.

Minerva septem.

rerum, progenita; huc accedit, quod ex duobus numeris, ternario et quaternario, muliebri hoc, masculo illo conflatus est: potro Minerva virgo dicta et habita est; plane virilitas ipsa et fortitudo, consilio, ratione, sapientiâ apta et temperata, his enim rebus Minervam præesse studiosi vestri perhibent.

Quum tu igitur ad fastigium ipsum probitatis, justitiæ, sanctitatis, fortitudinis, sapientiæque perveneris, quod anno tuæ vitæ sexto et quinquagesimo futurum est, Sempronio Tuditano, Aquilio Coss. sunt astra, quæ tibi vivendi finem violente acerbeque præstituant: erunt siquidem in cælo, non minus quàm in civitate nostra, siderum pugnæ, fatorumque dissidia, quæ ostendet terris Sol ille geminatus, qui eo ipso anno mortalibus se ostendet: nec vero de illis ipse loquor fatis, quæ in mente sunt ac providentia Rectoris hujus universitatis, quæ causis aliis ex aliis definitis atque profectis sempiternam veritatem continet, nam hæc, et non minus nobis jam hic summa in felicitate, et rerum plurimarum, maximarumque amplissima, certissimaque agentibus cognitione, quàm vobis incognita sunt, nec lege ulla vel evitari queunt, vel immutari; in illis autem est hæc ambiguitas fatis, illorum est anceps duplexque via, quæ a viribus orta cælorum, ita constituta sunt, ut quamvis difficile, possint tamen arte aliqua et ratione vitari; quæ re vera fata dicenda non sunt, sed potius, quasi fata quæpiam, solum enim imaginem quandam habent fatorum: hæc ergo tempore illo egressum tibi ex ista mortali minantur vita, sed quemadmodum in Republica nostra intercessione et unica illa Tribuni Plebeji voce: *Veto*: antiquantur rogationes, impediuntur leges, turbantur senatusconsulta, tolluntur decreta jam, et constituta, ita in cælesti illa Republica multorum astrorum certum propositum, consiliumque, unius stellulæ interventu, et tamquam intercessione, evanescit: interim Dictator ille Princeps mundi aliter fieri jubet, quàm minores magistratus statuerant, jussumque illud vere est *γνώσις* quæ fatum, reliquorumque fatorum lex. Quod si beneficio aliquo et singulari in nostram Rempublicam sive astrorum siderumque, sive optimi illius et summi Dei amore, fata illa viam non exitium tibi corporisque mortem

por-

portendentem, sed alteram illam fuerint ingressa mitiorem ac benigniorem, totius nostræ civitatis salus ac vita, in te uno innixa sitaque erit, te unum, tuumque præsidium S. P. Q. R. implorabit, in te, tuumque nomen, auctoritatem, consilium, virtutem cunctus senatus, boni omnes, Sempronii legibus perculsi atque afflicti, latini, sociique, qui coloniis novis prementur et vexabuntur, totum denique nostrum imperium se converteret, desperatis et comploratis rebus omnibus, nisi tu salutarem opem afferas, sisque omnibus propitium prosperumque Numen.

Ac ne multa hic mihi verba consumantur, memoria revocabitur Dictaturæ, qui magistratus, in principio libertatis ad graves et difficiles nostræ civitatis casus, magnaque pericula, et discrimina, inventus, post bellum istud quod ego confeci Punicum intermissus, tibi mandabitur, ut summo imperio instructa et adjuta incredibilis tua vis animi, atque virtus, Rempublicam lapsantem ac prope cadentem sistat et fulciat, agræ ac sauciæ medeatur, eamque relectam et recreatam in pristinum illum dignitatis quietisque gradum reducat, inque eo repositam confirmet ac stabiliat, si modo, C. Carbonis, C. Gracchi, uxorisque Sempronix, ceterorumque affinium ac propinquorum tuorum, quos judicium tuum de Tiberii Gracchi cæde exagitabit et accendet, manus atque insidias vitare potueris. Quid sibi vult ista exclamatio, mi Læli? Quid vos Manili, Pile, aliique ingemuistis? quid est Tubero? quid Muci? timetis mihi illas insidias, et doletis me in tantum vitæ discrimen alienissimo Republicæ tempore venturum? an non potius gaudetis aliquando tandem mea opera atque industria Republicæ statum fore meliorem et commodiorem? Verum ambo vos ne me strepitu et clamore vestro a somno exciteris, patimini me diutius somniare, audite jam reliqua, pergite enim Africanus idem, venitque ad id, quod ut referrem vobis, idcirco altius somnium istud repetii: quanta mala Tiberius Gracchus in Republica excitarit, quid attinet commemorare? quantam perniciem moliebatur, non libet dicere, nolo vulnera illa male illigata solvere, et renovare: cunctantibus ergo consulibus, et tardius Republicæ quàm illum magistratum decebat consulentibus, Scipio Nasica, pri-

va-

Sol geminatus.

vatus senator, sedentibus patribus in capitolio exitium illud sustulit: quæ nam fuit igitur, per deos immortales, quærebatur Læli, hujus tam præclari facinoris merces quo ipse perpetuo hanc sibi Rempublicam devinxit, totamque posteritatem demeritus est? odium intolerabile populi, legatio libera qua Asiam petiit, ut oculos ingratorum suorum civium vitaret, nec illi viro locus in sua civitate, quo sepeliatur erit, per quem effectum est ne libertas totius populi uno horæ momento simul cum ipsa Republica sepeliretur: quid ergo juvat benefacere, quum maleficiis et sceleribus præmia sint opes, atque honores, beneficiis vero dedecus, exilium miseria? Non est ita?

Audite maximum magistrum Africanum: Sed ut sis, inquit Scipio, alacrior ad defendendam tutandamque Rempublicam, nec te Nasicæ casus terreat, scito, non statuas istas vestras, neque magistratus, neque honores, neque possessiones, neque divitias, et opes, esse virtutis et benefactorum mercedem; hæc putant qui perexiguam istam vestram solum curant vitam, nec de sempiterna hac vita unquam cogitant; illa enim omnia fluxa sunt et caduca, quæ aut unica belli, ignis, inundationis, etiam venti vis, unicus impetus evellit et perdit, aut certe pauculi anni dissolvunt, et absumunt: est ergo longe secus quam populi vanitas arbitretur, nam omnibus qui patrias suas, in extremis casibus, ac jam prope ruentes, conservaverint, laborantes fessasque adjuverint, exiguas tenuesque auxerint atque instruxerint opibus, dignitate, justitia, pace, bonis legibus atque institutis, iis sua est certa merces, non cum laudibus S. C. non in celebri loco statuat, sed certus ac constitutus in hoc cælo locus, in quo extra omnem sortis vicissitudinem beati, non aliquot annis, sed ævum immortale agant cum summa et perpetua lætitia; Princeps enim ille mundi, qui unicus omnipotens est parens, primum reliquarum mentium et tamquam minorum deorum, deinde cælorum hominumque, atque hujus quem videmus universi mundi, voluntate ac jussis illis suis æternis hanc mundanam civitatem temperat, ac gubernat, nec ulla res est tam exilis in hoc toto universo, cujus non ipse curam agat, divinæque illi rationi, menti, legi, voluntati, terræ, mari, venti,

cæ-

cæli, mentes, homines, animantia cuncta, atque inanima, omnia denique obtemperant; ejus, universum hoc, est templum, et quidem natura, non auspiciis, neque similitudine; quo circa sancte religioseque, et sacerdotum ritu ac more, vivendum illis omnibus est, qui ipsum ingrediuntur, in eo toto Deus ipse est, id totum ipse complet, in eo toto adoratur, et colitur; nihilque illi gratius jucundiusque in terris est, quam quod homines, ipsius progenies, parentis, quo ad ejus fieri possit, imitentur virtutem, atque consilium, derivata ad se parte aliqua illius æternæ legis et gubernandæ Reipublicæ rationis ac providentiæ, concilia sibi et conventus instituant, coagmentent, ac vinculo illo justitiæ copulent, quod omnem societatem et bonam reddit, et stabilem continet; hæ enim congregationes civitates appellantur, quæ ad exemplum divinæ hujus civitatis, quam nos incolimus, formatæ et compositæ, mirum quam Principi nostro arrideant, atque illæ demum sunt, quæ vel immortales, vel profecto diuturnæ admodum permanent.

Si qui eas in tanta justitia vel regunt vel conservant, non ad inferos, ut Poëtarum dementia confinxit, populusque, magnus erroris magister, perhibet, sed huc revolant, nempe ad domicilium suum veram germanamque patriam, ex qua ad terras velut ad exilium quoddam dejecti sunt; est enim origo nostrorum animorum cælestis, non ex terra, quos procreator ille mundi ex sua mente et divinitate genuit; quocirca æquius multo est, ut boni viri ad suam originem, naturalemque locum ingenti cum gaudio tamquam ab exilio in patriam redeant, quam ut in alienum maximeque a suo remotum detrudantur, hoc est, longius relegentur, sintque a patria sua magis extorres; quod fieri nisi cum gravi dolore cruciatuque non posset, nam cum eo majorem percipiant voluptatem, quod propius ad hanc suam patriam accedunt, profecto mæror, quod longius abcesserint, erit gravior. Hæc quum dixisset, tametsi eram ipse commotus ac perturbatus, non mortis quidem metu, quam scitis me toties contempsisse, sed quod tendi mihi insidias a meis indigne ferrem, dolebamque illos tam scelestos futuros mentes; tum et exemplum in Rempublicam induci perniciosissimum hor-

Animi bonorum non ad inferos sed ad cælos. Id totum Platonice.

re-

Quæstus de præmio virtutis.

Princeps mundi.

rebam; facinus denique impium, etiamsi nec a me, nec in me concipiendum esset, non poteram securus audire; venit tamen in mentem mihi patris mei, qui me genuit, rogavi que an ipse, an pater Paulus, ceterique, quos nos mortuos extinctosque dicimus, viverent? Quare, inquit, potius an vos vivatis; nam nos plane vivimus, qui tenebris illis, carcere, ac pæne continua corporis morte, dono Dei exoluti sumus, ac liberati, vos vero non omnino quidem mortui, sed nec prorsus vivi potestis appellari, verum tamen medium quodam inter mortuos et viventes genus; parum enim putas de vera vita detrudere sarcinam istam corporis vestri; vos scire non potestis, quos illa ita premit, ut sensum aliarum rerum auferat, nos qui deposuimus, quibus sensus rerum omnium est acutior, liberior, certior, scinius.

*Quid tu, non vides venientem ad te patrem tuum Æmiliam Paulum? dii, vestram fidem, illum simul ac conspexi, quam sum variis ob affectus lacrimatus! Videbam virum illum qui me genuerat, qui me tam unice dilexerat, tanta cum sanctitate et virtute educarat, virum, quo fortiorem et majore excelsioreque animo nunquam hæc Respublica habuit, qui mihi fuerat pater, nutricius, Imperator, magister, qui me semper in oculis ferebat: ille me carissimum filium, quanto putatis cum gaudio, complexus et osculatus? Quid fles, inquit, mi Publi, an quod sum mortuus? Atqui cernis me viventem: *Compressi, ut potui, singultus et ploratum*, qui non vocem tantum, verum et rationem mentemque ita turbabant, ut nec loqui possem, nec quid loquerer scirem; tum ad patrem: Ego vero, inquam, pater mi sanctissime atque optime, tibi et vitam istam felicitatemque gratulor, et tecum perpetuo esse vellem, desiderium namque tui diutius jam ferre non possum; vellem idcirco huc ad vos continuo venire, tum ut tecum, mi pater, et cum avo meo Scipione versarer, nostrisque majoribus, tum quod sicut de eo modo audiebam, ista vestra sola est vera, non adumbrata *vita*: facile mortem ipse inveniam, quæ est *via*, ut puto, quæ huc ad vos venit. Est quidem mors, inquit ipse, *via*, sed non quævis, non illa violenta et accersita, quam ipse tibi*

Vita hominum fere mors.

Contra se interficientes.

ob-

obuleris, ceterum illa, qua dominans ipse et moderator mundi te ad se revocavit: si in vigilia, aut in specula, in statione, aut in acie Lucullus te tuus Imperator locavit, auderes nisi idem jubeat, inde abire? Non sic a te sum eductus, mi pater, inquam, hoc enim esset rumpere disciplinam militarem, proderet exercitum, remque publicam: Macte virtute, inquit: Ita a Deo illo, Imperatore universorum, suæ sunt rebus singulis assignatæ stationes, duræ quidem illæ, etenim tota vita vestra, gravis quædam est militia, sed tamen necessaria, et quas non sine magno periculo deseras; sunt enim confecti et constituti homines ex duabus partibus diversis, atque adeo contrariis, animo corporeque, quorum illum habemus cognatum mentibus, naturæ, ingenio astrorum, quorum forma, etsi interior ista, quam vos spectatis, quemadmodum et cælestis, cava est, exterior tamen, tumida est et globosa, quæ figura speciesque est, qua cælos, ignesque istos æternos, præditos esse dicimus, quos ignes sidera vos stellasque appellatis, duobus nominibus, quorum illud, amplius est hoc, atque capacius; sunt enim stellæ omnes sidera, signa vero cælestia singula, singulæ stellæ non sunt, sidera sunt, quæ omnia ex purissima ætheris parte Deus ille mundi solertissimus effector procreavit, quæ nihil habent adventitium atque alienum admistum, calidaque sunt et perlucida, ignesque illi vitales et salutare consortes mentis et divinitatis.

Idcirco ut illa non cessant micare, agitarique, et perpetuo vivere, neque extinguuntur, vel intermoriuntur, ita nec animus noster interquiescit unquam, quin dies et noctes sive vigilante corpore, sive dormiente, ipse continenter aliquid cogitet, meditetur, moliat, agat, nec vicissitudines illas sentiat vel requirat laboris requiesque, quandoquidem nec eget quiete, cujus actiosa vita est, alimentum et cibus opus, motusque; mors autem esset ei cessare, sed nec cessabit unquam, neque extinguetur, et tamdiu futurus est quamdiu gens illa, ex qua ipse est, astrorum siderumque vivet, vigebit, cursus orbisque suos celeritate illa sua conficiet, quod sine dubio æternum futurum est: Altera hominis pars, longe diversi generis ingenique,

Vita militia est.

Animus de natura siderum Platonicæ.

Sidera stellæ.

Item Platonicæ.

Animus nunquam quiescit.

Gens astrorum siderumque Platonicæ. Corpus.

Tom. V.

Ee

gra-

gravis, molesta, pigra, tarda, de terra sumta, et providæ terræ simillima, quæ toties intermoritur, toties resurgit, toties illustratur, toties obscuratur, plane carcer quidam, et vincula animis vestris circumdata: qui animi ideo hinc ad terram delapsi sunt, definito unicuique et certo temporis curriculo in ea morantur, ut, imperante domino illo et auctore hujus universitatis, excolant, tueantur terram ipsam, nec obsolescere et situ carieque contegi patiantur; quæ terra in hac universi orbis hominum deorumque communi civitate, seu potius templo, nam omnia sunt sacra, media sita est; itaque ignis ille animorum de cœlesti decisus conservat, alit, auget, sustentat vestra corpora, vitaque afficit et sensu: sive igitur missi sunt animi nostri in corpora, tamquam legati ad munus aliquod peragendum, sive tamquam milites ad custodiendum et præsidendum loco alicui, sive tamquam servi in vincula ergastuli conjecti et detrusi, manendum ibi est, nec voluntario abeundum, nec fugiendum, neu perfringenda vincula, sed expectandum quoad vel revoce- ris, vel a magistratu illo et legitima potestate emittaris eximarisque, ne vel tamquam legatus, qui delegatum munus contempserit, vel miles, qui locum et stationem deseruerit, vel fugitivus, quod omnium miserrimum est, ingentia supplicia luas, proque loco illo quem turpiter sive dereliquisti, sive refugisti, sive vitasti, in alium trudaris (quod omen princeps avertat mundi) acerbior, in quo des æternas sceleris tui pœnas, et dum vitam per voluntariam corporis mortem quæris, in aliam incidas mortem ipsius animi quamlibet immortalis, æ sempiternus namque apud inferos cruciatus, non is tibi satis magna videtur animi mors?

Quæ quum ita sint, desine de via illa cogitare, mi Publi, quæ non huc ducit in deorum concilium, sed præcipitem agit ingredientem in tenebras locumque tetrum, calamitosum, horribilem; persta in loco tibi a Deo consignato; neu contumaciter quidquam, neu segniter egeris, ac negligenter, sed quàm poteris optima fide, atque industria, officium tibi demandatum exequere; ac interim dum agis istic, in copula, et tamquam nodo humanæ societatis conjunctionisque, justitia, qua

Justitia nodus humanæ societatis.

exi-

eximia virtute tota Respublica continetur, quæque vivendi disciplinam mortales edocuit, te exerce, et ex ea, in illa præcipua ejus seu parte, seu socia et comite, pietate, quæ magna quidem est erga parentes atque amicos, sed multo profecto erga patriam maxima; patria enim, et parentes ipsos, et amicos, et universos cives complectitur comprehenditque, nec solum eos qui in præsentia sunt, verum et posteros quoque, eaque una omnes omnium caritates pietatesque continet, ita ut de nostris sanctissimis veteribus fuerint, qui filios suos pro patria occiderent, alii se ipsos certis verbis devoverent: illos tu igitur in diligenda patria, in omni etiam justitia imitare, quamquam nihil opus est domum exeat, ut quos imiteris quæras, domesticis enim abundas exemplis: scis quanta continentia, quanta æquitate, quanta animi moderatione, fuerit avus hic tuus, ut maluerit in exilium sua sponte Liternum ire, quàm patriam turbare, et concitare; ego vero, fili, quid fecerim, tu ipse conscius et testis es: Ex Macedonica Gaza, Persa devicto, quum ita Urbem atque ærarium replesem, ut ab eo tempore tributum solvi desitum sit, quid inde in domum, penatesque nostros, præter nomen gloriamque derivavimus? Ex auctione meorum omnium bonorum vix redactum est unde dos uxori meæ redderetur; duorum tuorum fratrum intra septem dies mortem, quod pro patria invidiæ fortunæ objecti videbantur, quanto animo tulerim, quid opus est dicere quum ipse tu, totusque senatus et Populus noster, tam probe sciatis? His avus tuus, his ego virtutibus, his alii, quum ex ceteris gentibus populisque permulti, tum vero ex Romano quàm plurimi, in hoc nostrum unde decesseramus domicilium redivimus.

Hæc una, non honores, non opes, non vani plausus, non superbia et fastus, est huc via in has sedes eorum, qui vita ista vestra optime et innocentissime peracta, nunc vere et beatissimè vivunt, illumque inhabitant circum, quem vides, fulgentissimum inter astra illa flammisque cœlestes; qui quoniam est stellarum refertissimus, ideo tam insigni est præter ceteros splendore, nec mente solum cogitationeque capitur, et comprehenditur, ut illi paralleli, ut signifer, ut Orizon, sed oculorum

Patria.

Torquatus
Postumius
Decii.

Scipionis animi moderatio.

Æmilii continentia.

Paupertas.

Fortitudo.

Circus lac-teus.

Ee 2

sen-

sensu percipitur et notatur; cujus latitudo ab eo profecta sidere, quam vos Cassiopejam dicitis, ad caudam illius, quem Scorpionem, pertingit, longitudinem plerique a circulo eum boreali ad terminos tantum australes ambire rentur, sed totum re vera circuit cingitque cœlum, non satis tamen vobis conspicuus, quoniam procul a sedibus abscedit vestris, quum in australes illos borealesque se tractatus immergit, γαλαξίαν Græci, Latini *lacteam orbem a fulgore dicunt*, tam denso ut lactis præ se speciem ferat; quin et more illius gentis, ne nihil non sit fabulis maculatum et fœdatum, commentum tradunt Junonem Mercurio infanti, insciam quis esset, lac præbuisse, quem quum e Maja natum rescisset, subtraxissetque subito mammam, effudisse inter astra multum de lacte ubertim defluente, idque esse illius vestigium quod vos serenis noctibus spectatis; alii non Mercurio, sed Herculi fabulam attribuerunt, qui quum e Junonis novecæ mamma avidius sugeret, non capiente infanti ore, tantum lactis in cœlum decidisse quantum a nobis nunc cernitur; sunt qui de Rhea et Jove, nescio quæ, referant; sed ea omnia otiosis, ut puto, sunt auribus conficta: Quid mirum ejusmodi esse ab iis inventa, quorum totum erat studium vanitati et stultitiæ multitudinis servire, quum plerique philosophi etiam de gravissimis, parum scite de eo ipso circulo deffinierint! Pythagorici namque viam illam existimarunt esse, quam incendit errore suo Phaëton Solis filius: primum rem asserunt commentitiam, tantisque philosophis indignam; deinde, ut in gratiam illorum totam illam Phaëtonis fabulam veram esse fingamus, si solis curtus usque adeo partem illam, qua aberravit, valuit incendere; ; orbita illa qua Sol perpetuo per duodecim signiferi comeat signa, quamobrem non multo est incensior, multoque candidior? Anaxagorici vero et Democritici, ea quæ Sol splendore suo collustrat astra, fulgentia micantiaque esse perhibent; quæ secus, hæc velut concretum obtinere lumen, et ceu lacteam quendam nitorem, qui est stellis omnibus propius; idcirco quem cœli tractum objectu terrenæ umbræ Sol non aspicit, eum ita lacteam per noctem a nobis conspici: verum id quomodo fieri possit, non video; tum quod terræ umbra

su-

supra eum non extenditur, quem Mercurium dicitis, tum quod mutato sole circulum ipsum lacteam alio transferri necesse esset: non sunt ergo hæc, quas illi attulerunt, tam lactei splendoris causæ, sed ea cujus paullo ante memini, quod scilicet densissima sint eo loco minorum agmina stellarum.

Hæc ille quidem dixit, ego vero in eo me quum stuissem loco, cœpi et circumspectare et despectare singula, faciesque ipsa mundi, tum demum mihi pulcherrima visa est, et merito judicavi κόσμον a Græcis dictum, quasi ornatum et elegantem, a nobis mundum, quasi lautum, purum, nitidumque; nihil erat obtutui meo, tamquam obex oppositus; non mons, non silvæ, et nemora, non nebula vel caligo, non terra ipsa, quæ exiguitate sua impedimento mihi neutiquam erat quo minus ex illo excelso loco adversum illum australem verticem despectarem; omnia mihi erant exposita et patefacta: itaque eas stellas vidi, et quæ, in inferiori hemisphærio fixæ, conspici a nobis e terra non possunt, et quas etiam in superiore illo hebes noster obtutus non cernit, quum sint ipsæ, vel quæ a nobis existimantur minimæ, incredibili magnitudine et vastitate: ; Quis enim fuisset unquam suspicatus, minimam illarum omnium stellarum majorem esse hac tota nostra, quam tot gentes populique incolunt, terra? Atqui ita esse illic perspexi, risique, ut aliis plerisque in rebus, ita et in ea ipsa Epicurum, qui solem stellasque non multo quàm videantur majores esse voluit; et ipsa terra perexigua mihi perque angusta visa est, adeo, ut pœniteret, pigeretque, me, majores nostros, nosque ipsos propter rei tam angustæ angustissimam, tenuissimamque partem, tot bella suscepisse, tot tumultus, labores, ærumnas perpessos esse: hæc mecum reputans, contemplabar terram, conjiciebam oculos in Italiam, in Siciliam, Hispaniam, Africam, minorem Asiam, Illyrium, Græciam, quas ego vix in terra discernere poteram, quæ exilia puncta tot nobis mala peperissent, videbamque omnia non fuisse vel minimo bello, ex iis quæ gessimus, digna.

Tum Africanus: Mi Scipio, inquit, ; etiam num te illa humana despiciatissima tenent, et ad se retrahunt? ; nec reputas

te-

tecum, quem in locum *Veneris*, in quæ tam ampla tamque magna et augusta *templa* adductus sis, quæ nemo potest incole-
re, nisi sacris bonæ mentis, et erectæ, illaque vilia despicien-
tis sit initiatus? Hic omnia sunt sacra, tu profana illa adhuc
spectas, ad illa fereris? An non consideras, quibus ex rebus
sancta hæc mundi domicilia constant, delubrumque hoc ex
universitatis natura compactum, quod totum *Deus ipse progenitor*
ejus dominusque replet, in quo toto sacra illi et cærimoniarum per-
petuæ ac sempiternæ fiunt? En tibi omnia, tamquam corpus
unum, ex novem composita et connexa sunt orbibus, seu ut
aptius dicam, ex novem sphaeris, sive globis, latinè enim sic
vocantur qui formam hanc rotundam sortiti sunt, tamquam
sibi cumprimis decoram et congruam; siquidem ea sola figuras
omnes continet, nihilque habet asperitatis, nihil offensionis, ni-
hil inclusum angulis, nihil amfractibus, nihil eminens, nihil
lacunosum, neque hanc æqualitatem motus, constantiamque or-
dinum, in alia forma facile servare posset: Primus est ille su-
premus nidus, ut ita dicam, totius naturæ rerum, atque adeo
natura ipsa, extra quem nihil omnino, intra quem sunt uni-
versa, quæ ipse circumflexu et ambitu suo tegit, atque fovet,
magnum et venerandum Numen, tot stellis, hoc est, animis,
mentibusque divinis, atque immortalibus, ornatum et aptum,
quod motu suo ceteros secum rapit et circumagat globos, vi-
cissitudines diei noctisque ostendit, sparsam orbe toto naturam
moderatur ac temperat virtute illa sua immensa atque admira-
bili per universitatem orbis diffusa, et singulis rerum pro suo
cuique captu distributa; in eo et cum eo torquentur, vertun-
turque sidera illa inerrantia, et fixa, cursu æterno, nec quies-
cunt unquam, quando ea est illorum ignium vis et natura, ut
in vigore, motu, actione vivant, extinguanturque si torpeant,
si cessent, si vel momentum temporis resistent.

Ab hoc summo globo, quem et mundum et cælum vocant,
septem illi comprehensi sunt, qui, quamquam illa insuperabili cœli
vi quotidie rapiuntur, in occidentemque ex oriente supra vos,
sub vobis ex occidente in orientem conterquentur et convolvun-
tur, suis tamen quisque passibus, progressibusque, longe diversa

at-

atque adeo contraria itinera spatiaque conficiunt; videlicet, su-
pra vos ab occasu in ortum, sub vobis ab hoc in illum; er-
rantesque a nobis eæ dicuntur stellæ, quoniam e Græco verti-
mus *plaretas*, quum nihil minus agant, quam errare; certi sunt
enim illorum siderum meatus definitaque lege et ratione com-
prehensi, verum errant, id est, vagantur, quod quum singula
statis suis temporibus aliàs recedant, aliàs antecedant, aliàs abe-
ant, aliàs subsequantur, aliàs celerius moveantur, aliàs tardius,
aliàs ne moveri quidem, sed ad quoddam tempus insistere vi-
deantur, fit ut tum inter se se coeant, tum se obliquè respec-
tent, tum a se longis intervallis dissita et disjuncta sint, qui
ipsorum mos, et modus, causam Græcis, nobisque, ea vocan-
di errantia præbuit: quorum altissimum, eamque ob causam
minimum videtur, illud, quum sit ingenti mole, etiam aliis
collatum, quod *Saturni* esse vos mortales dicitis; talia enim no-
mina nos hîc in cælo non noscimus, sed feriata Græcorum le-
vitas non contenta *templa* illa vestra marmorea ejusmodi impiis
fœdasse et conspurcasse deliramentis, etiam hæc in nostra cœ-
lestia voluit penetrare, ne quid illa non contaminaret insaniam;
neque vel *Saturnus* ille Rex Cretæ, neque ejus impius in patrem
filius *Jupiter*, neque cruentus et crudelis *Mars*, neque turpe
illud scortum *Venus*, neque *Mercurius* ille fur, nec quis alius ex
cœtu illo facinorosorum et conscleratorum hominum, non di-
co stellæ non sunt, neque enim possunt, quum hæc sempiter-
nis fuerint seculis, illi paullo ante excidium Trojæ vixerint, sed
nec in has beatorum sedes conscendere, ad quas nisi optimis
et innocentissimis viris aditus nulli patet.

Quod si quis veteres illos, et ut noster Ennius solebat ap-
pellare, *Cascos*, tum nostros, tum Græcos, aliquid nominibus
illis intelligi voluisse crediderit quod vulgus imperitum ignoret,
ut Panætius tuus reliquique Stoici arbitrantur, libens eam pris-
cis hominibus sapientiam in gratiam nostrorum majorum tri-
bui patiar, ita ut sit stella illa *Saturnus*, quasi *saturans se an-
nis*, vel quod inter vaga sidera plurimos ipse consumit annos
antequam cursus orbisque peragat suos, triginta videlicet, vel
quod ipsum esse voluerunt, qui rationes temporum contineret,
id-

Errantes
stellæ.

Saturnus.

Saturnus et
alii qui di-
cuntur dii
non sunt in
cælo.Loquitur
Scipio Gen-
tilis.Sphæra glo-
bus.
Cœli figura.Primus glo-
bus cœlestis

Platonice.

idcirco κρόνον esse dictum, quasi χρόνον: ex se ergo natos annos vorat, quia consumit ætas temporum spatia, annisque præteritis insaturabiliter expletur: φαίνος quoque a Græcis vocatur, hoc est, *apparens*, quod mirabiliter se aperiat atque occultet, modo antecedendo, modo retardando, modo vespertinis temporibus delitescendo, modo matutinis rursus se ostendendo, nec paucioribus per singulos annos diebus triginta nobis se subducit, nec pluribus quadraginta; cujus candidus est fulgor livore admisto, gelidæ ac regentis naturæ, iratæ atque infestæ terris, et corporibus humanis.

Jovis.

Hunc sequitur Jovis, ut populus existimat, sive Saturno et Ope genitus Cretensis ille, sive Arcas ille patre Æthere, sive alius Arcas item patre Cælo, qui Athenis regnavit, populosque illos simulacra deis ponere docuit; quorum nullius est stella illa, quam Juppitrem multi vocant, quasi *juvantem patrem*, et utrumque enim est Juppiter et Jovis; hinc sui sunt utriusque casus; est enim haud dubie sidus illud juvans pater, claro illo splendore benignum, amicumque generi humano; duodecim annis percurrit spatia, viamque ex æterna lege rectoris omnium præstitutam; φαέθων a Græcis hæc stella quasi *lucens* dicitur, adduntque fabulatores illi hunc fuisse pulcherrimum omnium eorum hominum, quos Prometheus de luto finxerit, idcirco immortalitate esse donatum; solis filium alii perhibent, qui inscitia aurigationis de curru delapsus incenderit maria et terras. Post hunc est rutilus ille; atque igneus, violentusque Mavors, quasi *magna vertens*, inde elisis aliquot litteris Mars, et Marspiter vocatus, qui præsidere vi atque ardore suo bellis creditur, nec sine ratione *magna vertens* nominatur, quæ namque res majora vertit et commutat quàm bellum? Quid, quod nullius sideris minus est observabilis cursus, quàm istius? Et bello profecto est aliquid magis varium, anceps, lubricum, præceps? Herculis esse nonnulli hoc astrum dicunt, quod ille bellis, violentiis, raptibus, direptionibus, latrociniiis, et aliis quæ bellum fieri gaudet, multum delectatus fuerit, multum infestavit orbem; qui quum talis fuerit, quis nisi et ipse cum illo eodem Hercule insaniat, in hæc sanctissima domicilia, et innoxiorum

ho-

hominum sedes, pervenisse credat? Neque enim per cruorem stragemque generis humani ascenditur in cælum, quum humanitas benignitasque sola pæne sit in hunc locum via, quocirca mihi maximè versus illi displicent, quibus me loquentem Ennius facit: (1)

*Si fas cædendo cælestia scandere cuiquam est,
Mi soli cæli maxima porta patet.*

Quamquam non inscite per conditionem quandam et veluti addubitationem est locutus, non multo secus ac si diceret: Si latrocinando, si leges omnes juraque et humana et divina polluendo pervertendoque, fas est cuiquam cælestia scandere: quæ namque fieri potest, ut officio illo suo hominum generi a Deo commisso et mandato, is recte fungatur homo, cujus facta quàm longissime ab humanitate, hoc est, a natura ipsa hominum, distent? Inducti sunt in mundum homines, ut aliis alii prosint, opemque et auxilium indigentibus ferant, quomodo igitur potest vel homo esse is, qui tam multos lædit, vel non esse crudelis fera, cui est cum tanta humanæ gentis parte susceptum bellum, quique illi permagnam attulit jacturam clademque? Neque vero ipse tam multa Carthaginensium milia occidi, sed quum patriam tueri ac servare conor, illi cæci atque furentes in mortem irruerunt, ut nocerent; nihil enim mihi magis erat in votis, quàm illos omnes, ad saniores præsertim reductos mentem, conservare, sed ipsi in mucronem gladii mei, quem pro patria tamquam murum opposueram, neque enim alius proderat murus, ira atque odio dementati se conjecerunt. Ceterum ad stellam redeo: *σολέως* hæc stella a Græcis nominatur, quod exiguo corpore non dissimilis sit flammæ; ex cujus nimio ardore, Saturnique frigiditate, Juppiter ille eis interjectus temperatur, fitque usque adeo mitis, mansuetus, beneficus Deus. Situs est *in medio* stellarum errantium loco, sanctus ipse Sol, cujus permagnam voluit pater ille universitatis in tota natura vim esse et potestatem: de quo astro nunquam

Sol.

Tom. V.

Ff

pos-

(1) Q. Ennius Epig. vers. 7.

possent pro dignitate satis multa dici; accendit enim Deus ille summus Solem, tamquam facem, non mortalibus tantum, sed universo etiam mundo, ipsisque adeo sideribus cunctis, omnia enim ab eo lumen mutuuntur, etiam quæ ex se se lumine non carent; ipseque Sol velut ductare videtur choream hanc cœlestem, ac moderari regereque hæc divina lumina; etenim tamquam præfectus mundi, terras, elementa, cœlos, tempora gubernat et tuetur: ab eo vicissitudines istæ dierum et noctium, hiemis æstatisque, caloris, frigoris, frondium, florum, fructuum, mensium, annorum proficiscuntur.

Hunc sapientissimi viri merito mundi esse animum, seu verius mentem affirmarunt, omnia exaudientem, omnia intuentem, providentem omnia, et lumine, caloreque illo suo masculo et saluberrimo, universæ rerum naturæ consulentem, ita ut nonnulli ex Græcis philosophis non aliam ob causam inductos esse in mundum mortales censuerint, quàm ut Solem, admirandum Dei opus, intueantur, et contemplantur, falso quidem, sed tamen sic opinati sunt ex admiratione sideris: Sol dictus est a nobis, vel quia *solus* ex omnibus sideribus est tantus, vel quia quum est ortus, obscuratis omnibus, *solus* extat et apparet: Græci multis variisque eum nominibus nuncupant; est enim Delius, quòd omnia δῆλα, hoc est, *aperta et manifesta* suo lumine et splendore faciat, et Phœbus, quòd omnia φοῖβῆ, hoc est, *purget*, et Nomius, quòd universa νεμῆ, hoc est, vel *pascat*, vel suis certis temporibus *distribuat*, et Ulius apud Milesios, quòd omnia ἕλῆ, hoc est, *sanet*: huic nostræ Vestales indigetant: Apollo medice, sed Apollo, quod frequentius apud illos est, nominatur variis de causis, tum a jactu radorum, quæ jacula illi confingunt esse, tum a pernicie, quam in peste affert animantibus: ex tuis Stoicis sunt qui putent ἀστέλλωνι nominatum, quasi non plures ipse, vel alii similes sint, sed *unus* solummodo, ex quo fonte perhibent nonnulli a nobis esse Solem dictum. Sub Sole *Venus* est, non Cypria illa e spuma procreata, flagitiosum et probrosum scortum, nec illa e Cœlo et Die nata, nec ex Jove et Dione progenita, nec Syria Cirthoque concepta, quæ dicitur Astarte, ex quibus quæ fuerit pessima de-

Sol mundi
animus et
mens.

Sol unde
dictus.

Delius.
Phœbus.
Nomius.
Ulius.

Apollo.

Venus.

deliberari non potest, omnes (ut puto) fuerunt nequitia et flagitio pares, sed cœlestis illa hominum et divum voluptas, quæ diurno exortu genitalem illum spargit rorem, quo non terrarum modo conceptus implet, sed animantium quoque stimulat, ideoque etiam *alma* ab alendo nuncupata, conspicua magnitudine et luce, ita ut ad serum Lunæ, ad matutinum Solis æmula sit, sequitur enim occidentem Solem, et tunc Vesperus vocatur, ut dicit familiaris noster Ennius, ut Plautus Vesperugo, prævertit Solem orientem, tunc Lucifer a nobis, a Græcis φῶσφορος.

Claritas in hoc est tanta, ut unius hujus stellæ luce umbræ reddantur; quæ fulgori emergentis Solis aliquamdiu conspicua non cedat; neque is nitor ejusdem est et ad vesperum coloris et ad mane, matutinus namque est candens, et gratissimo refulgens albore, vespertinus est rutilus, talisque conspicitur, quoniam diurno Solis fervore aër ille vester incensus est: Græci astrum hoc alii Isidi, alii Junoni dederunt, alii Veneri; sunt qui non Venerem velint esse, ceterum quendam Auroræ et Cephali filium qui de forma cum Venere certavit, sed satis erat a seriis negotiis Græculis illis otii, quum hæc comminiscerentur. Proximum Veneri est sidus, ut vos dicitis, *Mercurii*; nos Mercurium illum ex Majæ stupro genitum, palestræ institutorem, furtorum deum, nunquam hîc vidimus, neque enim furtis favent dii; minus eum cui Cœlum fuit pater, dies mater, quo quid dici potest obscœnius? Nec impostorem hominum Triphonium, Valentis et Pherondis filium; Græci stellam hanc Stilbontem nominant, bene illi quidem, si modo a lucendo vel splendendo dictam putant, sin vero hunc e Dionysio et Proserpina productum volunt, illum, qui in Nysa recens a patre condita educatus sit, tale est hoc qualia reliqua, ineptum scilicet et puerile: parvum est hoc astrum si cum Lucifero componatur, acuto et radiante lumine, versatili ingenio atque natura, qualiscunque enim fuerit comes quem nanciscitur, tale et ipsum continuo redditur: ea res locum aperuit fingendi nuncium esse Mercurium ministrumque deorum, quando eorum viribus potestatique obsequitur: atque hæc quidem duo sidera Mercurii et Hesperii ita

Vesperus.

Vesperugo.
Lucifer.

Mercurius.

Stilbon.



Mercurius
nuncius et
minister deo-
rum.

comitantur Solem, ut quum tria reliqua interdum quarta, interdum tertia signiferi circi parte, interdum signis sex, hoc est, medio signifero, partibusve centenis octogenis a sole abscedant, Vesperus vero, nunquam pluribus senis, quadragenisque, hoc est, signo et medio; sunt qui plures huic cumulo partes addant, sed nulli duo signa excedunt, ne attingunt quidem integra; Mercurius modo septem et viginti, ut quum occidentalis est in Leone, modo duodetriginta, ut orientalis in Capricorno, in quo ipsi altissima absis est, nunquam longius partibus triginta, id est, signo uno se se abducit, tum antevertens, tum subsequens, tantaque hæc Solis vicinitas ab incurso turbinis terrenæ illius umbræ Mercurium tuetur, itaque deficere nulla ratione potest; siquidem sol in adversam sibi partem terræ umbram semper jaculatur, qua in parte nunquam Mercurius invenietur comes perpetuus solis et assectator.

Luna.

Lucina.
Diana.

Ultima ex sideribus est Luna, instabilitate et mutatione perpetua sua pæne monstro similis, a lucendo appellata; eadem enim est Lucina, et Diana, quòd *noctes* quasi *dies* efficiat, nam in remedium tenebrarum ab architecto mundi Deo inventa est, quæ ex se nihil omnino lucis habet, solida moles est, densaque admodum, sed levis tota, æquabilis, tersa; quo fit ut vibratum in se splendorem, quoniam asperitatis nihil habet ubi hære queat, totum refundat ac revibret, quemadmodum in gladiis armisque prænitentibus videtis fieri: accipit igitur quidquid blandæ illius, et femineæ lucis ad nos transmittit a fratre suo Sole: hauriunt quidem et reliqua omnia sidera lumen ab hoc luminis copioso, puro, perenni fonte, sed non id totum quod habent, Luna vero totum, nam ex se obscura est, quod vobis a terra sereno cælo, recentique Luna, attentius spectantibus, cognitu perdifficile non est; quumque impari celeritate Sol et Luna meent, cum Luna Soli subjicitur, tum prævertens paullum ab eo seponitur, tum adversa illi est, tum sequens ad coitum redit; qui cursus Lunam tam multiformem mortalibus ostendit; nam quum coeunt, Lunaque silet, ea ipsius facies, quæ vobis conspicua est, non illustratur, illa tota nitet, quam nos hinc intuemur, ut quintodecimo hinc die, quum e regione

op-

opposita adversaque omnino soli est, signisque ab eo sex distat, cælestis facies obscura est, terrestris tota fulget: interlunium porro majus nunquam est duobus diebus: tertio die novam, formosamque faciem ostendit terris, idque ab occasu solis, nec unquam illa nocte integram horam se se fruendam præbet, quantumque tunc vobis illuxit, tantum in singulos dies sibi ad moram vobiscum addit, usque dum plena est, ita ut interim nascentis adjuvet solis lucem ex pleno suo orbe, contrariis gradibus illis quibus venerat, ad conjunctionem solis regreditur; unde fit ut cornua crescentis orientem, occidentem decrescens spectent, aversa videlicet a sole semper; hujus enim splendor in quam partem Lunæ incurrit, totam eam semicirculo majorem ita collustrat, ut contingere se coni videantur, incidit enim lux ingentis globi in multo minorem, in altera vero portio illustrata metas suas jacit, effigiemque cornuum reddit, vulgoque sic appellatis, intra quæ lux illa non penetravit; quæ cornua, quum nulla putatis esse tunc nos videmus; neque enim ullum tempus est, ac ne horæ quidem momentum, quo Luna omnes eas facies, quas vobis intra quindecim dies profert, non retineat, simul et corniculata, et æqua portione facta, et dimidio major, et plena est, sed varie variis in locis, nisi dum mucro terrestris umbræ in eam ingruit, quo tempore, ut Sulpicius Gallus commilito in Macedonia tuus, patre hoc tuo Imperatore, vos docuit, laborat, lumenque amittit.

Defectus Luna.

Quo magis miror fuisse, non qui hæsitant modo, verum et qui affirmarint, Lunam terra majorem esse, quum tota ipsa Luna terrestris umbræ inverso turbine, etiam tam procul extenso, quum is quò longius abeat, hoc arctior atque acutior fiat, comprehendatur: hoc est igitur sidus, quod quum sit remotissimum a cælo, mortalibus caducisque rebus proximum, minus de virtute illa et præstantia divinitatis sortitum est, ideo nec lucem ex se ipsa habet ullam, et qua beneficio solis ornatur, et instruitur, maleficio umbræ illius, tenebrarumque, spoliatur et orbatur. Infra Lunam omnia sunt fluxa, decidua, senio, morbis, vitiis, casibus, mortique exposita atque obvia; nec natura eorum etiamsi externa vis abesset, sineret illa esse ad-

Lunam esse terra majorem affirmarunt quidam sed falso.

Infra lunam qualia.

mø-

modum diuturna, nedum sempiterna; sunt enim ea condicione ac lege progenita, ut suis statutis certisque temporibus, vitam illam suam, tamquam mutuam deponant, et ei quæ credidit naturæ reddant atque solvant: soli humani animi, quoniam de mente illa æterni Dei desumpti sunt, etiam æternum perdurant, et vivunt, non minus quàm ignes hi cœlestes, quorum gente et agnatione tenentur, neque enim fas est, nec unquam erit, partem aliquam divinæ mentis et naturæ interire; essent enim hi omnes cœli, omnia hæc astra, in luctu, si quis ex gente et familia sua extingueretur; at in hoc cœlesti templo, non modo perire nihil, sed neque mœror, neque planctus, neque lacrimæ, neque affectus ullus tristis excitari potest: hæc in terris sunt multa, et varia, et perpetua, huc nemo venit nisi purgatus earum rerum non tantum voluntate, verum facultate etiam ac potestate: ecce tibi sedes et templa nostra, in quibus geniti sumus, ad quæ virtute duce remeamus.

Hæc quum molitor ille, ac fabricator tanti operis, conjungere connectereque cum terrena soliditate vellet, nullum invenire potuit aptius vinculum, quàm id quod proportione quadam, ex se atque ex iis quæ copulat, unum efficit, tunc enim demum perficitur, ut conjunctio ac constructura dissolvi haudquaquam facile possit; quumque unicum medium inter tam diversa extrema que coagmentari cohærereque deberent, nullam satis congruam proportionem obtinere posset, duo sunt media quæ sita, et interjecta, aër et aqua, tam commodè inter se apta et commista, ut si ex hoc loco in terram descendas, totum istud intervallum unum dicas esse corpus, quod sensim fit terra, si ex terra huc ascendas, unum putes esse corpus, quod sensim fit cœlum; usque adeo nihil ex abrupto cum alterius dissidente natura compingitur, et componitur: Suprema enim aëris pars, raptu fervoreque cœlorum inflammata, cœlum adhuc videtur, sed degenerans et tamquam nothum; Media, non omnino ignis existimabitur, sed neque nebula prorsus, caligoque; Infima, densitate sua aquæ simillima sit: Extrema porro aquæ facies aër potius habeatur quàm terra, aquæ illa pars, quæ terram attingit et lambit, sic lutum est, ut citius terra videatur quàm aqua:

hæc

hæc est mundanæ universitatis artificiosa structura, callidissima et veneranda machina: novem sunt globi, cœlestes octo, *terrenus est nonus*; aqua, et aër, et hic proximus cœlo ignis qui spirabilis naturæ pars est sed incensa et ardens, media sive vincula sunt cœlorum atque terræ; quæ medium locum totius mundi occupavit et insedit, qui in rotunda forma *infimus est*, quum ambitus sit supremus, quacunque enim ex parte terram spectes, humillima omnium est; cœli semper sunt excelsi, sublimes, summi, idcirco undique ex omni mundi parte res leves evolant assurguntque in cœlum, pondera vero suo pte nutu ad terram præcipitantur ac detruduntur, et utrumque lineis rectis, paribus angulis; neque enim per latera terræ altrinsecus gravia deferuntur, alioqui vel ad cœlum usque pervenirent, vel pensilia aëre hoc medio subsisterent, quod fieri nequit: at vero moles ipsa terræ, in medio naturæ locata, sempiterna quiete torpēt, nam moveri eam vel ante vel pone, vel ad lævam vel ad dextram, vel ad id quod vobis videtur sursum vel deorsum, ingenium mundi non sinit, quia quoquo versum inclinaret, ascenderet: at in se torqueri et revolvi parum convenit, quoniam vestigia hominum, ceterorumque animantium, consistere in illa continuâ vertigine firmarique non valent: hæc mihi profecto omnia usque adeo magna mirabiliaque visa sunt, ut stupens et ætonitus mei obliviscerer, dum ea contemplor.

Quum ergo hæc dixisset Africanus, paullumque institisset, ego velut ejus excitatus silentio ac quiete, (scitis enim quibus ex tranquillitate et contiscentia obrepserit vel somnus, vel *stupor*, eos sonitu aliquo solere expergefieri, quibus ex strepitu ac murmure, eos expergisci si is strepitus conquieverit) quum igitur ex altissima illa admiratione ad me rediissem, audissemque concentum, cum quo nullus ex nostris istis mortalibus, sive magnitudine, sive suavitate comparari ulla in parte potest, rogavi, *quisnam esset is sonus? Hic est, inquit Africanus, qui ex motu confictuque cœlestium corporum excitatur; rerum enim ipsa natura fert*, ut omnia quum agitantur ac se se contingunt corpora, sonitum emittant, sive ea dura sint densaque et compacta, velut ferrea, aurea, argentea, terrea, saxea, lignea, sive mollia,

ra-

Platonice id
totum.

Platonice.

Aër et aqua.

Terra infi-
ma.Terra im-
mobilis.Sonus cœ-
lorum.

raraque, velut aquea, aërea; quod si illud usu vestris in præ-
tenuibus, perque exiguis consuevit molibus contingere, quanto
magis ex istis tantis magnitudinibus sonus incredibilis reddetur?
Tanto profecto major, quanto hæc et majora sunt, et celerius
quam illa agitantur, majoreque se se atterunt vi: at soni isti,
quum a divinis corporibus oriantur, optimaque divina atque
immortali naturæ parte, absurdos esse, horridos, tetros, incom-
positos, inconditos, inconcinnos, existimare fas non est, quum
de crepitaculis, crotalis, cymbalis, fidibus vestris, dulcissimi
concentus oriantur; namque maximus ille universitatis hujus auc-
tor, et ædificator, inferiora ista vestra, abjectissima et despica-
tissima numeris quæque suis quum distinxerit, suavique conso-
nantia et harmonia, uti Græci dicunt, instruxerit et decorave-
rit, pulcherrimas istas moles, immortalibusque et divinis men-
tibus animatas, sine harmonia, sine concentu, sine composi-
tione illa, cum recta, et undique secum consentiente, nume-
rorum proportione reliquerit? Quum ne corpora quidem ves-
tra, quæ ex terra vinculisque temerè agitatis, et caducis, con-
flata et concreta sunt, concentu hoc carere possint; admirabilis
enim concinentia est in corde, pulmone, cerebro, oculis, ner-
vis, venis, omnibus denique membris corporis et partibus, quan-
quam consonantia hæc ab animo in corpus demanat.

Quod vel ex eo manifestum apertumque est, quod in ca-
davere totus hic concentus, et tam apta sibi numerorum junc-
tio et constructura, extincta prorsus atque dissoluta conspici-
tur, atqui animus ex hoc suo domicilio in terram corporaque
hominum deturbatus ac depressus, et musicos motus certa ra-
tione numeroque, quos hinc secum detulit, servat, in corpus-
que transfundit, et musicis cantibus ita exhilaretur, atque ex-
citatur, ut memor domus ortusque sui, ad eum se redire existi-
met; quod vehementius faciunt pueri, qui quum recentes hinc
discesserint, melodiam et concentum supra modum attenti aus-
cultant admiranturque; nam quum simile quiddam illis sonis
percipiunt, quos hic soliti erant audire, tunc velut admoniti
et tacti recordatione harum rerum, stupefactique, comprehen-
dere et dignoscere nequeunt quem in locum tam suæ naturæ

alic-

alienum, atque contrarium, tam insolitum et perturbatum de-
mersi sunt; eoque magis animi nostri de hac sua patria cogi-
tant, et memoria repetunt, quo et cantus illi cœlestibus istis
similiores sunt, et ipsi animi generosiores et sublimiores sunt;
effert namque concentus nobiles præstantesque animos, abjectos
vero, et colluvioni sordibusque corporis immersos, ad volup-
tates magis spurcitasque detrudit, ac deprimit. In cœlis porro
omnis suavissimæ symphonix, quæ concludi et comprehendi
inter acutissimum et gravissimum potest sonum, ratio modus-
que inest; Princeps enim ille totius naturæ, stellifer orbis, in-
citatissimo quum rapiatur cursu, acutissimum sua conversione
sonitum elicit, sic enim ingenis rerum comparatum est, ut
quidque velocissimè fertur, ita acutissimè sonat, et contra, ut
tardissimè et maximè lente, ita gravissimè atque hebetissimè;
quo fit, ut Luna ipsa, quæ omnium lentissima est, gravissi-
mum sonitum emittat, nam de terra, quam dixi dudum no-
nam esse, nihil attinet dicere, quippe, quæ segnis omnino,
muta surdaque est, hærens medio mundi affixa loco, neque
inde vel transversum digitum abscedens, ideo ad consonantiam
hanc, mundique totius cantum, conferre nihil potest, quum
omnino nihil sonet, vel strepat: ex istis autem cœlestibus glo-
bis, etsi sunt octo, septem tamen dumtaxat distinctæ rationes,
differentesque vocum sonorumque moduli, consurgunt; sunt
enim intervalla hæc sonorum imparia, nam si paria essent, una
solum ex illis et tamquam simplex incompositaque vox existe-
ret, nec harmonia constaret ulla, quæ in varietate sonorum,
modorumque proportione devinctorum, sita est; quemadmo-
dum ex Mercurio et Venere unicus modus tenorque nascitur
soni.

Hi ergo globi, inæquales illi quidem, æqualitatem tamen
comparatione proportioneque servant inenarrabilem, ex qua
dulcissimus ille et sempiternus concentus efficitur, septem dis-
tinctus vocibus, sonisque commistus, et temperatus; nam in
Mercurii Venerisque orbibus, ut dicere incipiebam, eadem est
soni vis, idem modus, idcirco una est dicenda vox, tametsi
geminata: ambitus conversionesque eorum siderum hoc indicant,

Tom. V.

Gg

quo-

Veneris et
Mercurii na-
tura.

Platonice.

Platonice.

Consonan-
tia humani
corporis.Platonice,
ut solet, id
totum.Animus har-
monia delec-
tatur.

quorum Mercurius qui est inferior, novem diebus otius quam Venus peragrat et conficit suum orbem; tum et illa duo circuitu suo non ambiunt totam terram, sed ejus tantum latus quodpiam circumscribunt, contrariasque habent reliquis sideribus apsidas, nempe sub terras, hoc est, domicilia vestra, nam re vera supra terram semper sunt; verum enim vero tantum de orbibus istorum ad austros est, quantum de aliis ad septentriones, quo fit, ut quum reliquæ errantès stellæ quando a terra maximè sublimes se efferunt, tunc demum pigerrimo agantur motu, hæ contra, tum demum incitatissimo; illæ celerrimæ sunt in occasu vespertino, hæ nunquam alias tardiores et segniores; quumque illæ simul ac exortu matutino sunt defunctæ, reprimere motum festinationemque incipiant, hæ tum primum addunt gradus et effusius se se concitant et convertunt; quapropter una est ratio vocis sonique in utraque, in aliis singulæ sunt singulis, quas Plato vester Sirenes appellavit, neque enim vidit quibus vocibus has ipsas posset conferre, nisi illis quæ vulgo dicuntur esse omnium suavissimæ atque dulcissimæ, ita multum, ut navigantes ab instituto queant cursu avertere, et amisso periculorum sensu, in mille discrimina mortesque suavitate sua transversos agere ac præcipitare. Hos vero cæli sonos, ex quibus simul omnibus unus consurgit existitque consonans consentiensque cantus, Pythagoras, alique permulti maximi et præstantissimi viri, nervis fidibusque, quantum a caducis firmissima et sempiterna referri poterant, expresserunt, lenitique dulcedine illa concentus ac demulcti, ita dum inter homines agerent, vixerunt, ut sibi viam munirent, qua ingressi, recta in has sedes veram germanamque suam patriam reverterentur; sicut et sibi ejusmodi fecerunt viam ii, qui clarissimis et optimis ingeniis, in corpore inclusi quum essent, non corporalibus se studiis exercitamentisque dediderunt, non voluptatibus, non affectibus, non vitiis, non sceleribus, sed iis agendis, quæ ex his cælestibus animis nata, in eisdem alta et exulta, vestros quoque istis gentiles decent animos, justitiæ, continentiæ, prudentiæ, pietati, scientiæ, sapientiæ, quæ jure divina studia nuncupantur.

Sirenes cœlorum.

Pythagoræ studium.

Vides enim divinas has mentes virtutibus illis præditas, ornatasque esse; quod imitantur animi vestri, si modo non usque adeo in corporis naturam stuporemque ab hac sua pulcherrima degenerant origine; nam ut quisque animus excelcissimus et generosissimus est, maximeque divina mente præstans, cogitationique multæ ac crebræ loci hujus ex quo profectus est, et a quo peregrinatur, deditissimus, ita et plurimum virtutibus illis dat operam, et citissimè atque facillimè huc redit, nempe compendiarium in primis expeditissimamque gradiens viam: verum sonitus hic quem admiraris, intelligi a vobis in terris non potest; nam, ut audiatur a vobis, præstantior tamen est et subtilior, quam qui a vestro stupidissimo crassissimoque capidignoscique auditu possit, estis enim ad illum velut *asini ad byram*; sed (quod magis credo) non exauditur illa de causa, quòd facultas et vis auditus vestri, exilis et perquam angusta quum sit, nequit amplitudinem hanc sonorum capere: neque vero sensus vestri possunt alia percipere et sentire, nisi quæ latitudine suarum virium concludere possunt et comprehendere; reliqua quæ et ipsa majora complecti et sentire velint, neque assequuntur, quod cupiunt, et quum nequidquam fuerint commissi, ac tamquam colluctati, succumbunt, ac tum vel magna ex parte debilitantur, vel interim etiam extinguuntur atque intereunt; velut si quis fulgentem in meridie, sudo serenoque æthere, solem intueri conetur, id diutius si fecerit, usque adeo oculorum ejus acies caligine ex immodico illo fulgore effusa retunderetur et languescet, ut aliquandiu postea nihil possit cernere, quòd si pergat id crebro facere, totam sine dubio cernendi vim virtutemque amittet, peribitque sensus ipse: quod cum in oculis vestris, quorum tantus vigor est, ita eveniat, quid in auditu fieri credendum est, quo sensu nullus est in vobis nec obtusior, nec imbecillior, magisque obnoxius ac expositus offensioni atque injuriæ? Apertus enim est, et pulvere, stipulis, floccis, sordibusque oppletus et obrutus, tum vel venti vel humoris lenis offensa illum ita lædit, ut sæpenumero hac sola de causa amittatur: jam sonorum immanium vis atque impetus intolerabilis ei sensui est, non secus quam aliis etiam omnibus

Divina studia.

Cur soni cœlorum a nobis non audiantur.

Sensus humani.

Auditus.

suorum sensilium exuperans et supra modum vehemens vigor magnitudoque; omnes enim sensus non vitiantur modo et deturuntur, si ea quæ sentiunt captum excedant ipsorum, sed plerumque, tamquam vasta in eos cadente mole confringuntur et comminuuntur.

De sonitu ut loquamur, quod ad rem nostram magis facit, quum alii permulti absurduerunt vehementia intolerabili strepituum et fragorum, tum *tota gens, quæ ad Catadupa Æthiopiæ partem habitat*, hac una de causa *surda est*; Nilus enim nobilissimus amnis, qui Africam ab Asia disjungit, postea quam Meroën Æthiopiæ, quam ipse divisus insulam facit, prætergressus est, aquas omnes suas in eundem alveum recipit, tum impactus rursus insulis, his obicibus, et quasi offensionibus irritatus fertur rapidissimo cursu, suisque iterum conjunctus aquis, incitatissimus decurrit usque ad eam Æthiopiæ partem, quæ ex re Catadupa Græco verbo nominatur; ruit enim Nilus ex illis scopulis atque rupibus immenso ac terribili fragore, gensque loci ejus accola jam semel olim urbem sedesque ad fugiendum tantum incommodum mutarat, sed alii bonitate agri, cœlique, invitati, in eam regionem immigrarunt; quæ nunc tota natio inaudita est: hæc quidem ex Nili sonitu accidunt: considera tu nunc quid ex hoc cœlesti sono, tanto quàm ille sit majore, fieri par est. Et considerabam ipse id quidem admirabundus, terramque identidem despectabam, mecum ipse cogitans et reputans quàm essent hæc nostra vilia, abjecta, sordida, indigna, non solum quæ incoleremus, sed quæ vel videremus, vel etiam calcaremus, cœlestibus illis composita et comparata; Africanus vero ratus me aliquo adhuc istarum rerum desiderio teneri; Video, inquit, te sedes illas humanas, terramque adhuc spectare, quæ si quantam ipsam esse cernis, tanta etiam tibi videtur, ne sis, oro te, tam exiguo atque angusto animo, ut levibus illis ac tenuibus rebus implearis; erige animum mentemque ad hæc cœlestia, ea desiderato, ea concupito, quæ sola possint te et capere et implere, reliqua ne pluris facito, quàm ipsa re vera sunt, quod, ut es natura summo et præstantissimo animo, facile te perfecturum non dubito; unum est quod

ve-

vereor, ne non facile possis excutere et repudiare ambitionem illam et gloriæ cupiditatem; quæ gloria quoniam nonnullam habet cum honestate similitudinem, formamque illius induit et præ se ostentat, idcirco ab excellentibus quidem ingeniis, sed quibus tamen nondum extrema est a virtutibus manus addita, nondum perfectis atque absolutis, magnopere exoptatur et quæritur.

Ac plerique omnes, qui nec opibus, nec imperiis, nec potentia, nec deliciis et voluptatibus capiuntur, cupidine quadam gloriæ solent irretiri, molesteque ferunt quum pro laboribus periculisque, pro meritis et benefactis, aliam omnem mercedem contempserint, gloriæ non reportare; quin et interdum nonnulli parum admodum virtutis, et gloriæ intelligentes, dum nimia cupiditate rapiuntur ad gloriæ, vitia et flagitia suscipiunt haud sane parva, qui etsi sermonem celebritatemque hominum, quam tantopere expetierunt, consecuti sunt, non protinus gloriæ sunt adepti; neque enim gloria de vitiis unquam nascitur, neque gloria est quod imperita multitudo, stulta et levis plebes, judicat, vel non judicat potius, quod enim judicium esse potest ubi nulla sanior est mens, sed qua parte plurimum valet, loquitur? Falsa est ea gloria, ficta, adumbrata, prava, veræ gloriæ imitatrix; vera namque gloria virtutem semper tamquam umbra corpus consequitur, sermonibusque et voce constat eorum, qui optimè de summis virtutibus judicant; altera illa, inconsiderata est et cæca, quæ ut temere, sine ullo judicio, multitudinis aura et rumusculis excitatur, ita temere silentio ejusdem tabescit et extinguitur, neque potest constans firmaque esse; quippe, quum de nihilo exorta, nullis fundamentis innitatur ac sustineatur; nullis dixi? immo vero innititur, sed contrariis sæpe, et iis quæ nullam structuram brevi non subverterent, nempe sceleribus et flagitiis, quum verum maximeque firmum gloriæ fundamentum sit virtus. Quod quum ita sit, difficile est viris excellenti præditis ingenio, postea quàm in virtutis veluti campo se se exercuerunt, hanc gloriæ, quæ ex illa proficiscitur, negligere; sed profecto illud est plane perfecti et consummati viri, etiam ipsam gloriæ cum ceteris hu-

De gloria
contemnen-
da.

Gloria falsa.

Gloria vera.

Perfecti viri
est gloriæ
contemnere.

humanis aut despiceret, aut certe negligere; estque illius qui non solum suam civitatem, brevesque illos suæ regionis patriæque terminos, secum reputat et spectat, sed orbem ipsum, non terrarum modo, verum etiam cœli totiusque naturæ, qui quàm latissimè patet.

Namque is primum ex latibulis unius civitatulæ egreditur ac effert se se, et tamquam de specula, vel editissimo aliquo loco, qualis hic est in quo nos sumus, totam sibi subjectam terram contemplatur; videt eos terræ tractus, qui huic boreali vertici, illique australi, suppositi sunt, pari ratione æternis frigoribus immersos rigere, nivibus, pruinis, glacie perpetua infestari, quod et a cœlorum conversione, motuque celerrimo, et a solis orbita, duobus totius caloris fontibus, quàm maxime remoti et segregati sint; qui duo fontes subjectam sibi regionem continuis vaporibus exurunt; quæ certe regio non equidem parva est, nam signifer ille circulus medio cœlo jacet obliquus, per quem ultro et citro Sol amfractibus suis ductibusque comnear, ascenditque nobis in solstitio usque ad Cancrum, brumâ in Capricornum nobis depressus; quidquid duobus his signis, Solisque metis; supra infraque, contentum conclusumque est; et rapidissimo cœli ambitu, et perpetua Solis torretur vicinitate; quo fit, ut nec extremæ illæ duæ oræ verticibus cœli subnixæ, præ nimio gelu, atque algore continuo, excoli atque inhabitari ab hominibus queant, quum neque mitescere unquam cœlum, neque frugem aliquam edere ager, qui caloribus nunquam mollitur et fœcundatur, possit; nec media illa celebrari et frequentari hominum conventibus cultibusque potest, quoniam, ut illæ præ nimio frigore sterilitatis damnatæ sunt, ita et hæc præ nimio æstu; neque mortales in tanto fervore respirare, et vitalia tepido spiritu refrigerare possent; ita, subito, quum æstantes eos deficeret anhelitus, præfocarentur: quæ mediæ porro sunt inter torridum rigentesque tractus oræ, duobus contrariis, calore et frigore, sensim tepescunt et temperantur, sic, ut quo magis ad extremos illarum limites accedas, hoc magis naturam vicini, vel æstus, vel rigoris, sentias atque percipias, in medio sit summum temperamentum; quod effecit, ut
ibi

Terræ divisio in zonas.

ibi commodas sedes mortale genus, ceteræque animantes, stirpes etiam, possent statuere ac figere, ibi tum vicissitudines sunt gratæ annorum, et temporum, tum agri suis definitis staturisque temporibus concipiunt, fœtificant, interquiescunt, ac vires vigoremque recipiunt, ad futurumque reficiuntur laborem, tum homines clementiâ cœli valent vigentque, arare, serere, plantare, colligere, condere suis quæque temporibus possunt.

Hæc omnia non sine admiratione spectat et contemplatur perfectus ille (ut dicebam) sapiens, videtque tria esse quæ in gloria expetere soleatis, ut quàm latissimè pateat, ut immortalis sit, ut apud quàm plurimos versetur, eosque quàm optimos; angustias, in quibus se vestra gloria diffundere et extendere conatur, considerat, et contemnit, aspicit enim primum terram ipsam exiguum quiddam esse puncti instar, quod in globo hoc mundi medium defixum est, ut centrum; ex illo puncto quinque in partes, quæ cingula dicuntur, secto, duas solummodo humanis usibus a Parente mundi esse attributas, quas vitæ victuique vestro commistio illa rigoris ardorisque benigniores præstat; in his duabus homines sibi conventus, concilia, coetus instituisse; urbes, oppida, pagos condidisse, raros atque in morem macularum dispersos; et quoniam tota terra globus est, ideo homines inter se partim sunt obliqui, quos pericœcos, hoc est, circumcolas Græci nominant, qui idem inhabitant cingulum, sed contraria latera, alteri ortum spectantes, alteri occasum, subjecti hemisphæriis diversis; seu adversis potius, parique agunt anni tempora, et pariter; vicibus tantum dierum noctiumque distinguuntur, dies enim his est quando illis nox, et econtrario; tametsi non in universum, neque enim quocumque tempore dies alteris est, nox est alteris, nam alioqui quum æstatem utrique agerent, dies hi haberent brevissimos, longissimos illi, quod fieri non potest; ceterum de mediis omnia intelligi convenit, ut media nox sit horum mediis, dum meridies est mediis illorum; si quis extrema cum extremis conferre voluerit, observata proportione, sive (ut Græci dicunt) analogia, facile quod quæsierit, assequetur: Partim etiam homines sunt transversi, quos antœcos nominant, qui in

Tria spectantur in gloria.

Gloriæ angustia.

Pericœci.

Antœci.

boreali australique cingulis, quæ incoluntur, vitam degunt; teguntur tamen eodem hemisphærio, nec magis alteri alteris ad ortum vel occasum vergunt, sunt autem propiores Aquiloni, vel Noto, hi quàm illi, pariaque agunt anni tempora, sed non pariter; vices tamen lucis tenebrarumque simul habent, nisi quòd æstate vestra borealibus major dies, australibus major nox est; contraria sunt hæc in vestra hieme: Sunt et homines sibi adversi atque e regione collocati, quos antipodas vocant Græci, quòd adversis inter se se stent vestigiis, interpositumque inter eos est terræ medium punctum, quod centrum dicitur, diameterque terræ ab alteris ad alteros agitur; quibus in universum omnia sunt contraria, et plagæ cœli, et vices temporum dierumque; hiems horum illis est æstas, nox horum illis est dies; quæ omnia tum conversio diurna solis, tum annuæ descriptiones, ascensus et descensus ejusdem, tum rotunditas terræ efficit.

Quæ quum sunt cognita atque perspecta ei, quem sapientia atque virtus ad perfectionem adducit, tum is intelligit totum illum habitabilem Austri tractum, quem Græci ἀντίχθονα nominant, ad suam gloriam nihil posse pertinere, est enim exusta mundi parte, vastissimisque solitudinibus, desertissimis et insuperabilibus arenis, a vobis separatus et remotus, ut inhospitalis terra neminem peregrinum aut viatorem admittat, qui a vobis ad australes illos aliquid de vestris præclaris rebus gestisque perferre possit: recisa est igitur ex duabus, quæ supererant humano cultui partibus, una, in quam pervenire et penetrare fama vestræ virtutis nequit; superest una, ex qua quis possit dicere, quàm pauca inhabitentur, quàm plura sint inculta, deserta, vasta, vel montibus, vel paludibus, vel arenis: age vero, accipe ea quæ frequentantur, et celebrantur; in illis quàm lente, quæso, rumor pulchre factorum serpit! Tot bella gessimus, tot Reges, civitates, regna, provincias vicimus et cepimus; at fama et sermo istarum rerum non potuit unquam vel altitudinem Caucasii hujus Asiatici montis superare et præterire, vel hunc fluvium Gangem tranare; quum tamen arma nostra Ægyptiis, Syriis, Parthis etiam, formidabilia jam sint, Indis igitur Seribusque ignoti omnino sumus, quis enim apud tam

Antipodæ.

Gloria Romanorum.

Caucasum non transivit.

tam feros populos, tam a nostris moribus, sermone, commercio alienos atque abhorrentes, tam tota ratione differentes et contrarios, aliquid de nobis prædicabit? Quis pari ratione apud ultimos illos, qui vel occidentem solem vident, vel Ursis illis Trionibusque operiuntur, vel ad meridiem mundique fervorem sunt expositi, nomen tuum laudesque audiet? Quis illuc perferet? quis narrabit? quis intelliget? quis magni faciet? quis admirabitur? Quibus omnibus ex tam brevi terræ globo circumcisis et amputatis, quæ vobis, per optimum Deum, area, quis campus relinquitur, in quo decurrere et diffundere gloria se vestra velit? quibus, dii immortales, in angustiis conflictatur? Inter quàm arctos fines revolvitur et sudat? quàm de exigua possessione certat?

At sempiternam gloriam (nam id erat secundum ex illis tribus) obtinere vos, vel etiam diutinam, nec voluntas hominum, nec rerum natura patitur; aut enim nolunt homines, quæ a majoribus de cujusquam benefactis acceperunt, filiis ac nepotibus narrare partim odio, partim invidia, aut obliviscuntur quæ audierunt, aut segnes torpentesque illa negligunt, aut alii intentis non vacat; sed fac velle, fac meminisse, fac vacare, rerum certe natura, gentes, regnaque nunquam sinit esse sempiterna; transeo bella, vastationes, populationes, quæ humanis injuriis et furore inferuntur; certis vero, definitisque temporibus, coitiones, aut separationes siderum, tum nimiam humoris vim terris immittunt, coguntque Oceanum solitos suos limites perfringere et inculta habitataque a vobis invadere, tum vel fulminibus jaculatis, vel vi et ardore suo, vel ex levi vestrorum ignium scintilla, in fomitem suum, siccaque excidente nutrimenta, incendia suscitant permagna, quale illud fuit quum Phaëthon ignotos currus inscie ductasse fertur; ita vel alluvie, inundationeque merguntur urbes; regiones, homines, et cetera quæ mortales cara habent, bona appellant, quum nihil sint minus, vel ignibus exuruntur, abeuntque in cineres, non magis illa omnia quæ dixi, quàm fama gloriaque uniuscujusque nostrum: extenuato vero humore, aut mitigato incendio, homines alii ad incolendas eas terras, rudes, ignarique earum

Gloria nulla diuturna.

rerum quæ in illis aliquando factæ sunt, deducuntur; quo fit, ut memoria præteritarum rerum non modo æterna esse nequeat, sed ne diuturna quidem. Quid dicam, expetere vos celebritatem nominis inter eos qui posthac erunt, quum ignoti fueritis illis, qui antea vixerunt, in qua etiam re magna pars de amplitudine vestræ gloriæ detrahitur? Nam illi nec pauciores fuerunt quàm qui posthac nascentur, et meliores sine dubio fuerunt viri, inter quos famam propagare id demum pulcherrimum omnium est; magis enim multo gaudendum ab uno laudari (ut inquit apud Nævium Hector) laudato viro, quàm ab infinita vulgi multitudine, laude omni carentis, atque honore; quid, quod breves istæ vestræ, exiguæque temporum mensuræ, efficiunt ut vobis quorundam hominum gloria aliquantum durare et manere videatur?

Gloria inter optimos viros optima.

Annorum apud præcos varietas.

Pudet dicere quos ambitus circuitusque temporum vobis describitis, quos a convertendo, ac refluyendo, annos, quasi annulos, appellatis; alii dies underriginta, quem Lunæ annum dicunt, et mensem, a Luna quæ ex Græco verbo μήνη; nec desunt, qui ut annum vertentem, ita mensem quoque vertentem dicant, sicut in Persa Plautus; alii velut Ægyptii, duorum mensium annum, qui fuit antiquissimus, nam Piso eorum Rex quadrimestrem eum fecit; additi sunt longo post tempore tot dies, quot ad Solis absolutum cursum congruerent; Arcades tribus mensibus suum annum claudunt, singulos annos singulis anni solaris partibus, vere, æstate, autumno, hieme; sunt qui hoc numero duplicato, velut Cares et Acarnanes; Albanis, et primis illis nostris Romulo Rege, decimo quoque mense redibat annus Calendis Martiis, quibus et Vestæ ignis, et laureæ curiarum, flaminumque, recentantur, ejusque mensis Idibus, vetere more, atque instituto, ut prospere et annetis, et perennetis, Annæ Perennæ publice privatimque sacrificatis; atqui Græci duodecim mensibus lunarem annum terminant; medio mense addito fit solaris; hîc a nobis dicitur vertens, quod tunc omnia in orbem acta redeant, hiems, æstas, ver, autumnus, aratio, satio, maturitas, perceptio, et conditio fructuum, frigus, calor, tepor, glaciæ, nives, nebula, serena; idcirco, a renovando, sunt

Anna Perenna.

sunt qui annum de Græcis verbis ἀνὸν et νεῶν nuncupatum esse audent, nisi quis ab ἔννος malit; ἀνιαντὸς interim ab illis dicitur eodem intellectu, quod in se se convertat, explicetque nobis quæ secum convolverat, rursus implicans evoluta; tum sequuntur magni anni; quales sunt isti, obsecro? Nam magnificentum nomen nihil non promittit; apud Græcos menses quinque et viginti ut Lunæ ratio ad Solis cursum congrueret, qui sunt anni duo intercalati, in quorum fine Thebis trieterica sacrum celebrabatur Baccho; sunt et alii eo tempore geminato, quas Olympiadas vocant, nostri lustra, in quorum termino, ludi illi fiunt, maximo totius Græciæ conventu atque apparatu, et nos censum agimus, lustrum condimus, ajuntque illi commodiorem hunc magnum annum esse. Est et alius, ut ipsi volunt, vere magnus; quantus tandem est? Olympiadis in se geminatæ octo annorum; quæ, quoniam vere magnus est, multas religiones summis cærimoniis perendas secum reducit, et tum Pythia solenne Apollini sacrum, ludique aguntur: Nugæ omnia, quis nescit?

Anni magni

Trieterica.

Olympiades
Lustra.

Pythia.

Nec Chaldæis suis deest magnus annus, qui ex vestris solummodo complectitur duodecim; sunt et magni, quos Lunares dicunt, qui mensibus ducentis duobus et triginta conficiuntur; quamquam hi, non omnino malo jure, magni Lunares dicti sunt, siquidem eo temporis spatio Luna, Soli collata, ad eandem notam remeat, unde exisse eam volumus; quod si sic et de aliis stellis sideribusque existimarem, ut cursus ambitusque omnium attenderemus, illudque metiremur intervallum, quo ad Solis Lunæque et quinque errantium ad eandem inter se comparisonem confectis omnium spatiis est facta conversio, hoc verum est tempus, *is vere possit annus vertens appellari*, in quo omnia, non similia modo, ut in isto vestro, quamvis in eo plura sunt dissimilia, sed eadem pæne vertuntur et redeunt, ejusque anni hiems summa est proluvies, æstas summa terrarum inflammatio, in quo non dico quot ex istis vestris annis, sed quot ex vestris seculis capiantur, et comprehendantur! Proferre vix audeo, ne fidem oratio non admittere vobis videatur, quippe qui seculum, quod centum ex vestris annis complectitur,

Annus vertens.

Seculum.

magnam et longissimam rem esse ducitis, quo spatio nulla est tam longa humana vita, quæ non finiatur; quam ob causam in ludis Secularibus, qui centesimo quoque fiunt anno, præco ad ludos invitat, ut hoc anno, si Romæ fueris, audies, *Ad ludos, uti convenient, quos nunquam antea spectaverint, nunquam post spectaturi sint*; at in hoc anno mundano, etsi non satis inter mathematicos, inveterata ipsorum consuetudine, quot sint secula convenit, nam alii centum et octo, alii centum fere et quadraginta, alii trecenta et sexaginta, alii centum et quinquaginta præscribunt, sunt qui trecenta et sexaginta sex, quamquam hi non mala prorsus ducuntur ratione, singulis namque seculis, et globus totus Solis, et stellifer ipse orbis universus, partem unam, quem dicitis gradum, promovet; quum sint igitur toto in cælo gradus trecenti sexaginta sex, totidem in magno illo capi tenerique secula verisimile est; ceterum omnium verissimum est, esse centum et triginta plus minus, quæ a Solevolvuntur; interea dum stellæ omnes, et errantes et inerrantes, orbibus suis, et ductibus sursum deorsumque conversæ, eisdem locis signisque, undecunque volumus eas decessisse, se sistunt et comparent, ut si quis ibi incipiat annum, quum Conditoris nostræ urbis Romuli animus, ad hanc alteram meliorem et sanctiorem patriam, magnis atque divinis in terra perfunctus operibus, rediit, qui quum anno, ut vos computatis, a condita Roma septimo et tricesimo, ad exercitum ad Capræ paludem recensendum Concionem advocasset, subito exorta tempestate cum tonitribus, fulminibus, nimbisque et densissima nubium caligine, Sol, interventu atque objectu Lunæ, deficere mortalibus extinguique visus est, quum re vera ipse non deficeret, nos potius lumine ejus deficeremur, ipse vero Rex inter hæc sublimis ablatu, in has sedes immigravit, nec amplius in terris conspectus est.

Quum igitur ad eadem, quibus tunc erant loca, sideribus omnibus reductis, Sol rursus eodem modo defecerit, tunc demum hic mundanus, et jure vertens, erit expletus annus; quo medio tempore sidera cursus omnes, coitiones, separationes, aspectus, respectus, antecessus, progressiones, regressiones, ascen-

sus,

sus, descensus, et ante, et pone, et ad dextram, et ad lævam, quas facere ulla ratione et natura sua possunt, peragent; cujus anni nondum vicesima pars confecta est, annus enim hic est ex vestris solaribus a condita urbe sexcentus tertius, a Romuli excessu quingentesimus septuagesimus plus minus, in quo sunt secula pæne sex, aliquanto quidem minus, sed ad rei totius summam non admodum refert, in hoc vero nostro anno quum sint secula centum triginta, vides quinque vicesimam esse partem e centum, unum vero non esse e triginta vicesimam portionem: hæc est illa ampla vestra et præclara scilicet gloria, quæ unius anni minimam portionem vix durat; an ea vel præferenda sine impio scelere, vel conferenda sine maxima temeritate atque stultitia, cum hac nostra vita est, in qua omnia, quæ expeti a magnis et excellentibus viris possunt, abunde insunt? De gloria loquebamur, agamus de eadem: Hoc loco, cujus minima pars latius tota vestra terra patet, tota se gloria diffundit atque extendit; quotquot enim hic sumus, noti inter nos omnes sumus, nemo est, de cujus virtute, et præstantibus factis, cuncti non audierint, quem alii non cognoscant, aperte, sine fuce aliquo, sine prætextu; neque enim corpora hinc sunt, quæ multas animorum maculas et labes occultant, animi sumus omnes, clari, conspicui, expositi, aperti; ad hæc, gloria ista immortalis est, quæ cum cælis ipsis sempiternis perennat, nec unquam intercideret, quoniam nec animi, nec ipsi cæli, vel morbum, vel casum, vel mortem timent, confirmati in æternitatem ab ipso naturæ inventore Deo; tum, multitudo hæc mentium, apud quas laus et fama meritorum, recteque factorum, viget, numero et cogitatione capi ac comprehendendi non potest, ad quam si mortales omnes, quotquot usquam terram incolunt, vel etiam incolent, atque incoluerunt, comparentur, vix universi unus aut alter videbuntur; at cujusmodi, quæso, mentes? non barbarorum hominum, non operariorum, non vesanarum multitudinum, sed a quibus laudari longe dulcissimum et gratissimum est, optimæ, sanctissimæ, divinæ; hic enim, præter cælestes istos, divinis mentibus præditos, sempiternos ignes, sunt et animi illi purissimi et optimi,

nos.

Quot secula
in anno ver-
tente.

Gloria qua-
lis in cælo.

nostri videlicet majores, Claudii, Bruti, Valerii, Fabii, Fabricii, Decii, Æmilii, Cornelii, Curii, Attilii; sunt et Græci illi, Socrates, Platonēs; Aristoteles, Theophrasti, Zenones, Aristides, Solones, Codri, Lysandri, Lycurgi.

Sunt et alii innumerabiles, quorum omnium immortales cum incredibili voluptate atque felicitate in hoc templo vitas spectare si volueris, si cœlos hos, mundique universitatem, nec incluseris te angustiis illis Italiæ, Hispaniæ, Africæ, sed totum mundum putaveris tibi unam civitatem esse, atque has beatissimas sedes illas esse ad quas tibi revertendum est, totum te absoluræ virtuti formandum, componendumque trades; quæ cum corporeas istas voluptates, pravasque vel divitiarum, vel potentia cupiditates abluerit et absternerit, tum ultima cupidine mortalis gloriæ te exuet, persuadebitque tibi, sicuti se res habet, magnum et perfectum sapientem non benefacere ut laudetur, non expectare inanem inanis turbæ sermunculum ac plausum, quæ sæpe de nihilo, plerunque de flagitiosis et sceleratis rebus, ignorantia meliorum, excitatur, maximum habere se acremque judicem, vigilantem arbitrum, verissimum et religiosissimum suorum omnium consiliorum atque factorum testem, conscientiam mentis suæ, quam ab deo illo naturæ principe atque opifice accepit, a qua una laudari se et plaudī sibi id pluris faciat, quàm judicium universi populi; neque enim vel præjudicia vel testimonia multitudinis recipit dominans et tamquam judex mundi Deus, sed uni conscientia fidei habet, illius vel laudatione boni viri in hæc remigrant domicilia, vel vituperatione ac reprobatione mali ab eis excluduntur: Hæc quum perfeceris, totumque te contemplationi et exercitamentis virtutis dederis, cognosces formam illam honestatis tam omni ex parte pulchram et speciosam, ut ea sola suâ pulchritudine, quam nemo unquam malus vidit, sine ullis aliis præmiis, atque invitamentis, ad se colendam atque tractandam allicere et pertrahere possit: Hoc ipsum est vere germanumque et non fucatum decus, non inchoatum honestum, sed omnibus suis numeris absolutum; est enim facies illa virtutis et decoris ex se perfecta atque absoluta, unaque rerum omnium pulcherrima,

Conscientia

Forma honestatis.

ma-

maximè laudanda, admiranda, expetenda, quæ si oculis corporis cerni posset, dici nequit quantos amores excitaret, sui quum gloria quæ tantam habet speciem similitudinemque honestatis, quantam umbra corporis, tam multos sui sectatores, per æqua, per iniqua, per facilia, per difficilia habeat.

Quis igitur futurus sit de te apud homines rumor, ipsi viderint, tu negliges, solam virtutem cura, eam tibi præmium solatiumque tuorum laborum esse cogita; loquentur illi quidem necessario si bene feceris, nam a virtute gloria dirimi et auferri nullâ vi potest, non magis quàm umbra a corpore; neque est ulla magis compendiaris via, nulla expeditior ad consequendam gloriam semita, quàm per virtutem, quam si tenueris, ut maximè fugies gloriam, ita te illa velocissime persequetur; verum ea gloria, quæ in hominum sermonibus fundata et constituta est, et circumscibitur angustiis, ut dixi, limitibus illius terræ perquam exigui tractus quem vides, et de nullo diuturna admodum fuit, opprimitur enim et interit cum populis, nationibus, urbibus, regnisque, variis, tum naturalibus, tum fortuitis casibus, et segnis, ingrataque posteritas, suorum majorum oblita, gloriam eorum silentio ac tenebris obruit, et sepelit, tempusque, vestris omnibus rebus invidum, aliquid quotidie derodens de splendore vestrae gloriæ atque detrahens, ante pauca secula funditus eam consumit. Hæc ille quum dixisset, tum ego quàm potui maximè modeste, demisso nonnihilo vultu, blandaque oratione, pauca hæc locutus sum: Profecto, mi carissime ave, simul ac primum per ætatem res tuas patrisque et aliorum de nostra Republica cognoscere ac intelligere potui, eisdem vestigiis progredi ad bene faciendum Patriæ cœpi, quæ tu et pater impressa ad ingentem gloriam laudemque reliquistis, neque de hac tanta virtutis mercede quidquam cogitabam; neque enim hoc esse tam amplum et divinum præmium iis, qui Patriam tutarentur, eique salutariter consulerent, propositum et paratum arbitrabar; quod quum sciam, videamque virtutes illas, quas in Republica exercemus, ad illas ducere perfectissimas et summas, quæ animum in hunc locum quàm ocissime revehunt, suæque pristinae divinitati res-

Gloriæ compendiaris via.

ti-

tituunt, nunc majore conatu, toto pectore, quæ cœperam non inaniter facere, perficiam, uti spero; et ille:

Tu vero, quàm poteris diligentissimè, enitere, neque enim mortalia tibi curæ esse debent, sed immortalia, quum sis ipse immortalis, venturus in hanc vitam, felicitatemque immortalem; neque vero casus et mors corporis te movere vel tantulum debent, quippe quum non sis ipse corpus, sed animus; nam neque ea quisque est quæ extrinsecus apparent, et cernuntur, quoniam nec suæ vestes est, quibus induitur, minus etiam suum est corpus, quo velut circumdatus, atque amictus est;

Homo animus.

Corpus quid

Nosce te.

est enim corpus hominis, seu amiculum, seu vas, seu receptaculum, seu vincula, seu carcer, seu quo alio appellari libet nomine; quod intellexit Sapiens ille, quisquis fuit, qui post ædis Apollinis, *Nosce te*, inscripsit; cujus præcepti tanta vis est, tanta sententia, ut non ab homine aliquo profectum putetur, sed immortalis Deo attribuat; neque is jubet ut quis staturam, aut faciem suam, vel manus, pedes, crura, cor, pulmonem, cetera exta, reliquosque cognoscat artus, quæ omnia medicis insipientibus notiora plerunque sunt, quàm sapientibus viris, sed ut animi præcipuam noscat partem, quæ est divina mens, in eamque frequenter intueatur, videatque quibus instructa artibus, quibus ornata virtutibus sit, quàm exercitata, quàm ad revolandum brevi tempore in has sedes, et pristinum domicilium, apta et parata; ut consideret et contempletur vim memoriæ, inventionis, mentis, cogitationis, quibus sapit, judicat, ratione colligit, assequitur et invenit, et recordatur tam multa atque admirabilia, quæ a nulla ex istis corporeis et concretis naturis fieri ullo pacto possunt, sed a sola divina; idcirco non modo te divinum esse scito, sed, ut dicere ausus est Euripides, Deum, quid enim non simile Deo tua habet mens? *An vigere, sentire, intelligere, meminisse, providere, sapere, comprehendere, ac tenere cogitatione atque intelligentia mundum ipsum, rerumque totam naturam?* id demum non divinum existimandum est, sed crassum, sed commistum, et ex terra atque illis quibus terra cœlumque connectuntur, coagmentatum et conglutinatum? *Quid vero gubernare, movere, agere, vegetare id corpus cui præfector*

Mens Deus similitudine

es,

es, nonne simile est illius providentiæ omnia administrantis et regentis Dei? Præclaraque a sapientibus viris dictum est, id totum quod vos vocatis hominem, hoc est, mentem animumque cum suo corpore, parvum esse mundum, ipsum vero mundum, magnum esse hominem; mortale enim est corpus tuum, nimirum terræ, humori, aeri, igni simile, ex quibus compactum et conglutinatum est, quibus quatuor corporum principiis, et causis, perpetuis vicibus semper aliquid decedit, semper accedit, mortesque et vitas, si non in se totis semel atque in universum, in suis certe sentiunt partibus, easque continuas.

Homo parvus mundus.

Animus porro tuus immortalis, et de divina illa cœlorum desumptus natura, par est eis atque cognatus, mens vero, qui est plane Deus, ea et mortale corpus et animum ipsum temperat ac moderatur, non secus atque optimus ille, maximus generator naturæ, tum fragiles illas caducasque, tum stabiles has æternasque mundi naturas et partes; et quemadmodum architector ille mundi, cujus numine reguntur cuncta, nec natus, et immortalis est, ita et animus tuus initio caret, nec fine ullo terminandus est, immortalis enim ea vis est quæ semper movetur, id est, quæ semper intelligit, cogitat, sentit, viget, vegetat, hæc siquidem omnia intelligi volo, cum moveri dico; etenim quum sint nonnulla, quæ ipsa alias quidem res movent, sed ab aliis etiam moventur, velut in hoc magno mundo planetæ movent ipsi quidem elementa, sed moventur tamen a primo illo impulsu contorquentis omnia, secumque rapiantis, cœli, in parvo verò mundo calor, et humidum illud atque spirabile, totum corpus salutari atque vitali motu cient, cienturque ab ipso animo vestro ac mente, hæc ergo, quæ quod aliis impartiuntur, ab aliis accipiunt, si quando beneficium desinunt accipere, etiam desinunt conferre, et tunc denique marcescunt et pereunt, a quo periculo remotum et tutum est id, quod a se ipsum agitur ac movetur; neque enim metuendum est ut ne ipsum a se deseratur; *quod si semper se movet*, semper vegetat, semper virtutem, vigorem, vitamque affert, *mori igitur nunquam potest*, nam si quando moretetur, non semper sibi vitam ipse conferret atque motum, quippe cum ea non daret,

Id omnino Platonice. Argumentum Platonis de animi immortalitate.

quæ exanime jacens atque prostrarum non haberet, resolutum enim abjisset jam tunc, vel in nihilum, vel in alias certe species ac formas: Imperitum igitur et absurdum est affirmare aliquid perpetuo moveri, sed interire tamen nonnunquam, hoc est, moveri semper, sed quiescere aliquando, quod de animo dicunt minuti quidam et plebei philosophi, qui tam impia opinione reditum sibi hæc in loca præcluserunt; neque enim mundi dominus et gubernator admitti eos in ea loca sinet, ad quæ se venturos desperarunt; desperarunt autem, immo vero contempserunt, atque irriserunt, nullaque putaverunt esse iis qui bene ac sancte vixissent parata, nostrosque animos, tamquam capite damnatos, morte mulctarunt, non aliam ob causam, quam quod qualis animus sit corpore vacans, intelligere, ac mente et cogitatione comprehendere nequiverint; cujus rei non animi nostri, sed ipsorum hebetes cogitationes, et intelligentiæ, in culpa sunt; quod si alia deerant omnia, illa profecto Platonis, philosophorum principis, ratio facile eos ab errore atque ignorantia revocasset, si acumen aliquod habuissent ingenii; omnibus enim, quæ moventur, quæ vigent, vivunt, sentiunt, intelligunt, meminerunt, motus hujusmodi anima origo et principium est, neque enim hæc ab inanimi aliquo manare fonte possunt.

Principii natura.

Principio verò prius nihil est a quo gigni potuerit et procreari, siquidem id ipsum prius, non hoc quod generatur, principium esset appellandum; ea namque vis est principii, ea natura, ut cum a nullo generatum sit, ipsum ex se alia progignat, quo fit, ut nec interire possit, quoniam ortum nunquam est; Quænam enim in æterno quod posthac futurum est tempore interitus ejus causa poterit inveniri, quæ nulla fuit in æterno tempore quod peractum est? An novæ posthac rerum naturæ procreabuntur quales antea nullæ fuerunt? accedit huc, quòd si occidit principium hoc, spes tota ceterorum omnium recisa est, quandoquidem quod a principio consumpto atque extincto fluere et proficisci queat, nihil erit; nec reperietur ulla res, quæ id principium repararet, atque reducat, quippe ingenerabile esse ostendimus: est igitur motus, vitæ, virtutis, sensus, vigorisque prin-

principium, ac vera origo, in eo quod tum sibi hoc, tum aliis præstat, atque largitur, nec beneficio fruitur vel mutato, vel precario; illud porro nec nasci potest, quoniam principium est, nec mori, quoniam æternis nulla unquam accidet sive morbi, sive casus, sive infirmitatis, sive mortis causa, alioqui fieret nonnunquam ut concideret cælum ipsum cum universa natura rerum, quiesceretque, et interiret, cessante ac quiescente mortua etiam mente illa excelsissimi cœli, cum ab ejusce mentis impulsu, quæ aut quiesceret, aut extincta esset, nec cælum ipsum, nec reliqua natura motum, vim, vitam reciperet; quòd si hoc de cœlis vel cogitare nefas est quod quieturi aliquando sint, atque adeo, si diis placet, ruituri, casurique, quoniam mentes illæ, indissolubili vinculo et societate cum eis copulatæ atque conjunctæ, nunquam moveri desinent, non minus profecto nefas est de animis nostris idem arbitrari, cum sint ex illarum mentium natura, et gentilitate; quæ etiam est ratio, quamobrem animi et ex se moventur, et semper moventur; neque enim torpent, aut feriantur, aut interquiescunt, aut insistunt ullo temporis momento, quin semper cogitent, intelligant, contemplantur, imaginentur, meditentur, moliantur aliquid, etiam corpore ipso somno presso et gravato, quo tempore ipse minime dormit animus, sed vigilans agit illa quæ dixi.

Animus semper vigilat et agit.

Quæ omnia tunc longe liberius, facilius, dexterius, melius faciet, quum corporis compagine ac pondere laxatus, solutusque erit; quamdiu enim in isto vestro est carcere, in istis tenebris, in isto somnio, quam vos vitam nominatis, sarcina corporis obrutus, ac pressus, cibi, et alimonix vaporibus, nebulis, caligineque offuscatus, tum cupiditatibus, affectibusque actus, et incensus, non potest mentis et cogitationis vi ac virtute uti, hîc vero, quum nec corpore impediatur, nec pastum sumet, nec affectibus perturbabitur, excussus namque et purgatus erit illis omnibus, faciet id quod vos in vita vestra consuevistis cum et integra estis valetudine, quum cibo somnoque non gravamini, et levati curis, negotiisque vacui estis, tum publicis, tum privatis, nec percellimini, et conflictamini, vel

æmulatione, vel cupiditate, vel ira, vel metu, totum videlicet se perquirendis contemplandisque rebus dedit: hæc omnia Plato quidem scripsit, Socrates vero cum Phædro suo ad platanum illam nobilissimam disputavit, aliaque eodem spectantia quàm plurima cum amicis eo disseruit die, quo e vestra vita innoxius ille et sanctus ejus animus egrediens, huc ad deos lætus alacerque remigravit, ut non disputasse eum, sed vaticinatum esse appareat, quemadmodum solent ii, qui morti sunt proximi: Quæ ego poteram quidem pressius et spinosius more ac modo vestrorum Stoicorum dicere; sed malui tamen fusius Platonicam imitari orationem: ex his itaque omnibus, dilucide planum (ut arbitror) factum est, animum, neque ortum esse, nec finem habiturum: quod si ita est, sicut re vera est, ne inquires obsecro immortalem, ac divinum, atque adeo Deum, animum tuum mortalibus sordidisque curis atque operibus; fac semper et meditare aliquid, non abjecto et mortali, sed Deo sempiterno dignum, nec rerum futilium viliumque teneat sollicitudo, quas omnes negligere te et aspernari oportet; de salute, ac tutela patriæ, cura, quod opus longe est ei, qui universitatem hanc fabricatus est, principi, ac præpotenti Deo, gratissimum, qui animos in humana corpora sparsit, atque concessit, ut essent qui terram illam vestram tuerentur, creatique estis naturâ et ingenio ad civilem conciliationem apto, ad incolendas civitates, frequentandosque conventus, ficto et formato; isque contra naturam pugnare, armaque adversus humanitatem sumsisse videtur, qui suæ utilitatis gratia communem utilitatem negligit, et violat, societatemque humanam dissolvit, dignus, qui tamquam hostis ex illa pellatur, eaque ipsi negetur humanitas, quam aliis ipse denegavit; illeque vere est magnus in primis vir, et omni laude dignissimus, qui commoda privata sua commodis totius patriæ postponit, mortemque cum salute et emolumento patriæ vitæ suæ cum aliquo illius damno præfert.

Ideo jure et in nostra civitate venerabilis est, sanctaque memoria, L. Bruti, Marci Curtii, duorum Deciorum, totidemque Scipionum, patris et patru mei, aliorumque complurium,

qui

Platonice,
iterum Platonice.

Homo natura
ad civilitatem factus

Qui pro patria obierunt.

qui pro patria interemti sunt, et in hoc templo, tum illi ipsi, quos modo dixi, tum etiam Codrus, et Lysander, et Themistocles, et Meneochus, et Dion Syracusanus, et fratres illi Carthaginenses Phileni, ac reliqui permulti partim Græci, partim barbari, qui mori pro patria non dubitarunt, gradum habent dignitatis honestissimum; illæ enim de patria curæ tam secundum naturam humanam sunt, ut ad naturalem hominum locum reducant, illaque civitas atque illæ vestræ humanæ leges ad harum cœlestium exemplum compositæ, seu hinc potius per sapientes et divinos viros in terram derivatæ, veros suos cultores et servatores ad fontem suum, locumque; unde ipsæ defluerunt, revehunt: hæc igitur mire est compendiaria in cœlum via; quæ etiam facilior breviorque fiet, si animus vester tantisper, dum in mortali vita agit, de hac subinde cogitarit, ad hanc se pararit, neque se voluptatibus corporis, cupiditatibus, libidinibus immerserit ac operuerit, sed abducens frequenter se a sensuum affectuumque consortio, primum corpus egredi videatur, et a mortuo non admodum differre, etenim illa, quæ a vobis vocatur mors, nihil est aliud quàm discessus ac dissociatio corporis et animi; tum ita superior suo corpore efficietur, ut calcatis primum humanis rebus atque despectis, quas omnes ad magnum excelsumque virum nec pertingere, nec pertinere existimabit, etenim, res equidem ita se habet, deinceps corpus suum, ita suum faciet, ut totum in manum potestatemque suam redigat, eoque non tamquam caro socio, sed tamquam frugali mancipio utatur: mox aderit ejusmodi sapientii pulchritudo illa interior, quæ nec commemorari, nec credi a malis, turpibus, tetris hominibus potest, et contentus ille suavissimæ harmoniæ audietur in tam divino viro, quum interioribus pulcherrimis exteriora consonabunt: quod Socrates a Deo universæ naturæ optabat, ac voto petebat: Quid jam superest homini tam expurgato, et perpolitato, tamque agili, faciendum, nisi ut acceptis alis animi duabus, cupiditate veritatis divinæ inveniendæ, cupiditate boni divini nanciscendi, quandoquidem in vestra vita omnia mendacio, tenebris ignorantia, tum flagitiis, spurcitiis, sceleribus sunt septa et connecta, ac

Via ad cœlum.

Mors quid.

Alæ animi
ex Pythagora
et Platone.

ve-

velut in profundo puteo (ut dicebat Democritus) demersa, ita se se leniter pennarum remigio sublimem attollat, ut quum huc usque, diviso illo crasso et caliginoso aëre, perruperit et penetrarit, corpus quod in terra reliquerat, valere sinat, ipse consortii ejus desiderio non tangatur, nec ad istam vestram vitam curet remeare?

Nam si vel voluptatum, vel opum, vel libidinum, vel alicujus ex vitæ humanæ vanitatibus et sceleribus memor, eam desiderat ac repetit, magno impetu ad terram deturbatus alas frangit; quod si vel is hic ita jacens, et cæno volutatus ac inquinatus, vel alius quivis eodem hærens in luto, eadem infectus contagione, jubetur tunc ab Imperatore mundi e vitâ quàm primum excedere, non potest in hæc beatorum beata domicilia corpore egrediens ascendere; tum quia nihil immundum et contaminatum huc potest ulla ratione pervenire, tum quia pondus illud terreni cæni absque aliquo alarum adjumento non patitur animos illos in altum exurgere, deprimunt enim nutu et gravitate sua, dejiciuntque ad terram; circa quam multis seculis volvuntur et jactantur, pœnasque sui erroris dant, alii quidem minores, alii vero majores, ut sunt vitia cujusque, omnes tamen ingentes et peracerbas: at si tam tetra sunt aliquorum fœdaque scelera, ut inexpiabilia sint, nec elui ac purgari adeo concretæ et infixæ eorum sordes queant, quales sunt patriæ, parentum, deorumque violationes, quas cum semel suscepissent, nunquam illarum eos postea pœnituit, hi tamquam complorati, et conclamati, in Tartarum dejiciuntur, unde nulli unquam post ad superiora reditus patere potest: alii qui minoribus peccatis se conturpaverunt, aut majoribus etiam, sed pœnitentia acti, vel ignoscentiam supplices petierunt, vel aliquo meliore opere damnum injuriamque, quam ipsi fecerunt, compensarunt et resarcierunt, ii purgationibus, emundationibus, excoctionibus adhibitis, puri, puti, idoneique huic divorum concilio redduntur; sed supplicia, quæ interea subeunt, tam dura et gravia, tam etiam diuturna sunt, ut maluissent quemvis in humana vita dolorem, quamlibet sive longum, sive asperum et acrem, perferre, quàm minimum ex illis cruciamentis quæ post mortem coguntur tolerare: quod non ignorans sapientissimus

vir

vir et justissimus M. Attilius Regulus, ut fidem suam hostibus datam liberaret, retinentibus et supplicantibus filiis, cognatis, necessariis ut se ipsum servaret, quum sine jactura ulla dignitatis posset quod supererat senectutis molliter et honorate et in ea Republica traducere, de qua, duobus consularibus magnis bellis rebusque gestis, erat quàm optime meritus, constanti et invicto animo non dubitavit ad ingentes pœnas et cruciatus redire; quippe qui probe sciret majores se post vitam daturum, si magnum fidei præsensque numen violasset, quæ fides socia et individua est justitiæ amica, seu verius soror.

Quæ quum ita sint, Publi, ne festinato e mortali vita exire, neu tibi ea longa nimis videatur, quæ tota citius evolabit, quàm credas, ac te in ea, tamquam in hospitio, totum te huic tuæ domui, his penatibus, ad quos tibi veniendum est, para et compone; neu hoc tam exiguo tempore de voluptatibus, de libidinibus, deliciis, opibus, flagitiis, sceleribus cogita, quæ ab instituta in has sedes domumque avertunt via; in iis esto totus, quæ expeditissime et facillime huc reducunt, in juvanda patria, in benefaciendo tuis, primum civibus, deinde cunctis mortalibus, in colenda justitia, pietate, fide, in te instruendo ac decorando, tum his ipsis, tum reliquis illis summis et divinis virtutibus, quæ quum a te intellectæ fuerint et cognitæ, ipsæ per se sine ullis gloriæ stimulis ad se se pertrahent, additaque tibi postrema ab illis manu, omnia tua in te uno sita esse duces, nec opes alias requireres quàm virtutes quæ in te erunt; nec alium sermonem de te præter illum quem recta tua loquetur conscientia, cujus unius laude atque elogio contentus eris, nec alia expetes: Quæ si feceris, ut te facturum confido, neque vitiorum fæcibus squaloreque pressus circum terram, ut mali viri, torqueberis atque affligeris, et purus expeditusque eodem momento et corpus tuum exanime in terris jacebit, et animus tuus suæ origini ad immortalem beatissimamque vitam restituetur: Hæc quum dixisset Scipio, hortari etiam atque etiam ambo, ne dicta hæc mihi unquam exciderent, discesserunt; ego admirans ea omnia quæ videram, quæque audieram, somno solutus sum.

M. Attilii
Reguli fidesJustitia et fides
sorores.Adhortatio
per epilogum.Mali quid
habeant
post vitam.

Infernus.

Purgatorii.

DE EUROPÆ STATU AC TUMULTIBUS

JOANNES LUDOVICUS VIVES

HADRIANO VI. PONTIFICI MAXIMO

S.

Beatissime Papa, et Vicarie Dei omnipotentis; deterruit me ratio negotiorum tuorum; ne quid, ex quo auditum est Te Pontificem Maximum esse designatum, ad Te scripserim, nam inter tot gratulantium epistolas, et voces, nullum putavi literis meis locum futurum: nunc tandem remisso illo animorum fervore, qui novis magistratibus atque honoribus solet excitari, maturum mihi visum est pauca verba Sanctitati Tuæ scribere, jam Principi Sacerdotum, et pietatis christianæ; qui ad Decanum Lovaniensem scripsi, qui ad Episcopum Dertusensem; neque enim dignitate moveor, tametsi in terris summa ac præstantissima, quam tamen indignis quoque contigisse hominibus scimus omnes; vir optimus venerabilem reddit optimum honorem; et tum demum prosequuntur homines justa reverentia dignitatem, quum in illo esse vident, quem etiam privatum suspicerent et adorarent; rident, qui scelestum hominem, et facinoribus obrutum, sanctissimum patrem nominaturi sunt, et dant eum titulum non sententiæ animi sui, sed consuetudini loquendi, pudetque Vicarium Christi eum nuncupare, quem suum nemo vellet. At quanta veneratione perfundi putas illos, qui sanctissimum de solis moribus nominassent Pontificem Maximum, veterum illorum similem, in eremo, seminudum, et solum oleribus victitantem! Perstringit oculos nostros fortunæ splendor, non cogit animos: Tu quidem ad fastigium rerum humanarum sola vita innocentissimè acta evector, ostendisti locum adhuc esse virtuti, ejusque respectum non prorsus humanis mentibus excidisse; et ut liceat verum dicere, superiorum Pontificum vita effecit ut maximum in terris ornamentum ipse ornasse videaris.

Excogitantur tituli consuetorum dissimiles, quibus adearis Tu, illorum Pontificum, quos nostra vidit ætas, dissimilimus;

ne

ne pigeat hæc audire, quem non piget aliter vivere quam vixerunt illi, nisi velis homines contrarios mores eisdem laudibus honestare: non impetrabis hoc a libertate publica, ut interea dum Tu illorum vitam actionibus Tuis reprobas, nos eam oratione nostra comprobemus; sed de Tuis laudibus et alias audies, et ab aliis doctius, atque accuratius; nunc a me paucula more meo simpliciter quidem ac imperite accipies, ceterum amoris et observantiæ in Te meæ plenissima: nam nisi me opinio ac iudicium animi mei de humanitate ac mansuetudine Tua vehementer falsum habuit, confirmatum tamen pluris experimentis, non rejicies Romanus Pontifex Epistolam ejus cujus Episcopus Dertusensis non es aspernatus, neque enim Te sic mutavit tanta dignitas, ut virtutes summas ac singulares, quas in Te unicas semper laudavimus, semper admirati sumus, quæque Te ad istum ipsum honorem perduxerunt, vel ademerit, vel minuerit: patieris igitur Te paucis admoneri, ab aliis forsitan peritius, a nullo profecto amantius, quàm a me; at quàm prudenter, aut commode, ipse existimaris, qui ut recto monitori auscultare, ita non capi a pravo didiceris: idcirco qualiscunque hæc admonitio futura est, in Te non erit periculosa, nam et bona proderit, et non oberit mala. Quo die nuntiatum nobis est Te amplissimis comitiis Pontificem Summum declaratum esse, alii quidem omnes incredibili tenebantur lætitia, ego vero, qui felicitatem humanam non opibus aut potentia metior, non tam gaudebam, quàm amici vicem eram sollicitus; gaudebam, equidem, contigisse virtuti aliquod ex istis nostris præmiis, si modo non omnia ad subtilem illam exactamque philosophorum, et Stoicorum præcipue, seu Christianorum verius, formulam redigimus; gaudebam datum aliquando non ambienti, quod ambienti soleret, valuisse tantum virtutem quantum opes, fraudem, imposturam; gaudebam Tibi quæ meritis contigisse, et optimo viro maximum esse mandatum honorem; tum etiam datam Tibi occasionem ostendendæ, seu, ut aptius dicam, exercendæ probitatis et prudentiæ Tuæ, rebus præsertim adeo collapsis, et tanta materia beneficiendi.

Sed hinc mea nascebatur sollicitudo, esse rem christianam

Tom. V.

Kk

in

in eum statum adductam, hinc bellis, hinc turbis ab hominibus prave sentientibus excitatis, ut restitui priori gradui non minus sit operosum, et difficile, quàm pulchrum, et omni laude dignissimum; tum etiam, unde aliis gaudium nasci solet, inde mihi cura suboriebatur, quod Præcessoribus Tuis melior esses; ita enim res sunt a multis illorum tam diu administratæ, ut quum Tibi displicituræ sint, tamen hoc usu, et assuefactione tam diuturna, mutari a Te vix possint; et tamen mutandas esse Tu, ac omnes divi, atque homines, censemus, mutari omnes cupimus, ac Tu in primis. His de causis et rationibus non æque Tibi gratulandum censeo, cui contigit altissimus in mortalitate locus, atqui excitandus es, ut modicus iste animus, et vere sanctus, res amplissimas incipiat cogitare, et isti fastigio congruentes, adhortandus, ne defatigeris in negotio tam vario, tam difficili, tam molesto, quo minus dies ac noctes in id incumbas, quomodo tanto muneri satisfacias, et actionem ad susceptam personam attemperes, ne quum tota Tua superior vita summa sit Tibi cum laude acta, et ad personas, quas sustinebas, convenientissimè, nunc in postremo actu, quod procul absit, deficias, quum plausus excitandus est. Duo sunt, quæ a Te postulantur, atque expectantur, quies ab armis inter Principes, quies a tumultibus inter privatos: reliqua in præsentia omittam, de his duobus pauca quædam disseram libere, ut cœpi: equidem scio alia auditu jucundiora, et possem dicere, si vellem, sed hæc quæ dixi, ac dicam, usu potiora invenientur; nemo ex me quærat: quid, et tu non apud Pontificem esse putas, qui hæc et meliora consulat? Ego vero et plurimos, sed magnitudo Pontificatus facit ne unquam nimis multi consultores esse videantur, præsertim ubi Pontifici licet, auditis omnibus, quod optimum factu sit eligere, nec cogitur, ut quæque audivit, extemplo id exequi; nec illa quæstione velim premi: et An non melius hæc Pontifex ipse? Certe melius multo, sed consilia omnia, et admonitiones tollat e vita necesse est, quisquis non vult prudentiorem moneri a minus prudente: et Quis Princeps consuli sibi patietur, ne dicam moneri se, si consultores omnes, hoc ipso quod consulunt, peritiores se ac prudentio-

Quies ab armis et tumultibus.

tiores esse præ se ferat, et profiteatur? Itaque audies ipse quæ non ignoras, et hoc magis ad perficienda, quæ sanctissimè cogitas, excitaberis, quum idem alios quoque cupere intelliges, et erit hic animo Tuo stimulus non segnis, quod videas optate homines intus exteriusque tranquillitatem: neque nunc vero sic, ut aliis temporibus, quum sola vota faciebant, et optare poterant magis, quàm sperare; de Te autem tanta est in mentibus omnium opinio, tanta fiducia, ut sperent facile quod optant, confidunt futurum quod sperant, factum prope credant quod confidunt.

Commovet anteacta vita Tua hanc de futuris expectationem, ut integrum jam Tibi non sit, aliter agere quàm quod omnes sperant, quàm quod universis consensus pro Te publicus spondit, nisi cunctos velut efflagitantes creditores fallere semel sustineas; quod facere non potes sine magna invidia, etiam istius tantæ celsitudinis, de qua tam male multi suspicabuntur, ut ejus vitio mutari credant mores eorum, qui illuc ascendunt: omnes quæ scripseris, quæ gesseris, norunt; si Tu, quod omnes sibi promittunt, remedium non affers tantis malis, quæ poterit esse in posterum spes? quem fieri optabunt Romanum Pontificem, ut fessis labefactisque rebus succurrat? Meliorem Te? At nullus speratur: et Parem? Difficile inventu; sed mutabitur honore, nam peioris et quid attinet vel meminisse, si meliorem corruperit fortuna? Hic fidem Dei atque hominum implorabis, si quod fueris privatus optimus, non ideo liceat nunc Tibi similem esse Præcessorum tuorum: hæc est conditio rerum; sic ingressus es in vitam, ut naturæ leges mutare non possis: sapientissimi viri dictum illud est, duriolem esse conditionem spectatæ virtutis, quàm incognitæ: benefacta pro debitis exigimus; quæ aliter eveniunt, ut decepti ab his, infesto animo reprehendimus: mediocris virtus illi, a quo nulla certe expectabatur, magnæ laudi vertitur; qui vero sui expectationem aliquam fecit, non nisi amplissimis illam factis implet. Quamquam gaudere nimirum debes, obtigisse Tibi materiam, in qua ingenium, probitas, prudentia Tua possint enitescere, ac exercendo augeri, nam illa torpent si quiescant, et vires amittunt, ut ventus in plano concitatus, aut

Virtutis ma-
teria.

ignis, cui nihil fit obvium, quod incendat. Optabant veteres illi bellum, ut virtutem in eo, vigoremque animi et corporis ostentarent; optari poterat Tibi, sed longe diversa ratione: illi enim vastando, sternendo, occidendo, cladem stragemque longe faciendo ac late, magnam laudem, clarum nomen, immortalem parari gloriam arbitrabantur, ut eorum memoria sacrosancta esset mortalibus, qui magnam mortalium partem delevisent, et ii essent humano generi cari, qui adeo homines ode- rant, ut plurimos de possessionibus, de fortunis, plurimos de vita deiecissent, et grati bonis hominibus essent, quibus solis bellum faciebant, latronibus et consceleratis comitati ac adju- ti.

¶ Quanto Tu rectius, atque ad ipsam hominis naturam accommodatius! Amicum Te fore hominum generi existimas, si eos inter se feceris amicos, gratum omnibus, si odium sustuleris, si effeceris ut suæ cuique fortunæ, uxor, liberi, amici grati sint, quod sola pax præstat: ¶ quanto id humanius, rectius, melius! quod non solum christiani optimum et sanctissimum factum nominarunt, sed ethnici quoque, Senecæ omnes, Cicerones, Platones, Socrates: decet hoc magis et bonum virum, et christianum, et Episcopum, et Principem Episcoporum: Sed profecto ad tantam impudentiam non progrediar, ut etiam de officio Tibi Tuo præcipiam; non disseram, quid Te deceat; nec ex humanitate Tua tantum mihi licentiæ arrogabo, cui fuerit satis, quid abs Te sperent homines, indicasse: quamquam ne hoc quidem ignorare Te arbitror, nisi dignitatum gradus, per quos ad istud culmen pervenisti, omnem privati hominis cogitationum memoriam sensumque excusserunt: recordare quid privatus a novo Pontificè optaris, facile conjicies quid a Te desideretur: ¶ Utinam Principes omnes aliquando in privata vita versati essent, quanto facilius subditorum necessitatibus obsecundarent, et discerent succurrere miseris, non ignari et ipsi malorum! Nunc contra, nati et educati inter regias opes, indulgentissima semper usi fortuna, calamitates civium, quia non intelligunt, rident; ita pro nihilo habent propter suam vel rixulam, vel ambitionem, vel avaritiam, vastari agros, villas et oppida excindi, populos gentesque unica belli procella absumi,

flo-

florentissimas nationes, et firmitissima regna funditus interire; non putant se Reges, nisi has afferant humano generi strages; hinc nomen, hinc gloriam parari ab assentatoribus audierunt, qui in publico bono egeni, malis publicis magni atque potentes sunt; nec videre possumus sine gemitu, nec referre sine lacrimis, greges senum et parvulorum abjectos mediis foris, et ante sacras ædes lamentantes, mediocres, interdum etiam amplas suas fortunas, direptas ab hostibus, nonnunquam ab amicis militibus, et quod indignius est, combustas; nam si raptæ tantum essent, hominibus saltem prodescent, nunc nova ratio gerendi belli excogitata est, ut incendantur omnia; Galli nostra incenderunt, nos nunc victores Gallica; illi rursus per occasionem collecta manu, nostra; finisque sit brevi nominis christiani spectaculum Turcæ gratissimum, cum nos ipsi ministri simus votorum illius, nisi quod mitiorem illum credo, quàm ut sic vellet in nos sævire, aut certe sanio-rem, quàm ut vellet perdere quæ victor possidere posset.

¶ Quæ sic unquam belligeravit Barbaria, ut nec sibi patere- tur prodesse victoriam, nec hosti? Hoc illorum est, qui per- diti spem omnem et cogitationem vitæ abjecerunt; at nos pul- chrum id, si Deo placet, et magnificum ducimus; hoc demum putamus vincere, si sentiant se victos esse, qui vincuntur, et verum fiat vetus illud a crudelitate quorundam deductum: ¶ *Quid victis aliud quàm mæror?* Feros et Barbaros populos Græci Roma- nique devicerunt, erepta tantum injuriæ licentia, et opibus, et artibus, et moribus locupletiores, instructioresque, ex victoria reliquerunt, ut præstaret ab ejusmodi magistris vitæ vinci, quàm illos vincere: et illa inter se Gentiles, quibus incerta erat ani- morum immortalitas, nihil dictum de caritate, non unum au- dierant humani generis parentem, non a divino Magistro com- mendatam atque adeo jussam patientiam, prohibitam vindic- tam, non audierant ab oraculo: *Nihil prodesse homini, si uni- versum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur*: nos christianos a Deo ipso hæc omnia edoctos, et inter quos vel leves esse rixas destomachabatur Paulus, nihil pudet tantas stra- ges edere hominum etiam immerentium, ita ut mitius pugna-

tu-

Belli mala.

Incendia in
bellis.

¶ Quid victis
quam mæ-
ror.

Christiano-
rum quam
Gentilium
major im-
manitas.

turos appareat cum ursis aut leonibus, quàm cum christianis: et ista faciunt, qui inter hæc non exhorrent Patrem appellare Christum, quum ipsi Christi filios, non fratres, sed hostes esse suos arbitrentur; nec tremunt, quum prælium initari vota Christo faciunt, nullius rei magis inimico, quàm belli, nempe unius amicitia prædicatori et commendatori, unius disciplina pacis magistro, solius caritatis legislatori: *Hec est*, inquit, *præceptum meum, ut diligatis invicem*: quid igitur Præceptori caritatis cum tot animis odio tumentibus, et exulceratis, ut si quis, quæ Christus præceperit, cum iis quæ nos agimus conferat, commentitiam nos et ridiculam agere fabulam juret, quum sacris intersumus, quum christiani et dici et haberi volumus. Scio quid jam dudum ista legens cogites: vellem, si per illos liceret: fortassis rem invidiosam dicam, sed certe non minus veram, et ad præsens institutum in primis utilem: hæc Tibi scribuntur uni, quo apertius et simplicius loquar, eo me existimare debes Tui decoris et publici commodi studiosiorem, qui contemta propria utilitate, etiam cum invidia moneam quæ in rem esse Tuam communemque videantur.

Christi præceptum, caritas.

Suasores belli.

Sunt, Beatissime Pater, nonnulli docti homines qui proximi et probati Principibus, magnaque apud illos auctoritate, quum de bello consuluntur, ita de justo et injusto bello disserunt, ut facile ex eorum oratione ansam, Principes alioqui in suos affectus proni et præcipites, arripiant existimandi quodlibet bellum modo placeat justum esse; prætextus et colores nunquam desunt, dum non desit facultas, et occasio; qui si aliter censerent, ac disputarent, injecta in Principum animos religione, cohiberent ac revocarent homines ad arma proclives, et affectionibus impulsos: Tuum est, Pater Sanctissime, ex præceptis nostræ Pietatis, quorum interpretes mundo præsidet, docere et Principes, et Principum consultores, bellum hoc inter fratres, et quod plus est, initiatos eodem baptisate, iniquum, sceleratum esse, contra fas, contra pium, nec secus, quàm si membra corporis ejusdem inter se dimicent, ex Pauli doctrina, juxta quam *apud Deum jam non est Græcus, aut Judæus, aut Gal-lus, aut Hispanus, quisquis per CHRISTUM renatus est, sed nova crea-*

Bellum inter fratres.

creatura: quod qui cogitant, et exequentur, pax super eos: Si Tu ita doceas primum tantus Theologus, deinde vir optimus, tum Princeps nostræ religionis, si ita statuas Vicarius in terris maximi Dei, quis in contrarium vel tantæ eruditionis disputare, vel istius edidicti, niti, aut sine impietate poterit, aut sine noxa audebit? Sed hoc loco sint ista nobis satis dicta: nunc ne Te publico bono occupatum diutius interellemus, paucis de quiete religionis nostræ agendum est, et eo parcius ac modestius, quòd apud Summum Pontificem, et virum tanta doctrina, verba facimus: vides, qualicumque cœperint affectu, progressos tamen esse homines quosdam extra vetita septa, et firmata partim divinis legibus, partim antiquo ecclesiæ consensu ac ritu, ausos impetere: huic malo quemadmodum subveniendum sit, non crediderim Te ignorare: vetus verbum est: *Civitatis imperandi prudentissima imperium eisdem artibus retineri, quibus initio partum sit*: repetamus origines illas magnitudinis hujus ecclesiæ, quid nobis modo faciendum sit, ibi videbimus: quorum vel tutius, vel commodius exempla possumus sequi, quàm eorum quibus ita opitulata est virtus divina, ut hæc ex parvis initiis tam aucta nobis reliquerint? Omni memoria tumultibus ecclesiæ occursum est, indictis conventibus Patrum, quod generale Concilium vocamus; hæc una est medicina morbis etiam, qui deplorati putabantur; ibi expositis vel querelis, vel rationibus, quibus adducti erant qui parum recte sentirent, cognitibus morbis præsentia remedia adhibebantur: nulli morbi periculosiores sunt, quàm qui latent; nulla sanies noxia magis, quàm quæ non exprimitur; multas inimicitias ad capitale odium adultas scimus, quòd vel occultæ creverint, vel purgare virus expostulando aut jurgando non licuerit; cojisse in amicitiam videmus qui rixâ aliquâ conceptum dolorem effuderunt; hinc illud vulgare: Amantium iras esse amoris redintegrationem.

Concilio generali ecclesiæ tumultibus occurrendum.

Ferunt aliquot, et nostra, et patrum memoria, Pontifices Concilium non secus ac venenum devitasse, quòd dicerentur vereri, ne aliquid suæ potentia, fortunæque, constitutis clexi moribus, detraheretur: male custodit potentiam metus; et si sæpe suspectus quis sit, pro manifesto habetur; quale argumen-

Concilia quare ab aliquot Pontificibus intermissa.

mentum est innocentiae, refugere coetus, et libera judicia? non existimare se tutum fore, si de meliore rerum statu consulatur? Neque id ignorant multi; idcirco signum conscientiae interpretantur, etiam ubi culpa nulla subest, quod in disquisitionem prodire non audent: Tibi vero nihil tale metuendum est, primum in ista animi Tui moderatione, quae libentius laetiusque sine tanto fortunae strepitu viveret, deinde in moribus sanctissimis ac orbi universo spectatissimis, postremo in conscientia mentis Tuae, quae quum non terret, omnia undique segura sunt: ergo expedit indici commune toti christianae genti Concilium, eo loci, ad quem si quis non venerit accessitus, non loco videatur diffusus, sed conscientiae: ibi, humanis omnibus sepositis affectibus, sumtis tantummodo christianis, hoc est, divinis, de tota causa gravius et accuratius cognoscatur: quaeret aliquis: Quid igitur? an non gravissime est jam et diligentissime cognitum? ut maxime sit, quid tamen illis facias, qui hactenus privatis tantum premi se auctoritatibus, nulla publica, nulla satis gravi, existimant? Istis est aliquid dandum, et non contemnenda tot animarum millia, pro quibus Dominus passus est: Quanto tumultu, quibus apparatus, una Turcarum civitas oppugnaretur, ex qua alii diffugerent ne baptizarentur, alii baptizati suum semper retinerent Mahumetem, pauci boni essent! Ecce Tibi tot civitates baptizatas, deflexas de via; suscipiatur laboris aliquid ut sensim redeant in viam, praesertim cum facilis sit initio opera, quae nulla proficiet si res (quod avertat Deus) invalescat, et tempore vires atque incrementum sumat: necessaria res est Concilium, etiamsi haec tempestas non incidisset: eadem operam multa poterunt fieri compendia; multis obviam malis ibitur; alia sunt etiam complura super quibus oportet in ecclesia consultari.

In eo Concilio magna cum placiditate animi ac commoditate, quemadmodum faciendum esse probe nosti, de iis solis et inquiratur et statuatur rebus, quae ad summam pietatis spectant, ad sanctos mores; alia quae in utramque partem disputata, contentionem possent scholis suppeditare, nec ullam facit, quomodocumque definiantur, vel religio jacturam, vel bonorum

mo-

morum institutio, in gymnasia, et disputantium circulos, liberasque opiniones, et sectarum placita referantur; ne dum omnia mordicus apprehendimus, non tam dicta videamur damnare, quam dicentem, et quum aliquid fortasse dubium pro certo atque explorato, aut indifferens pro necessario, tradimus, festinam pravis et versutis hominibus, sinistrequae omnia interpretantibus, aperiamus suspicandi pleraque omnia esse talia, nosque incomperta pro certis affirmare: quae suspicio quantum hactenus adversarios adjuverit, dici non potest; dum enim quisquam tamquam ruenti ecclesiae conatur opem adferre, atque illam ceu Atlas quidam fulcire, fragiles et putres bacillos subjecit, qui etiam inter admovendum confracti sunt; ea dixerunt atque asseverarunt, quae, partim ambigua pro certissimis tradita, partim frivola pro solidis, alias ridicula pro maxime seriis, pro verissimis vanissima, ex caeno quorundam libellorum hausta, pondus ac robur suae causae detraxerunt, addiderunt contrariae; ut non aliter viderentur facturi, si praevanicari, et acuto vastroque ingenio adversarii causam prodere in animum induxissent; alii concionibus, alii privatis colloquiis, alii scriptis.

Ex quibus fuere quidam, qui nec suis, nec adversarii perpendis viribus, cum fortiore congressi, vehementer causam totam affligerunt quum ex illis omnes censerentur; alii ad hoc inducti sunt pietate quidem, sed inconsulta, et zelo Dei, sed non secundum scientiam; nonnulli quod ea sit ipsorum existimatio de re, ut neminem credant adfuturum, si absint ipsi, quemadmodum dixisse olim quendam accepimus: *Si ipse eam, quis manebit? sin vero maneam, quis ibit?* Sunt qui nonnihil vel a populo captabant aurae, vel auri a potentibus, rati juxta Pauli sententiam, quaestum esse pietatem: inter haec quis locus ad scribendum magno viro, et aliquid allaturo utilitatis, quum tanta turba etiam claros occultet, dum nemini omnes vacat cognoscere, nec sit qui optimum quenque et legi dignum iudicet, unoquoque se aut eum cui addictus atque adjuratus est reliquis praeferebat, nec contentus sua suffragio extulisse, aliena promit, injuriamque interpretatur non modo si cui secundus habeatur, sed etiam si secundus exiguo subsequatur

Tom. V.

Ll

in-

intervallo? Ita res geritur privatis commodis, non publicis; nec spectatur quantum quisque possit juvare in commune, sed quantum pecuniæ rediturum est, vel nominis: ergo magni viri partim indignitate despondent animos, partim desperatione profectus tacent: prima debebat esse cura, ni ego fallor, ac nunc debet esse, ne quilibet passim scribat; deligantur prudentissime, atque acerrimo judicio, qui hoc agant; et qui scribent, assumant secum iudicium in consilium non impetum, Christum non humanam libidinem, cæleste præmium non divitias, laudem a Deo non ab hominibus; eorumque scripta Concilium universæ ecclesiæ accuratissimè examinet, ut communi consensu, quæ videbuntur, approbet, ac confirmet, reliqua partim rejiciat, partim si ambigua fuerint, vel obruat silentio, vel tamquam materia detur ingeniis exercendis.

Hæc ego, Beatissime Pater, multis prætermisissis, et aliud in tempus dilatis, Sanctitati Tuæ ausus sum scribere, non fiducia ingenii, aut prudentiæ meæ, quasi meliora ipse mihi inventurus viderer, quàm alius quivis, sed probitatis, et mansuetudinis animi Tui, quæ ultro ad se plurimos invitat, tum amore publicæ Europæ totius concordiæ, quam non possum non ingemiscere, sic inter se discissam, tanto omnium damno conflictari populum, quem Christus sanguine suo redemptum, unum in corpus caritate velut glutino quodam coagmentari præceperat: poteram de Tuis laudibus longissimam orationem contexere, nihil admòndo: id forsitan aliis Pontificibus gratius fuisset: sed eo liberior, et procul magis omni assentatione fuit animus, quod ad Te hæc mit-tenda erant, et nulla opum spe ducebar, tametsi Tibi amplissimæ suppetunt; tantum amore in Te veteri ac confirmato, et observantia in istius Tuæ dignitatis non ditionem, sed majestatem: Tuum erit, boni consulendo, præstare ne mihi vel inconsultus amor, vel immodica pietas fraudi sint, neve commernisse videar, dum bene mereri studeo: reliquum est Christum maximum obtestari, ut quæcunque statueris, approbet, feliciterque evenire sinat. Vale, Beatissime Papa, et verè Sancte. Lovanii, XII. Octobris, 1522.

JOAN-

JOANNES LUDOVICUS VIVES

HENRICO VIII. REGI ANGLIÆ INCLYTO,

S.

DE PACE INTER CÆSAREM ET FRANCISCUM
Galliarum Regem, deque optimo regni statu.

Quantum et Majestatem Tuam, et reliquos omnes Principes, quibuscum fuit mihi usus aliquis, hortatus sum semper ad pacem, tantum hoc tempore pacis audito nomine sum lætatus, tum publici commodi gratia, tum etiam Principum ipsorum, quibus ego et multis nominibus optime cupio, et illo potissimum, quod publica salus cum ipsorum salute, ac sana mente conjuncta et complicata est, ut divelli non queant. Est enim Princeps in republica, quod animus in corpore, et imago quædam auctoris illius rerum naturæ: videre est, quàm turbatum atque affectum sit corpus, animo affecto: hoc incitato, Quæ faces micant in oculis flammaram! quanta oris distortio, et atrox agitatio corporis totius! Eodem languente, et demisso, universum corpus ad eundem continuo habitum componitur; sic Princeps affectus suos omnes in civitatem transfundit, et ad ejus exemplum tota se se comparat multitudo: quocirca illud est optimo Principi curandum, et in quem tantum nomen merito competat, ut talem ipse se et publice et privatim præbeat, quales velit subditos habere, positumque se se arbitretur in refertissimo teatro, ubi nullum ejus vel factum vel dictum occultum sit: nec tenebræ, aut solitudo obstat, quo minus in vulgus dimanet quidquid egerit; nam lux principatus omnia reddit conspicua, intentaque tot in se unum ora fallere, ut maxime velit, non tamen potest; loquax enim fama, vel abditissimos recessus explorat ac patefacit: porro quidquid vident placere et approbari dominanti, hoc omnes sequuntur, in hoc sine iudicio ruunt, tamquam satis sit illum faciendum judicasse, pænes quem ut summam potestatem,

Principis in republica, quod animus in corpore.

Principis nota omnia.

Ll 2

ita

ita etiam summam prudentiam conciliumque esse interpretantur: sunt qui non ignorent esse quæ æmulantur pessima, sed morum similitudine placituros se sperant ei, in cujus manu est fortuna, opes, dignitates, honores, et cetera, quæ mortales avidissime expetunt.

Assentatores.

In hoc numero primas partes obtinent assentatores, gravissima pestis potentium, ut qui præcipuum aditum ad sapientiam intercludant: *Edoceri, reprehendi*: quæ non minus necessaria sunt Principi, quàm reliquis hominibus, videlicet et ipsi homini, et cui majore rerum usu est opus, quàm privatis, quanto plura atque ampliora unius providentia et concilio tenentur: nullus hominum citra doctrinam, atque admonitorem, satis instructus est ad sapientiam; magistris, rerum usu, ostensoribus errorum, ac emendatoribus indiget ad rudem per se animum excolendum, quos omnes assentator abigit a Principe, tamquam non ille reliquorum mortalium more ac modo editus sit, sed magnus jam et absolutus, quidquid agat, quum contra, cui tot deliciae, voluptates, summum in omnes jus, addant in omnem licentiam calcaria, huic oportet frænos injici, quibus præceps et effusus animus retineatur, alioqui seque ac sua pessum rapiet, si omnes cadentem impellant, nemo fulciat: magnum regni columen sunt amici prudentes, ac liberi, quibus moderata potentia sustentatur, Rexque sive prudentiæ verecundia, sive melius suadentis monentisque oratione atque auctoritate, se se ad studia virtutis convertit, tum populo utitur sui simili, hoc est, optimo, regnumque quietum agit, minime studiosum rerum novarum; nam Rege malo mali sunt subditi, inter malos vero concordia haud diuturna: cum Princeps superbe imperat, subditi contumaciter parent: malos regere acerbissimum est, acerbius etiam, si rector ipse sit malus, nec ulli parent libentius, quàm boni bono: ergo regni vinculum majus aut firmissimum nullum est, quàm bonitas; nam imperia dura, aut immoderata, cito dissolvuntur, magisque violenta sunt, quàm duratura, quoniam nihil stabile Principem cum subditis conjungit, nec aliud ad disjunctionem expectatur, quàm occasio: nullum animal invitum retinetur perpetuo si liceat effugere, nihilque

Libertas cõsulcorum.

Bonitas firmissimum regni vinculum.

que magis a coacto laboratur, quàm ut citissime quidquid remoratur, abrumpat: maximum est animorum glutinum inter bonos, nec secus bonus vir bonum imperantem audit, quàm se ipsum.

Quapropter illud in primis est sapienti Principi laborandum, quique sempiternum imperium et ipse dum vivat possidere, et heredibus tradere per manus cupit, ut se ac suos bonos faciat, ipseque sit gubernandi peritissimus, et parere modeste, atque obedienter subditos doceat: ; mira dictu res! ; immo vero absurda! ; belluarum rectores nihil potius aut prius, quàm fera ingenia mansuefaciunt, et jussis obtemperare docent, ita demum existimantes se illis pro arbitrio usuros, sine incommodo, aut periculo; nam nisi feritatem deponant, ac domentur, rectoris magistrique vocem aspernati, in illum potissimum naturæ suæ sævitiam convertent, sic equi gestandis sessoribus, aut oneribus aprantur, sic tauri jugo cervicem præbent, elephantis magnæ turres impositæ, leonibus quidam pro canibus usi sunt? ; Hominum rector homines rudes, ac silvestres adhuc, nulla prius cura adhibita, securus tractat, cum morosius aut intractabilius nullum aliud sit animans, nec cui domando, si virtus absit, plures sint artes necessariæ? Violentiæ se quidam, et terrore abunde munitos, instructosque ad hoc arbitrantur, quæ uti servilia sunt non liberalia, ita populum totum in servilem naturam ac conditionem deformant, nihilque agunt, aut dicunt liberis dignum, et velut nequam mancipia, non aliud magis aut crebrius meditantur, quàm fugam a domino crudeli, qui generosiori sunt pectore, occasionem undique venantur asserendi sui: ita nullum fastigium debiliore fundamento nititur quàm regnum metu, nec ullæ opes satis firmæ sunt quas multi timent, ipseque formidatus pejore sit oportet conditione, quàm multitudo territa; siquidem nemini fidere, non loco, non temporis, non hominum cuiquam tuto se credere ac committere, omnia suspecta habere, hoc non regnare est, sed claudi carcere: notæ sunt Augusti et Trajani voces: *Nolle se nocentibus imperare, imperium deposituros, si reipublicæ eos esse Principes non expediret*: ; Quantam quietem in illorum animis fuisse convenit, qui

Homines regere magni.

Metu non firmari regna.

Augusti et Trajani dictum.

qui se non hastis, aut satellitio, sed subditorum benevolentia tutos scirent! Ego vero hujusce rei ex Te sumo conjecturam, quem magis ac sæpius Tuorum pietate, quàm satellitio stipatum video: ; Quàm raro Tu custodibus uteris! idque quum facis, magis pompa quadam, ac more majorum, quàm quod opus esse credas, sic enim illi Te claudunt, ut nulli non apertus sit aditus ad Te, nec magis vivis in aula satellitibus uteris, quàm pictis in aulais: istuc demum est liberum ac Regem esse, eumque fructum percipis fiduciæ ac securitatis Tuæ, ut nemo Tuorum sit, qui non capiti suo citius noceri velit, quàm Tuo pèdi.

Henrici Regis satellitium.

Virtus glutinum amicitiarum.

Hæc quidem si probitas conglutinavit, ut spero, sempiterna erunt; non est enim amicitiarum certius aliud, vel diuturnius glutinum, quàm virtus, nam inter malos benevolentia tam diu durat, quàm diu utrisque utilis est; fructu adempto, amicitia dissolvitur; inter bonos vero, ubi nullus est respectus commodorum, ipsa virtus, quæ conjunxit, conservat, nec dirimi nisi cum ea possunt: quocirca omni studio Principibus laborandum atque annitendum est, ut ipsi boni suos quoque bonos faciant: hæc una aptissima est ars mansuefaciendi hominis, hæc copula, qua fortissimè et rectus et rector cohærent; quippe virtus amicitiam gignit, amor autem nihil difficile, aut grave; sive fortunæ, sive liberi, sive sanguis et vita, pro amico in discrimen adducenda sint, dulcissimum est, nihilque magis juvat in magna amicitia, quàm magna amoris argumenta, et quoad res patitur, indubitata signa ostendere: qui boni non sunt, diligere se simulant rebus prosperis, in periculo primi deserunt: præter hæc omnia, virtus quieta et moderata est, nec rerum novarum studiosa, ita fortunæ contemptrix ut corporis et divitiarum rationem non habeat, cuncta animo innixa ac suffulta: quod si christiana pietas accedat, hoc est, absolutio omnis virtutis, immo vero virtus unica in discessum tota incumbens, et peregrinationem quandam hanc vitam esse rectissime censens, facile cujusvis imperium perfert: ; Quantulum enim ejus interest, quid de fortunis aut corpore Princeps statuatur, modo animæ prospectum sit? ; Ecquid refert mortalis unum aut

Christiana pietas.

al-

alterum annum victuri, sub quali eos humano Principe transigat, cum alterum cœlestem habeat Principem, ad quem per neglectum mundanarum rerum citissime properat? At vir malus, supernarum rerum vel rudis, vel negligens, unicam vitæ hujus cogitationem animo volvens, facilis ac pronus est et Principi et rerum statui mutando; quoniam inquieta est mali hominis mens, nec unquam præsentibus rebus acquiescit, novare subinde cupit omnia, ut qui insomnia laborant identidem se in lecto volutant, et locum novum quærunt, quasi in loco hæreat vitium, et non in morbo: nactus virtutem, usque adeo est ea contentus lætusque, ut eam rerum conditionem ac statum, in quo ipsi licet illam colere, et amet, et retinere studeat; simul non ignarus, mutationem rerum, tumultum, cædes, rapinas, cladem aliaque immania et infanda secum importare vehementissime tantam crudelitatem exhorret.

Stultus, aut impius, qui mentem in futura non mittit, rebus modo, quæ adsunt, quæque videt, impellitur, quantumcunque res noventur, cetera putat fore præsentibus similia, et se loco meliore; simul atrox animus, aut honorum vel pecuniæ cupidus, per cædes et mala publica ad explendam libidinem rapitur, nec interesse retur, quæ sit eundem, sed quò: quamobrem aut ego vehementissime fallor, aut Principibus et magistratibus, quo populus dicto sit cum magna reipublicæ quiete ac salute audientior, nihil magis expedit, quàm tenebram statim ætatem curare rectis ac sanis opinionibus imbuedam, ut sciant qui sit usus, quod præmium, qui finis uniuscujusque rei, quantum et quatenus de unaquaque sumendum, quanti ea æstimanda, habeantque tamquam prohi aurifices, velut Lydium quendam lapidem, quo precium et indicaturam singularum rerum, quas vel expetimus, vel aversamur, cognoscant, pecuniæ, possessionum, amicorum, honorum, nobilitatis, dignitatis, imperii, formæ, virium, voluptatis, ingenii, eruditionis, virtutis, ac religionis, ne inversis rerum æstimationibus, maxima negligant, minima et abjecta consecantur, de pecunia, de umbris, et somniis, quæ ipsi sibi confingant, graves moveant tragœdias, pietatis, prudentiæ, ac verorum bonorum

Puerorum institutio.

vel

vel obliiti, vel securi; hi sunt qui pecuniæ, aut voluptatibus, aut ambitioni dum metuunt, patriam, bonum atque honestum deserunt, publica produnt dum serviunt privatis, stultam quandam excogitant imaginem libertatis, qua non fiunt liberi; sed mali. Porro in adultis, et jam institutis, cura litterarum ac religionis priora omnia et certiora reddet, non religionis, quæ exterioribus signis ac carimoniis tota collocetur, quum inter hæc animus sit impurus ac impius, nec litterarum, quæ ad pugnam et contentiones compositæ, pertinaces reddunt homines, non prudentes, ceterum studiorum, quibus mores componuntur, instituitur vita, et religionis, quæ animos, ad cælestia sublato, cunctos ad curam honestatis convertit, et ad cælestium bonorum amorem inflammat: religioni nemo eximitur, in litteris autem partim concionibus adjuvabitur vulgus, partim libris patria lingua conscriptis, de rebus legi et cognosci dignis, quibus bonæ horæ non anilibus transigantur fabulis, nec gestis rebus nihil ad exemplum pertinentibus.

Sed primum omnium pecuniæ admiratio detrahatur, com-pescatur luxus, incitetur sobrietatis studium, accendatur mutua caritas, non per peccata quæstum fieri, sed unicam virtutem esse lucrum; denique ab eis rebus deterreantur homines, quarum causa ingentia flagitia designantur, et capitalia scelera: tali populo felicissimum futurum est regnum Tuum, cujus Tu non tam eris laboriosus rector, quàm lætus spectator, atque exhortator, ipsi enim se se regent, et ii erunt, quos monendos magis habeas, quàm castigandos. Vides summam administrandi imperii in bonitate verti tamquam in cardine, ut is demum habiturus sit principatum jucundum ac stabilem, quis effecerit cives probos, facillime facturus tales exemplo sui; nemo fert enim exigere quemquam ab aliis quod ipse non prætet, nec frustra dicitur: *Vitam maxime persuadere*: at vel rectori curæ huic, vel subditis virtuti vacare, nisi in pace non datur, bello enim universa, velut tempestate, confunduntur; unicum tempus conservandæ bonitatis populi, est pax; nam ea quibus homines meliores fiunt, pace vigent, languescunt bello, litteræ, religio, leges, justitia, negotiatio, quietes, opificia honesta

per

per civitatem, contractio, atque occupatio omnium, et utilis, bello enim, velut in affecto corpore, nullum mebrum officio suo rite defungitur: litteræ quæ otio, et quiete, et favore Principum, tamquam salubri quadam aluntur aura, necesse est turbatis omnibus, et Principum animis alio avocatis, agræ ac mœrentes conticescant, præsertim quum sint suapte natura voce gracili, in strepitu armorum, tubarum, bombardarum; et intermissis commerciis, multisque necessario indictionibus, omnium benignitas coarctatur, unde sustentari solet ordo studiosorum hominum; ad hæc, vilescit honos ille, qui est velut actio, et vita quædam eorum quæ inter homines exercentur, et quo artes florent ac adolescunt: æ jam religio quæ potest esse, efferatis animis tanto aliorum in alios odio, et imbutis madefactisque cruore ac sævitia, quibus humana atque divina omnia permiscentur, ut tam quisque aptissimus bello videatur, quàm religionis et bonæ mentis habet quàm minimum? Jocus, et ludus sunt in militia, domos diripere, fana spoliare, virgines rapere, solidas urbes atque oppida incendere; magna dementia; propterea corrumpere quòd retinere non valeas.

Hæc sunt belli decora, profuisse nemini, nocuisse quamplurimis, nullo respectu aut recordatione præsentis mundo Dei; ita gerunt in pollutis corporibus cæcos animos, ut Dei justitiam non videant, et admoneri indigne ferant; *Qui dicunt Deo: Recede a nobis, scientiam viarum tuarum nolumus*: æ at qua insolentia, et ore quàm importuno divinas leges negligunt, humanas aspernantur? ut hoc demum videatur esse vere ac germane militare, nihil arbitrari æqui ac boni propter se esse sancitum, nulli se juri esse subditum, se invagina leges omnes inclusas cum ferro gestare, quidquid conscelerato animo collibuerit, id solum esse jus atque æquum, nec sibi modo in populum tantum licere, sed in ipsos quoque Principes, quòd hi sua opera et viribus Reges sint. æ Quis servus emtus de lapide, quod dicunt, tam obedienter domini imperata executus est, quàm memoria nostra Reges Francorum quidquid Helvetiis venit in mentem? scilicet, illos unos præsidium ac stabilimentum regni sui ducebant esse, non facturi, si manum ab aliis gentibus

Tm. V.

Mm

vo-

Religio vera quæ.

Conciones sacræ ad populum.

Exemplum Principis.

Pax.

Litteræ.

Religio.

Belli mala.

Milites.

Militare.

A militibus
efferatis po-
tissimum ab
horrendum
Principibus.

vouissent continere, nec ultro vicinas nationes bello lacessere: Principes etsi alia omnia in bellum invitarent, illud unicum deberet retrahere, ne ipsis res esset cum militibus hominum genere iniquissimo, atque insolentissimo; neque vero tales sunt solum in alienum Principem, sed etiam in suum, cujus dignitatem, opes, præsidia omnia in se solis collocata esse putant, et posse quocumque velint secum transferre: Quæ porro in pace ne cogitant quidem, quoniam populus adest, proceres quiescunt, propinquæ nationes et Reges pacati sunt; ipsi milites ad togam, et paganum cultum atque habitum redacti, necessariis ad vitam operibus destinantur, magisque illis ad meliorem mentem vacat; quod si pestis hæc celsitudinem quoque principatus pertingit, et infestat, reputare convenit multo acerbius humilia premi ac divexari; quippe populus non tantum premitur ab iis qui militiæ sacramento sunt rogati, sed ab iis etiam omnibus, qui se illis adjungunt, vel adjunctos simulant, ut per militarem licentiam impune possint malefacere, intentis iis pænes quos summa est potestas, in cogitationem bellorum; nec in eos audent animadvertere qui se quoquo modo milites profitentur, ne seditionem incommodissimo tempore moveant.

Postremo multitudo gravata indictionibus et tributis, exclusis per bellum terra et mari commerciis, in summa egestate ac miseria vitam trahit, tam exhausta et perdita, ut quiete ac pace deinceps reddita, vires tamen longo etiam tempore recipere non valeat; permulti, cessante artis quæstu, aut invalidi mendicant, aut latrocinantur validi, præsertim ingenti licentia atque impunitate scelerum, quam belli tempore necesse est contingere, quum quisque ita sanctissimus ac honestissimus habetur, ut animus est et promptissimus flagitiis ac facinoribus patrandis; tamquam in ejusmodi dexteris posita sit regni salus, quæ maximam malam perniciem regno adferunt: ergo boni præsentem rerum statum mæsti oderunt, mali sceleribus assuescunt, ac proinde impunitatem diligunt, jura illis, leges, judices, invisæ sunt, et his ipsi infesti: Quam regni faciem necesse est tum esse! Terrentur indubie Principes, si eam velut in tabella depictam cernerent. At vero quantum Principis causâ bello turbata sunt omnia,

tan-

rantum in pace ea, quæ nobis carissima esse par est, illi sunt Pacis bona. accepta referenda; animus disciplinis excolitur, religione in Deum se attollit, artibus ac negotiatione corpori ministratur victus, justitiâ publicâ quies per civitatem paratur, in qua certæ cuique fortunæ, grati liberi, conjux, domus, res familiaris, quæ in bello et incerta, et plerunque etiam gravia sunt.

Hæc omnia in pace Principi debentur, tamquam legum Princeps. animæ, sponsori publicæ fidei, sequestri concordiæ, unde qui hanc violant, contra pacem domini Regis dicuntur fecisse; Tu es, per quem, et in publico, et in privato, et ad mensam, et in lecto tui sumus; Tu nobis omnibus legum nomine spondes, alioqui præstaret in solitudine ac speluncis degere, quàm inter homines, quorum rari boni sunt; idcirco probum et quietum Principem jure hæc omnia consequuntur, laus a litteratis, qui suum illi otium debent, quo nomine clarissimus fuit Augustus Augustus Caesar. Cæsar, concelebratusque ab omni scriptorum genere, quibus ille festa pace toto orbe diffusa, altissima fecerat otia, nactusque est eam gloriam, quæ est per gentes rarissima, conciliatio sibi tanto amore Senatu ac Populo Romano, ut mortuo, quum jam nulla erat adulandi necessitas, ostenderint, quantopere dilexerant vivum, effusis omnium animis in honestanda memoria defuncti, nullus honorum modus, nullus finis, verissimis omnia affectibus, ut quando præsentia Parentis patriæ orbabantur, recordationem retinerent sempiternam, eamque tempus ipsum circulis suis novam subinde reduceret, tantumque in omnium animis valuit optimi Principis memoria, ut quatuor in ejus gratiam continuos Principes orbis terrarum perpessus sit, quales nemo servos pateretur: his accedunt opes, quibus si abundant subditi, Rex ipse inops dici non potest, ut nec opulentus, si ipse solus possideat; fallitur Princeps, qui majores putat futuras suas divitias, si coacervet, quàm populi, aut firmiores; nam et infinita adeo multos contrectare necesse est, et ea omnia parata sunt moderato Principi, si usus poscat; quid, quod tutius, nempe minore cum invidia, mediocres suas opes quisque custodit? His accedunt vota bonorum hominum pro salute unius, et amor omnium effusissimus in illum, per quem fortunis suis

Mm 2

fru-

Regis
cio satisfa-
cere quid.

fruantur: sed hæc, atque alia, quæcunque dici possent, superat, quod Rex sic administrando regno, officio suo satisfacit, quippe sive pictorem, sive pastorem, sive caligarium, sive fabrum, aut alium quemcunque nemo non tum ridet, tum etiam odit, qui explere munus susceptum non queat; adeo et in magnis, et in parvis, non præstare quod quisque profiteatur, turpe atque invisum habetur.

Mundi Prin-
ceps.

Ita fit Princeps expressissimum Principis mundi simulacrum, qui salutare imperium in omnes universitatis partes diffundit, bonitatemque illius qui non percipit, suæ id modo culpæ assignet; ille enim optimus, tranquillo atque æquissimo regimine cuncta disponit, potentiamque nemo experitur nisi conjunctissimam bonitati; non ultro terret, nec quantum nocere possit minatur, sed quantum prodesse valeat ostendit, omnesque beneficiorum magnitudine ad se invitat: Hoc Principi non licet in bello imitari, quum terror ostendendus est, et quacunque possis hosti nocendum, minandum quoque; et dum times, sævire cogere, invisus hostibus, suspectus sociis, subditis gravis. Quapropter retinenda ante omnia est pax, tamquam aptissimum tempus, tum gubernando Regno, tum etiam confirmando: pacem nactus est primum Dei dono auctore et conciliatore pacis totius ac concordia, hinc probitate Tua, et consiliis D. Cardinalis, magni cum primis viri ac prudentissimi; fortassis rebus turbidis non vacabit pacem cum bello conferre, occupatis universis sensibus cura et meditatione belli, dum vel caves Tibi, vel insidiaris aliis; nunc quietus utrumque expende, confer amore hunc cum illo odio, hanc communionem gentium cum illa diremptione, vide an curas et sollicitudines belli hac securitate commutares? Hanc certationem officiorum, illis perpetuis insidiis? Sumtus belli infiniti, pacis moderati, et tolerabiles; bonus in pace populus, ac proinde obediens, promptusque, bello efferatus, improbus, omnia detrectans; artes mansuetæ pacis, et placidissimo isti Tuo ingenio mirè congruæ, in bello sanguinolenta omnia, atque inhumana; Princeps ipse terrens semper, ac timens; et fuit quidem bellum illud segne ac torpidum, longe alium sensisses ludum, si res utrinque incruduisset:

Pace ante
omnia stu-
dendum.

Pacis cum
bello colla-
tio.

hæc

hæc quæ involuta, et summa quadam proposui, ipse si ingenio Tuo acutissimo atque exercitatissimo evolveris, atque explicaveris, quod mihi in tam longa Epistola facere non libet, scribenti ad Te, a quo ipse hæc possem longe copiosius ac melius edoceri, profecto invenies, quanto labore bellicum illud tempus fugiendum sit, hoc vero pacatum retinendum conservatis (quod dicunt) manibus, et toto nisu, nec suscipiendum bellum facile, nec certa pax sperata victoria permutanda.

De nulla re magis aut crebrius deliberandum est, quàm de bello, in quo non licet bis peccare, et ad quod Princeps descendere vix debet, etiam inevitabili necessitate pressus, omnibus primo remediis tentatis, et frustra consumtis: nullum est tam felix bellum, quo non sit potior iniqua pax, sive curas, sive sumtus, sive discrimina consideres et contempleris; itaque de jure suo citius decedat Princeps, quàm de summa periclitetur, et tantam fortunæ plagam levi lateris inflexione declinet: varii sunt belli casus, et exiguo momento maximas res volvit, unde Mavorum veteres nominarunt: bellum in cujus manu est suscipere, non est deponere: initia belli pænes Principes sunt, exitus pænes fortunam, seu verius Deum, cujus voluntatem erga nos non sine causa ignoramus, videlicet nescii quàm apud eum gratiosi simus: itaque non secus, quàm pecunia nostro arbitrio aleæ exposita, ilico alieni fit juris, incertum cui cessura sit; ita Princeps et tota ditio in sortem eventus conjicitur, moto bello: hinc etiam dicimus *belli aleam, et de summa rerum certari*: Quàm multos pœnituit belli vel prospere cœpti! quàm nullum pacis, aliquo sive incommodo, sive etiam injuria redemptæ! Nec ulla respublica instabilior est, quàm quæ sæpe movet arma: Quoties in extremum discrimen Athenæ venerunt! a Persis exustæ, a Lacedæmoniis oppressæ, ac spoliata mœnibus, a Philippo fractæ, ab altero Philippo afflictæ, a Mithridate accisæ, a Sylla propemodum deletæ. Bellatrix illa Roma a Tatio capta est, a Porsenna obsessa, a Gallis incensa, a Pyrrho territa, ab Hannibale concussa, suis denique armis dilacerata: dicit aliquis: Armis et bello crescunt regna; sed eisdem quoque pereunt; minus forsitan est in pace splendoris et gloriæ, falsæ illius quidem, sed et plus quietis; minus controversiæ, ac

Bellum non
facile susci-
piendum.

Pax iniqua
bello etiam
felicissima
potior.

Mavors ma-
gna vertens.

Belli alea.

Athenarum
discrimina.

Romæ dis-
crimina.

pe-

Theopompi
vox.

periculi, et proinde firmitatis plurimum: *Non laboro*, inquit Theopompus Rex sapientissimus, *quàm amplum filiis regnum tradam, ceterum quàm mansurum ac stabile*: nihil ab aliis repetis, sed nec abs Te alii; in quorum utroque est periculum, sive cum fortiore congrediaris, sive cum debiliore, quippe nihil est tam infirmum, cui suæ ad nocendum vires desint, destitutoque facultate omni juvandi ac benefaciendi, multum adhuc ad lædendum superest; tanto videlicet promptius est malefacere, seu robore suo, seu imbecillitate nostra.

Nocere quæ
facile.

Habes, inclyte Rex, quæ mihi, additissimo atque amantissimo Majestatis Tuæ, visum est hoc tempore, de bello et pace ad Te scribere; Tu hæc animi illa mansuetudine et lenitate accipies, qua reliqua mea soles, immo vero, qua benevole admonentes auscultas, quaque in re omni uteris, non Britannis tantum, sed exteris quoque nationibus cognita atque explorata: studia profecto mea, quorum otia Tu solus secundum Deum facis, hanc scribendi opportunitatem non potuerunt tacitam præterire: unum illud, priusquam finem dicendi facio, adjiciam quod abs Te non oportet ignorari (tametsi vel audire Te, vel conjectura consequi, non dubito) gentes omnes, quantum fama et hominum sermonibus intelligimus, a Te expectare, ac prope suo jure exigere, ut qui pacis initia et spem mundo ostendisti, eam Tu idem absolvas, adducto in concordiam Carolo Cæsare, auctoritate et amicitia cum illo Tua, ne flos iste pacis speciem ac lætitiâ quandam videatur ostendisse perbreve, sine fructu: utinam gaudium hoc christiano orbi solidum præstes, ut gloria quietis Europæ redditæ universa Tibi uni debeatur, et compositis Principum discordiis, ac tumultibus sedatis, de religione, pietate, christianis rebus consultetur, qua re quantum orbis indigeat, vides; equidem non intelligo quid magis defensorem fidei deceat, aut quemadmodum possis Tibi majore obsequio CHRISTUM demereri, quem precor, ut ea semper cogites, agasque, quæ saluberrime ac felicissime Tibi et regno Tuo cessura sint. Brugis, VIII. Octobris, 1525.

Defensio fi-
dei.

Pacificatio.

JOANNES LUDOVICUS VIVES
CAROLO V. CÆSARI AUGUSTO,
Regi Hispaniarum
S. D. P.

Quum in tanta continuatione bellorum, aliorum ex aliis incredibili fecunditate renascentium, ingentes cuncta Europa clades acceperit, atque omnibus pæne in rebus magnâ quadam egeat, et quasi universali instauratione, nulla tamen re perinde est illi opus ac pace quadam et concordia, tamquam in totum hominum genus superfusa: excisos videmus ac depopulatos agros, ædificia diruta, urbes alias æquatas solo, alias exinanitas prorsus ac desertas, alimenta et rara et præcii intentissimi, studia litterarum segnia et pæne amissa, mores pravissimos, judicia tantopere corrupta ut scelera pro benefactis approbentur: hæc omnia constitutionem ac reparationem vel maximam poscunt, exigunt, efflagitant, et prætenues magnarum rerum reliquiæ, amplius se non posse consistere ni mature succurratur, apertissima voce clamant, testanturque. Sed ea quantumcunque exigantur, et in illum ipsum gradum repellantur unde ceciderant, in eo certe non perseverabunt diu, nisi Pace et Concordia munita et fulta; quandoquidem dejecit illa dissensio non solum inter Principes, sed inter privatos quoque, et dejiciet quoties in illa invadet: itaque nihil est quod tam sit hoc tempore mundo necessarium ad se sistendum ne intereat penitus, quàm concordia: ea una, et collapsa reparabit, et revocabit fugientia, et amissa jam, ac prope deplorata, restituet: quisquis erit ille tam fortunatus naturæ partus, tam carus superis, tam prosperum Dei munus felixque orbi universo, per quem Deus, jam rebus humanis placatior, pacem genti suæ reddiderit, huic nimirum ex cunctis mortalibus cumulus bonorum omnium debetur: utinam, vel multis privatorum, quibus ad eam rem magnam tribuit Deus voluntatem, parem dedisset facultatem, vel vos Principes, quibus ille facultatem est lar-

JOAN-

largitus, voluntatem adderetis! Quamquam ipse magnum atque evidens signum erexisti ad optime sperandum de quiete orbis, ut duo illa, animus et potentia, in Tuo isto pectore conjuncta esse credantur, et quemadmodum sustollere ac sublevare possis oppressum ac jacens christianum nomen; ita etiam velis, et annitaris pro virili; potentia tot regnis declaratur, non cruore nec cæde hominum quæsitis, sed a majoribus hereditate Tibi relictis, occulto Dei consilio tot magnos Principes, tam procul ditione atque origine dissitos, conjugiiis nectente, ut Tu hoc statu rerum tantus Princeps existeres; accessit regio nomini, per se amplo ac magnifico, imperatoria dignitas sacra augustaque, cuique omnes ultro concedunt.

Comprobata est nascendi sors tot victoriis præter spem oblati, ut non solum ingentes exercitus frangerentur, caperentur numerosissimæ urbes, sed duo præcipui christiani orbis Principes in Tuam potestatem venirent, Franciscus Galliarum Rex illis septus ac munitus copiis, et Clemens septimus Pontifex, non solum ecclesiastici ordinis primus, sed magnus etiam opibus, ditione, armis. Conspirarunt tot Reges ac nationes, coierunt metuendam societatem potentiarum, conflarunt fœdus grandibus verbis, et horribilibus conditionibus, iis qui eo fœdere non comprehenderentur: Tu velut gladio nodum illum discidisti, ut nemo sit, cui non fiat perspicuum, hos tantos, tamque admirandos successus, non humanarum esse virium, sed divinarum, qui Tibi viam ad pulcherrimum aliquod et maximum opus communit, si velis ingredi; voluntatem vero multis documentis ostendisti, illo potissimum, quod ita Te cum utroque captivo Tuo gessisti quod pacem aliquam invenires, ut reprehensione etiam Tuorum non carueris, quod nimis utrunque liberaliter nimisque benigne dimiseris; quin et ex iis, qui in ea deliberatione fuerunt Tibi in consilio, nonnulli male ea de causa audierint, Tibi vero, qui ad pacem festinates, quæcunque aperta concordiarum via ilico arrisit.

Sed hactenus, ne id ignores, jacta sunt tantum præclarorum facinorum fundamenta; nam in ea illa opera, quæ cogitatas, quæque omnes de Te speramus, ac nobis pollicemur, vix pri-

prima es spatia ingressus, signa præmisisti modo, quibus spes est eorum confirmata, quæ nemo non abs Te velut jure requirit suo; sive enim quia potes, tamquam officium exigunt, sive quia vis, et cœpisti, tamquam debitum, ut nullus sit qui non se fraudatum captumque conqueratur, si pedem referas, si quod reliquum est curriculi, detrectes. Cognitæ istæ Tuæ virtutes, quæ Tibi tam gratum ad omnes nomen pepererunt, ceu arrhabo quidam fuere Te illas ipsas virtutes conservaturum, aucturumque, id est, satisfacturum publicæ expectationi: ita est, ab incognita virtute nihil velut debitum repossimus, a cognita omnia; quum in hoc honestissimorum actuum quasi stadium introires, primisque in carceribus consisteres, ne dimidium quidem eorum exigebamus, quæ jam præstitisti, hæc vero ista quoniam ingenia pollicentur, de iis Te ingentibus appellamus, ut nobis promissis, et proinde nostris; sed ascende jam altius, et majore cum veneratione cogita non jam Te illa ipsa hominibus solum debere, verum ipsi quoque Deo sancto et præpotenti, a quo quanto es hactenus indulgentius habitus, tanto Te diligentius convenit anniti ac contendere, ut Te tanta benevolentia dignum præbeas, illique tamquam patri obsequentem Te, ac morigerum des filium. Si Te ea esse animi arrogantia, atque impietate existimarem, ut maxima ista, quæ Tibi contigerunt, Tuarum esse virium, Tuæ facultatis ac consilii esse crederes, multis tentarem verbis ejusmodi cogitationem ex præcordiis Tuis revellere, qua nihil esset pestilentius; sed quum sciam omnia Te illi referre accepta, a quo sunt Tibi donata, non est quod hoc in loco multa a me verba consumantur: ea enim sunt circa Te acta, ut non tantum modesta Tua prudentia ac pietas, verum quivis stolidissimus e vulgo facile intelligat, magnum aliquid, insolitum, admirandum, moliri sapientissimum numinis consilium, modo Tu illi Te commodum exhibeas instrumentum, non iræ ac animadversionis Dei in nostra scelera, quod ille idem avertat, sed clementiæ illius, qua misertus sui generis humani, propitius jam tandem nos et secundus respiciat, ut non quam meremur pœnam infligat, sed eam inspiret mentem, qua pœnas nos atrocissimas mereri agnoscamus, et illas

deprece[m]ur mente atque actionibus vitæ commutatis. Indixisti profectio[n]em in Italiam, habes animos totius Europæ, atque adeo Asiæ quoque, suspensos in exitum hujus itineris, habes omnium aures et oculos intentos, et in Te, atque in id unum quod agis, defixos; quid tanto rerum molimine acturus sis? quo evasurus?

Boni omnes, et quotquot Te propius noverunt, sperant, ac pro certo compertoque habent, eam futuram perfectionem maximorum operum, quæ inchoasti, de quibus jam pridem Te animo agitare decet, et profecto jam agitas, nisi nos et ea quæ hactenus fecisti bellissimè fallunt, et ii qui de Te loquuntur familiaris, et in aula (quod dicunt) interiore cognito; neque enim tantus apparatus, ea rerum omnium molitio, ea commotio omnium, ut exciri sedibus suis Hispania videatur, vel ad potentiæ ostentationem, et vanissimum aliquem rumorem colligendum, pertinet; quid a gravitate ista alienius? vel ut Italiam modo subijcias, id est, ut anguillam pisceris, quæ Tibi arctissimè retinenti lubricitate sua elabatur, quid minus isti prudentiæ convenit et rerum usui atque experimentis? ceu vero novus nunc, et peregrinus, venias ad res Italiæ noscendas. Rem verò solidam, rem in posterum stabilem, diuturnamque, omnes Te animo destinasse non dubitant, rem qualem optat mundus, quia vehementer indiget; pacem scilicet Principum, quoad ejus fieri possit, firmam mansuramque, tum concordiam opinionum, quam ego ut utiliore[m] magisque humanæ genti necessariam, ita factu difficiliorem puto, quam alteram illam inter Principes; quandoquidem Principum res, quæ in humanis viribus sunt positæ, domantur majore potentia, de lassantur progressu, cedunt temporibus, occasiones expectant, serviunt rerum cursui, denique mutantur voluntatibus, quæ exiguis sæpe respectibus adducuntur, atque impelluntur; opinioniones vero, et sententiæ de veritate rerum, postquam accedentibus affectibus validæ inveteravêre, ardentis ac pertinaces perseverant, tanto magis quanto aliquid extrinsecus adhibetur quod obsistat; tum vero, ut ignis aspersu levis aquæ majores attollit flammæ, non metuunt potentiam, non obediunt tem-

po-

poribus liberæ ac sui juris, nec aliter exire possunt, quàm intraverant, nempe specie aliqua veritatis; nam minæ et ostensio terroris cohibere quidem possunt corpora, mentes non possunt, quo humanæ vires non penetrant, animorum vero concitati illi motus atque affectus, quæ perturbationes nominantur, tamquam gravis et periculosus morbus, nisi exactissima tractentur arte, cura ipsa incrudescunt, majoresque turbas ac tumultum edunt; sunt enim natura sua morosæ, difficiles, violentæ, impotentes, atroces, sævæ, respuunt, ac indignantur medicantis manibus, præsertim si curationem præ Te feras, ut irrependum, non ingrediendum habeas ad sanationem.

Vides in hoc proximo ecclesiæ Concilio, de quo congregando audio Te vehementer esse sollicitum, et sine quo diutius salvi esse non possumus, in eo ergo, quum remedium sit tam varie depravatis ac detortis opinionibus adhibendum, leniendæ ac mitigandæ exasperatæ affectiones tam multiplices, quæ apud plerosque in acerbissima odia excessere, intelligis quo iudicio, qua arte, qua prudentia sit opus acuta, rara, exquisita: nullum unquam fuit in ecclesia Concilium, in quo tot morbi tam lætales fuerint sanandi, idcirco nec ullum in quo, si quid fuerit peccatum, majus discrimen, immo gravio[m]rem ac præsentio[m]rem perniciem adferat: posita est in spe ac expectatione hujus Concilii ecclesia, in quo medicinam inveniat tam perditæ ac extremæ valetudinis; in illo, si quid humanis concedatur affectibus, si quid personæ impetrarint, si hominum favor, ut aliquid pro se contra fas et pium, contra verum æquumque decernatur, si non omnia exactissime expendantur magna sapientia, iudicio, pietate, horret animus dicere, credi non potest, quanta et quàm pæne mortifera plaga religioni infligetur: Quam in arduo conspicio collocatum eventum Tuarum cogitationum! Quam paratam in summo gloriam! Quantum ad homines præmium, licet hoc leve, et brevi periturum, ac contemnendum, sed quantum tamen ad Deum, firmum et sempiternum! Nunquam parvo constitit maxima laus. Quod si tantopere ei est vigilandum, qui domus unius mores prolapsos, et a recto deflexos, corrigere ac restituere conatur, quid ei censes faciendum,

Laus magna
Concilii generalis.

Nn 2

qui

qui orbem pæne universum suscepit instaurandum, nec aliter fulciendum ac sustinendum nutantem, quàm ut in fabulis ferunt de Atlante, cui defesso Hercules se tamquam vicarium parumper præbuit? Nescio an columnis istis Tui symboli aliquid volueris significare tale, ut Te Atlanti velut alterum Herculem successurum quandoque præ Te feras: certe sine fabulis atque allegoriis quiddam non dissimile præstaré habes necesse, ut pergas in iis, quæ es exorsus. Exerendum est Tibi acumen ingenii, proferenda lux cordis et iudicii, agendum, vigilandum; multa sunt Tibi Tuis oculis et auribus cognoscenda; plura ex viris quorum fidem, sapientiam, rerum usum exploratum habeas et compertum; plurima ex eorum librorum lectione, quos Principem versare par est; qui libri consilium et exactum dabunt, nec ulla assentatione aut respectu potentiæ Tuæ infectum; nihil purius sumitur, quàm ex illis.

Sed hac de re statui fusius ad Te aliquando commentari, in præsentia de eo ad Te scribo, quod unicum homines omnes adeo requirunt, desiderant, suspirant, ut quidam propemodum deplorant: *De Concordia humani generis libros quatuor*: admiscui multa de discordia, ut ex ejus comparatione melius intelligeretur quæ sit concordia vis, quæ præstantia: congressi in hæc volumina quæ mihi tantis et tam variis de rebus in mentem pro tempore venerunt, nam infinita sunt, quæ et de bonis concordia dici possent, et de discordia malis: disserui primo volumine, unde et quemadmodum nata sit inter homines concordia, quomodo discordia tamquam non bonum lolium in bona segete succreverit; hinc quanta rabie homines inter se discordiam exercent; tum ex his capitibus, et quasi fontibus, quæ bona dimanent, quæ mala; postremo, quæ sit via, qua veram inter se homines concordiam ac pacem conservent: Tibi hæc visum est dicere, in cujus manu et voluntate maxima est sita pars concordia ac quietis hominum: currentem, ut spero, adhortor, verum non uni Tibi scribuntur, sed omnibus per Te, et privatis, et Principibus, ut communibus rebus adeo fractis, perditisque, mature subveniant, antequàm in id exitium ruant, unde postea (quod Christus prohibeat) non possint eas, etiam

si maximè velint et contentur, eximere: Christum precor, ut ea semper cogites, atque exequaris, quæ sint Tibi, ac regnis Tuis, seu potius toti ecclesiae, profutura.

BRUGIS TUIS,

Calend. Julii, anno Domini millesimo quingentesimo vigesimo nono.

JOANNIS LUDOVICI VIVIS

VALENTINI

DE CONCORDIA

LIBER PRIMUS,

QUI EST

DE ORIGINIBUS CONCORDIAE ET DISCORDIAE.

MULTÆ ac variæ sunt in humano genere tum prave concultorum, tum malefactorum rationes ac modi, quorum nonnulla vel præsentī voluptate blandiuntur, atque invitant, vel usum post se aliquem relinquunt, ut ea tametsi mala sunt, nec justa ulla excusatione possunt defendi, tamen speciem apud perversa ingenia excusationis aliquam præ se ostentent, quod profuisse quodammodo existimentur; quamvis sub relecto et se proferenti compendio latet jactura incredibilis, sed quæ ita latet, ut non difficile sit cuivis paullo intentius spectanti eam intelligere, et quasi manu prehendere: sunt vero alia vitiorum ac scelerum genera tantâ militiâ infecta ac macerata, ut quum animum vehementer sollicitent, nihil tamen ostendant aut delectamenti, aut utilitatis, immo vero contrà, innumeras sollicitudines, angores, metus, mœstitias, damna, atque incommoda, ad quæ postquàm impetu quodam rapti pervenimus, et animo ad satietatem in illis indulsumus, concussi molestiis, fracti laboribus ac damnis, reversi ad nos ipsos miramur quid tandem nos eò impulerit; et quando nullam invenire possumus

Numerosæ
ac diversæ
malefactorū
formæ apud
homines.

Discordia
monstrum
ingens et
horrendum.

mediocrem facti nostri causam, ultionem esse Numinis in nos irati interpretamur: hujus generis ac notæ est discordia, monstrum infestans humanam gentem, nec oblectationem ullam secum, nec compendium, immo vero omnia quæcunque dici possunt incommoda, et mala secum velut agmine quodam importans: primum omnium, ut pax, amor, concordia, humanâ nos in natura conservat, ita discordia et dissensio homines nos esse non sinit, cogit nos a præstantia degenerare originis ac stirpis nostræ, nec tam in feras demittit, quàm in sceleratas illas atque impias mentes, quas ab exercitio diabolos vulgo nuncupamus, transfert; animantes enim reliquæ ita sunt a Principe illo et conditore omnium Deo institutæ, ut unaquæque sibi vivat, et valeat, nec sobolem diutius agnoscit, quàm dum illa ad certam quandam magnitudinem adoleverit parentum indiga, nam simul primum tueri se per se ipsam ac sustentare potest, parentibus æternum vale renuntiant, sibi uni vivit, ac consulit, nec illos amplius in posterum agnoscit.

Ciconiæ na-
tura probis-
sima.

Inter naturæ miracula recensent, quibus hæc curæ fuit con-
sectari, Ciconiam tamdiu parentes senio confectos alere, quam-
diu ipsa ab illis, tenera, et implumis, sit in nido sustentata,
ita ut ea res Græco verbo locum dederit, quo illi referre gra-
tiam ἀπὸ τῆς ἐλαργείης vocant, sumto de ciconiis nomine; in quo
multorum hominum ingratitude coarguitur, qui beneficiorum
immemores aut etiam osores, vel benefactores transeunt sine gra-
tia, vel etiam insectantur, et damnis afficiunt, malefica vo-
luntate pro illorum opere benefico: ceterum Ciconiæ pietas gra-
titudinis magis genus est, quàm societatis; Ovium, Gruum, et
ejusmodi, citius greges quis dixerit, quàm societates; apum
quandam velut civitatem non sine ingenti admiratione contem-
plamur, in qua et domus sunt certæ ac constitutæ, et Rex
gentis, quem illæ non minus observant, quàm (ut inquit Ver-
gilius) (1)

Apes.

—Ægyptus, et ingens

Et Lydia, vel populi Parthorum, aut Medus Hydaspes:

Sed

(1) Georg. lib. 4. vers. 210.

Sed eam, si quis diligentius attendat, comperiet consensum po-
tius quandam esse et conspirationem ad instituti operis dili-
gentiam, quàm societatem aut amicitiam; argumento est, quòd
foras egressæ, et extra opus positæ, civitatis ac fœderis inter
se jam non meminerunt, nec cives ac contubernales, nec pe-
regrinas atque advenas dignoscunt: hominem vero sanctum ani-
mal, si quis explicet penitus, inveniet ad religionem adversus
Deum et societatem cum hominibus non modo natum esse, sed
factum, appositum, instructum: data est illi divino munere in-
genii vis excelsa, erecta, qua per elementa omnia in cœlos
sublatus, illos omnes percurrat, ordinemque et naturam uni-
versitatis hujus; nec eis contentus ad auctorem omnium paren-
tem suum penetret, divinitatisque illius sit capax; quod pro-
fecto tantum donum supervacaneum esse videretur, nisi ad re-
ligionem pertineret, et ad eum colendum, quem mente esset
consecutus: ut quemadmodum inter homines, si quis sit in-
signi aliqua et excellenti præter ceteros virtute, ita natura fert,
ut hunc amare et colere velimus, huic innotescere, et quate-
nus fieri concedatur, amicitia illi, usu, ac familiaritate con-
jungi, sic ad contemplationem divinæ illius et præpotentis na-
turæ per gradus rerum conditarum subnixis ac sublatis, incre-
dibili virtute aspecta, ardeat animus amore et observantia tanti
boni, nec quiescat, donec illi notior factus, ejus amicitia ve-
lut supremo bonorum omnium perfruatur.

Religio in
homine, et
pietas erga
Deum.

Rursum descendit huc ad se ac sui similes humanus ani-
mus, et eodem mentis vigore et celeritate excogitat artes et ins-
trumenta non modo vitæ transigendæ, sed etiam quibus homo
deposita illa malitiæ feritate mitescat, et fiat huic, de qua lo-
quimur, societati aptior; nec sibi uni hæc invenit, sed in com-
mune reliquis hominibus etiam nihil de societate et concordia
cogitans, quo appareat in illo vel aliud agente proferre se sua
sponte apertissima signa humanæ hujus consortionis; nam ple-
runque ii homines ad excudendas artes incumbunt, qui se illis
ipsis artibus nunquam usuarios satis sciunt: sed quemadmodum
Agricola ille apud Cæcilium, quum senex admodum et effœta
jam ætate arbores poneret, rogatus cui? *Diis*, inquit, *immor-*

Artes vitæ
et instrumē-
ta ab homi-
ne excogita-
ta.

ta-

talibus, qui et alios voluerunt ponere non sibi, sed mihi, sic et me non mihi, sed venturis, qui etiam venturi hoc idem officii suis posteris præstabunt: ita hæc hominum inter se societas non finibus vitæ hujus clauditur, sed ulterius transcendit, ut ad mortuorum quoque curam ii videantur pertinere, qui vivunt. Habet quidem homo animi motus quosdam vehementes et incitatos cum quadam perturbatione, quibus extimulatur ad desciscendum ab hac concordia, nempe superbiam, arrogantiam, livorem, iracundiam; sed benignissimus naturæ nostræ Auctor in reliquis animalibus summum illis motibus jus attribuit, et velut potestatem sine provocatione; quo metus aut spes aut caritas, aut odium impellunt, eo rapitur bellua, nec potest pedem referre, domini enim sunt affectus totius bestię: in nobis vero perturbationes omnes ceu vilia et nequam mancipia amplissimo quodam concessu ac munere seposuit Deus a regimine hominis, subditas esse jussit generosæ menti, voluntatemque illis præfecit liberam et inconcussam, quæ spretis affectionum tumultibus, et illorum clamoribus pro nihilo habitis, statueret quidquid ipsi esset collibitum; addidit rationem ducem et consultricem operum, quæ nunquam ad discordiam aut odium, semper ad amorem, concordiam, quietem, justitiam, æquitatem, omne denique virtutis et bonitatis genus, voluntatem adhortatur, et instigat; nec potest ab hujus consiliis voluntas discedere, nisi prius humanam dignitatem exuerit, et in feram transierit, aut ferâ etiam pejus: et ne commemorandis maximis mentis nostræ divino munere non ornamentis modo, sed instrumentis quoque, rem nimium producam, subjiciam modo de memoria, quam jure optimo mentis humanæ thesaurum soliti sumus appellare.

Hæc enim non est in brutis cujusmodi in homine; nec illa parentum recordantur, nec meliorem agnoscunt, nec patriæ desiderio aut pietate tanguntur, idcirco solutæ, et exleges, naturæ suæ nutu instinctuque vitam transigunt, præsentibus tantum accommodæ; homo vero et parentes, et propinquos, educatores, pædagogos, institutores recordatur, omnes denique, qui illi quacunque ratione ac modo profuerunt, ad memoriam beneficii et remunerationem, si qua detur: quæ non aliud æque

Perturbationes quibus homo commovetur.

Memoria quæ mentis thesaurus appellatur.

societati tuendæ conservandæque conducit, quum legum remiscitur, et magistratum, ut illis pareat, civium et sociorum, quos juvet; denique totum hominum genus haud aliter aspicit quàm socios, ut commonefactione similitudinis, et communis naturæ, natum se ad omnium usus esse non ignoret, ne quam prætermittat benefaciendi aliis occasionem, non nescius prætermitti id non posse sine violatione legum naturæ, hoc est, Dei et omnium et naturæ ipsius conditoris, ut deserere naturæ jussa perinde sit ac insignem Deo facere injuriam, tamquam aliquid ipse statuerit a nobis reprobandum. Maxima sunt hæc quidem omnia concordie et societatis indicia, sed apertius aut evidentius nullum, quàm quòd sermonem accepimus, quo reliquæ universæ animantes carent; neque enim adversus Deum opus erat sermone, qui in intimis pectoris nostri recessibus versatur, cuique notiores sumus, quàm quisque sibi; nec ullus secum ipse sermone indiget; hominibus hominum causa tributus est sermo, quo non aliud excogitari poterat instrumentum communicationi hominum aptius, ut quisque alteri, sive quid ipse animo et cogitatione clausum teneat aperire, sive quid alicubi factum aut futurum sit explicare possit; nihil sit denique, quod homo eloqui et velut per linguæ infundibulum a mente sua in alienam transfundere et quasi transvasare non valeat: quàm admirabile sit hoc Dei artificium, consuetudo facit quo minus cogitemus, sed est profecto ingens: nec minus illud, nos omnes tam multiformes humani sermonis paucis esse litterarum formulis comprehensos, unde litterarum natus est usus, quas qui nunquam viderunt, ut in remotissimis oceani insulis navigatione ad occidentem a nostris hominibus repertis, nulli vi cogitationis, et conjecturæ, quemadmodum fiat possunt colligere: et quemadmodum lingua et voces præsentis societati serviunt, et glutinum sunt communis vitæ, ita scriptura priores cum posterioribus conjungit, et multas ætates unam facit; colloquuntur scriptores cum posteris nondum natis, et hi cum scriptoribus jam olim vita functis.

Sermoni adjunctus est is, qui in solo homine intelligitur, Vultus, qui in naso, fronte, ore, sed oculis potissimum pro-

Tom. V.

Oo

mi-

Sermo.

Litteræ unde natæ.

Vultus, qui est alter ferre sermo.

micat, et se profert, estque vice sermonis cujusdam; nec alio sermone utuntur ii, quibus linguæ usum natura ademit, nempe infantes et muti; quin etiam homines facundissimi multum se eo in dicendo adjuvari sentiunt, nec dissimulant momentum ad persuasionem adferre haud leve: et quemadmodum in nullo est animante, præterquam in homine, ita homini erat futurus necessarius victuro in societate, nulli alii, quippe vultu apertius sæpenumero intuemur quæ in pectore sunt tecta, quam sermone cognoscimus; multæ sunt fraudes in sermone, flexibilis est pro arbitrio loquentis; nec vultus non est sæpe falsus et ad libitum compositus, sed difficilius est vultum simulare, quam sermonem, præsertim in hominibus natura simplicioribus, aut ubi tanta affectus impotentia invasit, ut vultum ministrum suum eripiat potestati fictæ voluntatis, ut quantumcunque conetur, nequeat tamen voluntas eum torquere quò intendit, nempe ad fallaciam; itaque videmus crebro sermonem fucatum simplicitate vultus coargui: et ut ostenderet ei Deus, cujusmodi ea esset societas futura, inermem eum penitus in lucem vitæ hujus misit; reliquis animantibus varie arma attribuit, vel quibus nocerent, vel quibus se tuerentur; leoni, urso, lupo, unguis, ac dentes, et magnum in lacertis ac corpore universo robur; apro et elephanto dentes columellares, equo ungulas, tauro cornua, erici spicula, scorpio venenum; sunt quæ tuta inter sui dissimiles agunt testis aut coriis densissimis, et si non aliud, certe pernitas parit salutem: homo nec dentium firmitate aut unguium potest impetere; non cornu, non spiculis, non veneno est armatus; corio mollissimo, animal inermis ac proinde innoxium, ut intelligat qualem se debet inter homines præbere, nam a noxiis feriis societas eum et consensus aliorum hominum defendet, ut mutuo sint alii aliis auxilio: imploratur hoc subsidium lacrimis, non exiguo argumento humanæ mansuetudinis et concordie, nam lacrimæ affectus molles ac mites declarant, non bellinum illum rigorem, qui nequit flecti, tantum potentioris affectus violentia frangitur.

Homo prorsus inermis in mundum emissus est.

Lacrimæ, mansuetudinis humanæ Symbolum.

Accedit huc, quòd lacrimæ nostrum dolorem aut gaudium

tes-

restantur, sive dum nostra dolemus mala, aut illacrimamur lætitiæ causa, sive dum aliena mala miseramur, et ad eundem nos quoque modum affici, quo illi affecti sint, defluentes lacrimæ testantur, quo nihil dici potest ad concordiam et amoris conciliationem confirmationemque efficacius: Quid validius sit ad parandam gratiam quam vel nos aliis penetralia animi nostri reserare, in quo est fiducia amicitie fundamentum, vel illorum mala aut bona tam esse nobis curæ, quam nostra ipsorum, ut non secus illis permoveamur quam nostris ipsorum, quæ est amicitie consummatio, quum idem est velle, idem nolle, et omnia facta sunt amore communia? Est et in risu quoddam lætitiæ et hilaritatis signum, argumentumque mansuetudinis animi, qui risu emollitus esse ostenditur; nam in illis, qui nunquam feruntur risisse, ut Crasso et aliis, quos *ἀγέλατος* Græci vocant, exiit is animi tenor, sicut Plinius inquit, in rigorem quandam, torvitatemque naturam duram atque inflexibilem, affectusque humanos adimit: ita videmus maximas sæpe molestias, aut res tristissimas, aut initia gravium irarum, discussa esse levi aliquo risu. Et ad hanc concordiam firmitus inter homines devinciendam, non solum inermem produxit Deus hominem, sed infirmum, imbecillum, impotem sui, alienæ prorsus opis indigum; cetera primo statim ortu, aut mox paulo, vires naturæ suæ sentiunt ac usurpant, et quidquid unquam habituræ sunt, accipiunt; ingressus, natatus, pernitates, passi, appetere profutura, noxia devitare, quod videre est in iis animantibus, quæ inter nos nascuntur et crescunt, pullis galinaceis, anaticulis, agnis, hœdis; homo vero ita nascitur, ut nihil minus videatur futurus, quam quod postea videmus; animal a primo brutum, stupidum, et, ut Plinius aptissimè dixit, jacet, manibus ac pedibus devinctis, flens, quòd nisi subveniret miseratio, nemo tam inutilem truncum, immo vero molestum vellet tollere; alitur misericordia parentum et nutricum, educatur aliena ope, crescit aliena ope, nihil attulit suum, omnia habet aliena precario accepta; nam quomodo poterat demissius supplicare, quam tot lacrimis ac ejulatu, ut sciat alienum esse beneficium, quod vivit, quod sapit, quod potest,

Risus, qui est et hilaritatis argumentum.

Hominis imbecillitas, et infirmitas.

quod est omnino aliquid, ut et benefactoribus habeat gratiam, et quacunque valeat, referat; tum memor, ex quibus initiis adoleverit, discat aliorum inopiæ ac infirmitati manum porrigere, opem adferre.

Necessitates, quibus homo est obnoxius.

Adde his præsentēs necessitates in quamlibet potente; robustissimum et valentissimum virum una febricula concutit, ut cogatur multorum opem supplex implorare, et imbecillissima muliere ad ministerium ad salutem egeat. Leo iste immo arx, quam febris est demolita: Sano quoque ad quotidianas necessitates quàm multorum sunt labores corrogandi! agricolæ, pastoris, textoris, extructoris, nautæ, vehicularii, et aliorum aliis pro cuiusque arte ac ratione vitæ; quod si crescat sensus, et potentia, et dignitas, ibi vero, quo altius hominem evehit fortuna, hoc magis cogit eum opera omnium illorum indigere, quos sub illo reliquit; ut non in aliud videantur homines sublati, quàm ut de illo excelsiore loco provideant eos omnes, qui sunt ipsis opus, et sine quibus vivere ac sustinere se in illo culmine non valeant: nec solum in hominibus est hæc mutui auxilii tanta indigentia, sed in terris ipsis, quæ humano cultui et usui sunt traditæ, ut aliæ aliis rebus et careant, et abundant, quo hæc communicatio et commercium humani generis nullis gentium aut terrarum limitibus dirimatur, non mari aut fluminibus, non montibus, saltibus, arenis et vastis solitudinibus, quibus omnibus difficultatibus evincendis excogitata sunt remedia, ut nihil jam iter faciendum impediat: ergo memoria beneficiorum ad bene meritos, et miseratione adversus imbecilles, et erga omnes recordatione infirmitatis naturæ, quæ nos multis cogit indigere, concordia hæc fortius coalescit, quum nullus sit, qui vel non jam profuerit aut nobis ipsis, aut iis, quorum nos utilitates pro nostris ducimus, vel non possit per occasionem prodesse: quid hîc dicam quantum est in hominibus odium, quæ aversatio solitudinis? ut ea instar sit mortis; quæ appetitio societatis, colloquii, conversationis, seposito respectu omni utilitatis, suscipitur, tantum naturæ quodam nutu? ut etiam hostes illi humani generis, qui græco verbo hominum osores nominantur, qualem fuisse Athenis Timonem

Solitudo, tamquam mors refugitur.

quen-

quendam bellis Peloponesiacis accepimus, tamen solitudinem refugiunt, et quum homines omnes se dicant odisse, homines tamen quærunt, quibuscum vivant, et colloquantur, brevi perituri, nisi quos nanciscerentur.

Voces has naturæ tam exertas et exaudibiles, sed quas scelera nostra obturbant ne intelligi a nobis possint, instaurator labefactatæ vitio nostro naturæ Christus adjuvit illustratione eorum, quæ nos feceramus obscura, et propius auribus nostris admotus, effecit ne quis causificari posset se non audivisse: is ergo cælestis sapientiæ Magister, fundamentum, ædificium, rectum, denique caput et finem suorum omnium præceptorum in caritate una posuit, hortatus homines ad amorem, concordiam, amicitiam, testatus ita demum futuros illos, si mutuo bene velent, hoc est, ita demum futuros christianos, id est, homines naturæ puræ ac incorruptæ: Quid enim est aliud christianus, quàm homo naturæ suæ redditus, ac velut natalibus restitutus, a quibus dejecerat eum diabolus, captum victoria sceleris? Expositus est nobis homo a natura ipsa, id est, a Deo rerum omnium parente ac principe factus, instructus, ornatus, appositus ad pacem, quietem, concordiam, amorem, amicitiam, ad ea ipsa edoctus a filio Dei, et Deo ipso: unde ergo tantum per universum hominum genus dissidiorum, tantum discordiarum, inimicitiarum, odiorum, quantum non est inter res suapte natura atque ingenio inimicas ac pugnantes, ut nec gens genti, nec populus populo, nec in eadem civitate civis civi, nec vicinus vicino, nec intra eosdem parietes frater fratri, filius patri, uxor viro bene velit, oderunt, rapiunt, spoliunt, fallunt, fraudant, cædunt, tollunt invicem, nec in his ista exequendi vicibus modus ullus, aut requies? Quid aliud existimandum est quàm defecisse hominem a natura sua? Ita necesse est accidisse; nam viventi sub legibus naturæ suæ, non ita discordia dominaretur inimica naturæ: ergo oportet ab humanitate hominem discessisse, quum amorem et concordiam exuit: Quid opus est dissimulatione aut schematibus? plane ac aperte confitendum est; non fuit homo humanitate contentus, divinitatem expetivit, idcirco et humanitatem, quam relinquebat, amisit,

Lumē Christi nobis infusum.

Christianus homo perfectus.

Discordia inter homines.

sit, nec quam affectarat divinitatem, est consecutus, ad quam fortassis divinitatem quadantenus pertigisset, si se agnoscens, et suis diffusus viribus, Dei se gratia ac beneficio adepturum sperasset, cujus in se tam prolixam erat jam benignitatem expertus; sed se non agnovit, et diaboli versuta sublatus fraude eò ascendit, unde non posset sine gravissimo casu descendere, sed omnium fuit in casu acerbissimum, quod memoria remansit læsa, voti reliquiæ multæ adhuc restant, casum sumus obliti, quem tamen tanto nostro malo quotidie sentimus; sed alias potius placet causas affingere, et avertere a nobis auctoribus culpam in naturam aut rationem negotiorum, hoc est, in Deum ipsum, si aperte auderemus proloqui: hæsit præcordiis superbia affixa, grave malum, et tyrannis sævissima, quæ nunquam se satis tutam arbitratur in solitudine, teterrimum circumfert secum satellitium flagitiorum omnium, ac scelerum.

Quid non appetat, qui Dei æqualitatem invadebat? Infinita est in nobis anteeellendi cupiditas, non una aliqua in re, sed in omni quamcunque videmus esse in precio, qualiscunque demum ea sit, modo placeat, modo approbetur; volumus per religionem et Dei cultum antecedere, tamquam cariores ac propinquiores simus Deo, non ignari exemplis ac documentis innumeris, eò longius quenque ab illa sancta natura abscedere, quo se arroganter propiorem vel putarit, vel ostentavit: sed quid ad rem, quantum absimus? proximi credi affectamus, hoc petitur, hoc est præmium laboris, hæc merces qua una acquiescimus: Quot suscipiuntur labores, ut liceat unicam illam voculam audire, *o doctum hominem!* ea meditatio noctes jungit diebus, abstinetur concessis voluptatibus, fit valetudinis dispendium, ut dicat sæpe qui non intelligit, *doctus est:* quòd si emenda essent ova duo, rejiceres consilium ejus, qui ova non nosset; at indocti, de doctrina tua judicantis, censuram amplecteris, et ea non delectaris tantum, sed dilataris, sed extolleris, atque ingentes spiritus assumis: sunt qui non negant se quidem indoctos, nempe quia nihil habent in eruditione quod ostentent, videri tamen volunt ingenii acumine doctis non cedere; nemini sua prudentia non satisfacit, ne stultissimi

Superbia.

Doctrina.

Acumen.

mis quidem; sic qui infirmior est corpore quàm ut obtegere possit, et fucum facere, de animo se venditat, superari quidem se posse, vinci non posse; etiam deformissimo placet sua forma, et arte caprat quod defuit naturæ: quid dicam de genere? quo ut nihil est revera posterius in laudibus, ita nihil prius usurpatur, aut jactatur, adeo ut pluris etiam faciamus alienam virtutem, quàm nostram ipsorum, at hoc genus cujusmodi censemus esse? ut habere in stemmate latrones et stupidissimos caudices laudi detur, nec desint, qui inter nobilitatis titulos ponant genus relatum ad ursum, aut sirenem, aut serpentem, aut olorem, aut veneficam aliquam.

Opibus tanta ex admiratione accessit auctoritas, ut inextinguibilis sit jam avaritia quum vident homines soli possessioni divitiarum, semoto quocunque usu, honorem haberi, immo vero adorari divitem ab iis, qui daturi sunt illi citius quàm accepturi; hinc quæ ostentatio, qui spiritus, in numerosa familia, in cultu immodico, in luxu, ut credamur habere rem! ut qui non habent, ne carere videantur, omnem virium suarum facultatem transgressi, miserrimam vitam degant, ea viagrassantes ad pecuniam, in qua maximis cum difficultatibus vix insistent; dies et noctes cura illa atque anxietate torti ac vexati repetunt quotidianas ærumnas cum sole nascentes: sed vocat nos ad se honor: mira dictu res! captavit humana superbia, et hæc præstantiæ cupido, laudem atque admirationem ex re omni, non ea solum quæ speciem videbatur habere aliquam virtutis aut boni, sed ex neutris et quæ indifferentes nominantur, ex frivolis ac ineptis, ex noxiis, ex pudendis, ex viciis; sedere, stare, jacere, ingredi, omnem gestum, et motum corporis volumus ita fieri cum dignitate, ut non contenti offensionem spectantium defugisse, etiam decus ex iis paremus; nihil sinimus esse naturale, omnibus adhibenda est ars honoris colligendi; si quis videt notabilem se esse, quòd cruda et nocitura edat poma, avidè vorat, et undecunque rapit sine appetitu, et cum periculo; ludit quis? vellet tesseris alio modo quàm communi mittere; aut miscere, et distribuere, et jacere in mensam folia aliter quàm reliqui: ea est cupiditas segregandi

Genus.

Opes.

Honor.

se vulgo, et insignem se faciendi nota aliqua: *Est mihi istud datum a natura*, inquit Thrasso ille in Comœdia, *ut grata sint, quæ facio omnia*: quid magis pudendum homini, quam nobilissimum animal, tamquam ægrum non posse vitam uno die sine cibo et potu prorogare? nec tueri se a cœli injuria sine tecto et vestitu? quæ omnia constat homini data in remedium noxæ, quam peccatum attulerat; atqui in iis quid decus ambitur? gloria lautæ mensæ cibus exquisitissimis procul allatis et emtis magno, indumentis preciosissimis undique conquisitis, ædificiis altissimis et sumtuosissimis: quid istuc est? etiamne honor petitur ex dedecore? Jam nonne vitia sunt ludere, balneari, otari, nihil agere, scurris ac morionibus benigne facere? at quàm multi per hæc volunt nobilitari?

Quid sceleratius latrociniis, cædibus adulteriis, fraudibus, imposturis? et hæc precium receperunt, et qui fecere, prædicanda ducunt, et amplam se ad suos posteros nominis sui gloriam credunt transmittere, ut inter majorum suorum laudes ista concelebrent; usque adeo nihil est quod, qui facit, non velit pulchrum videri, et quod pulchrum videtur, non habeat sectatores, utrunque ex eodem superbiæ fonte in genere mortali uberrimo. Nec solum affectat superbia in omnibus laudem, sed more ignis se attollit, ut reliquis emineat, ut jam non modo pulchra et admiranda sint quæcunque agit, verum summa, et singulatia; et miramur relinqui aliquid inter nos quietum et tranquillum, quum tantopere superbiæ disciplina invaluerit, atque omnia invaserit, vel solo sui tactu contaminata? impetit superbia duobus jaculis invidiâ et irâ; nam si quis aliqua rerum hujusmodi, quæ pulchræ ac præstantes censentur, antecedit, continuo a superbia mittitur invidia, quæ formosa deturpet, et puris labem aspergat, denique male sentiendo, et pejus omnia interpretando, nihil sincerum aut rectum prætermittat, omnibus vel apertissimam notam inurens, vel certe suspicionem, quando aliud non potest; sin detrahere a nobis tentet, injuria nominatur, et irâ permittitur ultio; utraque et invidentia et ira voluntate malefaciendi est armata; quæ voluntas, quum inveteravit, fit odium, ut ex vino acetum, sed acer-

Superbia
duo jacula.

Odium.

acerbius est ex invidia odium, quàm ex injuria; injuriæ enim potest aliquando satisfieri, nunquam invidiæ, scilicet, est velut ignis in naphtha accensus aut Samosathensi Maltha, qui profusa aqua pertinacius ardet, et quemadmodum ille inquit in fabula, hoc in ista clade mirandum accidit, *Alit unda flammam quo prohibetur magis, Magis ardet ignis*, ipsa præsidia occupat; sic invidia beneficiis irritatur, magisque ardet si quis tentet restringere, nisi materiam penitus subtrahat incendio, nempe virtutem aut gloriam ex qua est nata: adeo canino more vivimus, ut non modo præstantium rerum excellentia invidiam exagitet, ut eruditio, forma, dignitas, potentia, opes, sed levium quoque, ut novitas in cultu, dignitas in incessu, insignis gladius, aut pileus.

Sunt qui nihil penitus habent causæ, sed non possunt sine hoste vivere, ut de veteribus Hispanis scripsit Trogius; quod malum nobis est cum multis aliis nationibus commune factum, ut si quis quamobrem suscepta sit discordia consideret, plane intelligat non tam id fieri cupidine sui ulciscendi, quàm odio concordiæ: ad pugnam et gladium provocant alii hominem procerum, aut elegantem, in experimentum virium; alii robustum et valentem, ut animum explorent; sunt qui exterum, ut sciat inter cujusmodi agat viros; alii Germanum, aut Hispanum, aut Helvetium, propter bellicam harum gentium famam, ut canes, quibus ad rixam satis est præter ostium transisse; nam, qui ebrii cupiunt pugnare, magis vino, quàm ingenio, vel animo suo morem gerunt; ego vero de abstemia ebrietate loquor: illud mirifice ad indignitatem movet reputantem quas quisque vocet injurias, et in alienos affectus durus atque inexorabilis, quantum suis indulgeat! Primum omnium superbiæ semina unicuique persuaserunt ut magnificè de se sentiret; non modo si virum aliquem, quem malitia jam per ætatem atque usum instituit, sed si puerum, qui vix fari potest, quique rerum pæne omnium intelligentia caret, qualis nam sit? roges, optimum se et perfectissimum esse respondebit; nec tam elaborarunt ut id assequerentur, quod se esse crederent, quàm ut alii ita existimarent: itaque non desunt plerique,

Tom. V.

Pp

qui

qui volunt aliis esse persuasissimum se id habere, quod ipsi idem non ignorant in se non esse, quasi vero vel simulando tot possint oculos, et aures, et judicia fallere, aut animorum libertatem violentia cogere: est qui ab aliis contendat, ut quod falsissimum esse vident, verum esse non dubitent: quosdam eodementiae superbia sustulit, ut etiam sperent alios plus ipsis habitum iri fidei, quam suis ipsorum oculis, ut quod idem ipsi compertissimum habent illos scire, postulent tamen in suam eos gratiam ignorare: ergo laudem eruditi ambit imperitus, strenui ignavus, avarus benigni, et quod magis ridiculum est, formosus vult credi, quem omnes vident deformissimum, robustus qui vix ingreditur ac subsistit, procerus, pumilio, et in digitos erigitur ac cervicem extendit, loripes putari vult rectus, fuscus candidus, et cujus humilitas sordesque, immo etiam turpitudine generis est notissima, claritatem præ se ostendit, etiam apud vicinos suos et inter quos est natus ac educatus, qui fari vix valeat, pro Cicerone se aut Demosthene venditat, pauper et pannosus opulentus cupit videri, et id ut existimetur, universum censum in cœnulam effundit.

Quid illa, boni ac moderati viri laudem famamque captare in medio saltu latronem dum hominem spoliat dum cædit, quod aut tunicam, aut pileum, quem auferre poterat, relinquit, aut vitam, quam eripere licuit, donat? in medio lupanari meretricem se pro Penelope aut Lucretia gerere? Lenonem pro Socrate quopiam aut Lælio? et hæc quæ per se sunt intolerabilia vincuntur indignitate quod non tam aliis volunt esse persuasissimum, quam nonnunquam sibimetipsi persuaserunt, et atrocitati facinorum aliquid prætexunt, quo rem etiam apud se ipsos leniant, gravitatemque rei elevent, vel dum culpam a se avertunt, vel in alios per comparisonem, vel culpam vel invidiam majorem derivant, ut non tam videantur laborare aliis ut imponant, quam sibimet ipsis, se adactos vel necessitate id facere, vel justa aliqua indignatione, vel impulsos aliena injuria, illos, qui ab omnibus habentur viri boni, graviora sæpe designare, sed seu clam esse, seu aliqua regi opinione nominis, se, quantulumcunque sit in quo peccent, infamia
la-

laborantes, premi majore invidia quam pro ratione facti, et quod in aliis esset levissimum, in se fieri crimen capitale; quemadmodum ferunt in fabulis lupum dixisse, quum videret corvum ulceroso asino insidentem. Nec deest omni hominum generi communis illa humani generis pestis, assentatio, quæ approbet quantumcunque iniquas aut absurdas sententias; nam alios ad assentationem et applausum vitiorum impellit pecuniæ fulgor, alios inconsulta et cæca benevolentia, alios patrocinium communium vitiorum, alios metus, alios cupiditas fruendi voluptatibus; quo fit, ut nec diviti, nec inopi, nec latroni, nec scorto, nec lenoni desit assentator, quandoquidem nemo est tam abjectus ac inutilis, qui non aliqua ex parte vel nocere valeat, vel spes nostras adjuvare: utriusque abblaudimur, huic ut prosit, illi ne obsit: Quis inter hæc sibi verum dicere ausus est? ut inquit Seneca; Quis non, inter adulantium blandientiumque positus greges, plurimum tamen sibi ipse assentatus est? Quare quod certissimum omnibus et exploratissimum esse volumus, id si quis declaret se non credere, tanta censeatur injuria, quanta si quod nos longo usu ac possessione cepimus, eriperet: ita factum est, ut et mendacium sit injuria quia falsum, et verum sit injuria quia amarum; ut jam ægre possit quisquam de alio loqui vel sine mendacio, vel sine contumelia, in tantis angustias re deducta, ut consultissimum existimetur de aliis in totum tacere, quod narrant Philippum Burgundiæ Principem, quum dissimulato cultu famam sui inquireret, compotiori in caupona consuluisse, ut ne unquam de Principibus verba faceret; nam si laudaret, mentiretur; sin vituperaret, periclitaretur: hi animorum morbi, quibus quisque manus præbens, iniquus aliis atque asper, tam blanditer se demulcet, effecerunt, ut introrsus amore omni collecto homo se ipsum tenerrime diligat.

Ergo quemadmodum in corporibus videmus contingere, ut quum calor se ad cor ac vitalia recepit, extremæ partes rigeant, ut in metu, in ira, in rigore accessionis febris; ita quum se tota intro caritas confert, ut intime ardeat, minimum foras emicat, atque existit, externa rigent; quoties homo universam

Assentatio.

Amor sui.

amoris sui flammam ad se revocat, et in illis pectoris sui penetralibus continet, cohibetque, ut se ipsum habeat multo carissimum, ibi universa amoris vis comprimitur, nec se ad aliam quenquam promit; qui enim adeo se vehementer amat, solum se amat: hic est ille sui amor, quem esse maximorum malorum fontem etiam humana præditi sapientia sunt conquesti: Augustinus noster caput scelerum cunctorum dicit esse amorem sui, ita ut divinis præceptis nihil aliud jubeatur, quam Dei et proximi amor, vetetur amor sui: ille rectus et justus amor, impletio est divinorum omnium præceptorum; hic pravus et iniquus, violatio est omnium: quamquam, si quis acutius attendat, non illud ejusmodi rei nomen satis esse congruum inveniet, neque illos qui ita se amare existimentur, *se amare*, sed *sua sæpe etiam alienissima*; amant enim possessiones, quas cupiunt habere proprias; amant existimationem hominum, cui serviunt, quam supra modum conservare, atque augere student; amant suum corpus, cui se mancipaverunt, et nihil non illi postponunt; animum vero, qui est vel solus homo ipse, vel unde maximè homo censetur, negligunt, et hactenus amant, coluntque, quantum corpori vitam suppeditat, ac sensum quo se voluptatibus expleat, et rebus concupitis: neque enim prudentia, nec eruditione, nec ullo pulcherrimarum virtutum genere exornare ac excolere animum student, quæ unica est salus, et vita animi, unus illius pastus omnium suavissimus, et *sine quo non injuria Sallustius animam oneri esse dixit, corpus voluptati*: sapienter apud Platonem Socrates Alcibiadem docet, *non esse eam hominis curam, quæ adhibeatur iis, quæ homo possidet, sed quæ ipsi eidem homini*; in unoquoque nostrum animum dici quenque, corpus, nostrum, fortunas vero, et possessiones, quædam procul posita; ita non *eum* amare Alcibiadem, qui ejus corpori bene velit, sed qui animo, et eum, qui corpus curet, *sua* curare, qui vero opes, nec se nec sua, sed alia *longe dissita*: nemo prohibetur se ipsum amare, sed in eo plerique omnes turpiter ac flagitiose falluntur, quid sit quisque: an non deforme sit et insanix simile, si quum quis honorem vellet Regi exhibere, Rex non se Regem esse clamaret, sed cultum suum, sed

do-

domesticum instrumentum, et pecuniam, et illum regix dignitatis ornatum spectantium oculis expositum?

Ita plane est, omnes insanimus, nemo se intelligit, quisque se esse credit, non se ipsum, sed ea quæ possidet: Quàm graviter Epictetus Stoicus! *Hæc*, inquit, *minime congruunt argumenta: ego sum ditior te, melior igitur: ego sum peritior, tanto ergo melior: hæc sunt longe congruentiora: ego sum te ditior, mea igitur quàm tua possessio melior: ego te sapientior, mea igitur quàm tua oratio melior: at tu neque possessio es, neque oratio*: age vero; quid? si quis paullo sapientior, quas homines in tantis tenebris, in hac cæcitate atque ignorantia, injurias vocent, expendat, et quibus ex rebus læsos conquerantur, jurabit neminem penitus sanum esse: Vides tu animal hoc tam superbum, tam elatum, tam ferox? nihil est eo invalidius, atque infirmius; nam, ut destitutum est ac desertum magna divini illius præsidii parte, quam a se suo scelere dimovit, ac rejecit, ita ad muniendum fulciendumque imbecillum locum tanto propugnaculo nudatum, et injuriæ jam undique expositum, alia accersivit innumera et in animo, et in corpore, et extrinsecus: divina defensio ac tutela instar illi erat non modo eorum omnium, quæ in ejus locum reposuit, sed quæcunque cogitari humano animo poterant et expeti; ea separata ac digressa, opus illi fuit his pæne infinitis, sed quæ subjecit tamquam bacillos columna diruta prorsus ac dejecta, ut illa simul universa non possint eum vindicare ab ea injuria, cujus violentiæ sunt objecta, a qua undique et continenter oppugnatur atque infestatur: ergo superbiæ ad dita est ad eam pudefaciendam humilitas atque imbecillitas, ut manifestius coarguatur criminis, quòd in tanta se egestate ac sordibus extulerit, in quibus conveniebat potius sui conscium se se demittere: superbiæ atque infirmitati adjuncta est ignorantia, ut veri germanique sui finis vel nescius, vel oblitus, illa omnia, quibus ad hanc edendam vitam indiget, bona nuncupet, bona esse arbitretur, et injuriam censeat, si quis eorum aliquod violet, aut attingat, quæ sint sua bona: percurramus eorum nonnulla, sed breviter et quasi defungendi gratia.

Apostoli rogant Magistrum, *ut sibi fidem augeat*; Dominus ipse

mi-

Roma.

Fides.

miraculorum potestatem pollicetur ei, qui *fidem habuerit, vel non majorem grano sinapis*; nunc si cui dixeris non satis eum Deo fidere, injuria est, ob quam transfigenda sit lingua; post explicata evangelicæ gratiæ præcepta; addit Dominus noster: *Postquam hæc omnia feceritis, dicite, Servi sumus nequam*; si quis de se audiat, quod indignus sit christiani nomine, aut cœlesti præmio, non aliter irascitur, quam si adimeretur: quid adimitur ne verbulo? minimè vero cœleste illud, sed terrestre illud adimitur, nempe, *existimari*; et quia hoc solum quærimus, idcirco tantopere succensemur tamquam voto dejecti, et fraudati debito: nunquam minus fuit in orbe christianæ pietatis, nunquam magnificentius quisque de se sensit et pejus de socio, homines hominibus, nationes nationibus impietatem objiunt, quod parum sint christiani; quasi qui exprobrat, extra ejusmodi esset probrum: quid causæ est? in objiendo non falluntur, in sentiendo de se falluntur; omnes æque sunt impii, sed ad sua cæci, aliena vident, seu non vident potius: tantum impetu affectus propelluntur: non desunt qui in calore contentionis illa objectent: *Christianior sum te; immo ego te*: ad ferrum accurrant, et ibi se confodiant, videlicet, ut illuc eant; ubi eis ostendetur de eo pugnas, quod ab utroque longissime aberat; et quum christianitatis nomen ac prope umbram amiserimus, tamen alii de aliorum christianitate testificantur, inquirunt, accusant, pronuntiant; addita capitis, famæ, et fortunarum pœna; quomodo judicant de re, quam nunquam, ne per somnium quidem, viderunt? an ipsi se pro censura utuntur et regula, ut quod ad normam illam non congruat, reprobari oporteat, ut jam vitia sint vitæ amissis? Scire id licet, nam quum virtus unica sit, vitia varia atque infinita, videas alios alibi eadem in causa absolvi, et condemnari, et vitium unum aliud condemnat tamquam sibi contrarium, ut temerarius timidum, aut profusus tenacem: at quibus de causis animosæ inter doctos homines contentiones oriantur, et incalescant, quemadmodum exercentur, in quas tragœdias exeant, quis nostrum sine pudore possit recordari?

Dissidia inter doctos.

Disciplinas omnes et omne sciendi genus principio ignoran-

rantia, deinde pertinacia, et nolle melius dicenti cedere, in opiniones primum, hinc in sectas discerpserunt, ut jam perpauca sint inter eruditos consensu omnium recepta: de litterarum pronuntiatione dissidetur, de orthographia, de canonibus grammaticæ, de usu linguæ, de carminibus, de intelligentia scriptorum, de vita et philosophia morum, de natura, de cœlis, de rebus divinis, et pietate, nihil integrum, nihil non controversum est relictum: tanta fuit ex socordia ignorantia, et ex superbia studium tuendi quæcunque suscepissent, ne alius videretur melius sentire aut monere. Habet ingenium homo et natura sua angustum, et peccato obscurum, magnaque in humanis pectoribus et tenebrosa densatur nox; judicio, usu rerum, prudentia nihil fere possumus, omnia sunt in humana vita errore et ignorantia plena, ut nihil magis videatur esse hominis, quam labi, errare, falli; *Sentim*, (inquit ille in fabula) *me esse hominem?* et Plinius excusationem affert erratorum, *quod sit homo*; nos tamen, quos superbia conata est supra hominem efferre, quum tam longe sub homine reliquerit, si errare, decipi, allucinari dicamur, contumeliam esse censemus; etiam, *non intellexisti*, pro convicio a multis accipitur, quasi tarditas exprobratur, cui respondent ilico, *melius quam tute*; ceu vero non potuerit non intelligere vitio dicentis, aut quod aliam in rem intentus fuerit. Veteres olim multum et diu *sapientem* quæsutum vix semisapientem invenerunt tolerabilem; nunc si quem neges esse sapientem, injuria est capitalis: O miseros illos priscos homines, qui tunc sapientem inquirebant, quum nullus esset! Si in hanc eos ætatem natura reservasset, tam eis diligenter fuisset stultus quærendus, quam tunc sapiens, aut si quem sapientem esse negassent, vita eis esset propter injuriam amittenda: nec minus est injuria dicere quod omnes vident, ut *claudum* claudum appellari, *strabum* strabum, *gibberum* gibberum, *plancum* plancum, *labeonem* labeonem; quasi vero cerni injuria non sit, dici sit; an plus sciam quod audierim, quam quod viderim? nihil tale, sed ea est stultitia, ut speremus celari posse, etiam quæ sunt omnium oculis exposita; itaque quum dicuntur, indigne ferimus, tamquam opinione falsi et spe depulsi, quod intelligimus non ignorari.

Ge.

Genus.

Generis laude nihil tenuius dici potest; quòd sis bono patre natus, hoc necessitatem imponit tibi ut sis illi similis, alioqui non effugies degenerationis notam: omnes hoc agunt laude generis expetenda, ut quum ipsi sint proavorum dissimiles, tanto habeantur nequiores, et tamen quia populari stultitia inductum est ut præclarum sit bonis majoribus esse progenitum, mirum quàm insane ambitur ab omnibus id decus, a cerdonibus, a culinariis, etiam a servis Æthiopicis et mediastinis, se quidem servitutem servire, et coactum iniquitate fortunæ vilissimis occupari ministeriis, ceterum esse natum bono sanguine, porcino videlicet, quo nullus est utilior. Et eam bonitatem generis illi ad latrocinia suorum majorum referunt; fuisse nescio quem proavum suum, qui arcem obsederit in via regia, ut nemo illac potuerit iter facere, quin spoliaretur: ;O egregiam laudem! quòd ea fecerit impune, propter quæ alii suspenduntur; hoc vero non jam sibi debet, sed fortunæ, quæ ab illo magistratus manum procul arcuit: ;Quanta injuria est vocari aliquem ignobilem, aut paganum, et ut nunc loquuntur, villanum! Serpit id longius tamquam labes olei, nec solum gravissima est contumelia parentes aut avos cujusquam attingi, sed patruales, consobrinos, denique affines et gentiles remotissimos: ;Quanto fastidio alios despiciunt ii, quorum parentes nullas bonas artes habuerunt! nam ea est nobilitatis bona pars; quanta cura a se depellunt ignobilitatis notam omnes: ;O animos in cœno demersos! ;nullusne recordatur non posse ignobilem esse cui Deus sit parens? ;audes tu genus hujus vituperare, quod est a cœlo deductum? ;aut homines anxie scrutaris ad decus, cui ad manum sint Deus pater, et Angeli fratres? et ille qui genus tuum contemnit, velit nolit, ex eisdem constat principiis ac elementis, et eundem habet patrem, nec est unde se magis possit jactare, quàm ex communi vestro patre, nisi forte pluris facit putre corpus ab hoc esse homulo genitum, quàm divinum animum a Deo æterno, omnipotenti, et Rege naturæ.

Voluptates.

Voluptates ita homines dementant, juvenes præsertim, ut asperi et infensi fiant præceptoribus, educatoribus, propinquis, etiam parentibus, legibus, magistratibus, patriæ, denique omni-

ni-

nibus melius monentibus, et per quos ipsis parum licet se ex animi sententia expetitis deliciis ad satietatem obruere, quas ubi sunt nacti, vel etiamdum quærunt, zelus et invidia, ne quis eisdem fruatur, ;quo cæstro animos concitat! ;quot bene consentientes amicos in exitium mutuam armavit! Jam de Dignitate contentiones, et in republica magnos excitarunt civiles motus, qui communem patriam funditus everterunt, ut inter Cæsarem et Pompejum, et potentes populos ac Principes inter se commiserunt diuturnis bellis et utriusque calamitosis, non ultionis cupidine, sed eminendi; cujus generis fuerunt bella gesta cum Pyrrho et Hannibale: nimirum, hinc nata sunt bella antiquissima, hæc sunt rei tam sævæ ac detestandæ semina et primordia, imperii, dominationis, præstantiæ libido infinita: vetustissima omnium pæne nominantur magis quàm referuntur bella, Vexoris Ægyptii, et Tanais Scytharum Regum, suscepta tantum ob gloriam, ob decus, atque imperium, non de vita; adeo citius exeruit se superbia, quàm ratio et vis mentis, ut rudi adhuc mundo, nullis dum artibus, aut inventis vitæ profuturis, nullo virtutis sensu, non sapientiæ, non opificiorum, jam honorem et gloriam captarent; fuit quidem error ille humanarum mentium, quæ se honorem laudemque consecuturas per hominum cædem sperarent; sed quum omnia pæne vetustatis inventa sequentes ætates vel mutarint, vel damnarint penitus tamquam rudia et incondita, error tamen ille ita in animis hominum insedit, ut receptus sit prorsus ac approbatus; quippe, superbia integra et valida confirmat sua; non idem potest in suis stabiliendis invalida natura, homines qui nihil mentis oculis viderent, corporum oculis robur lacertorum admirati sunt, quum animi essent in illis infirmissimi; tum facta immania et cruentissimas fraudes laudarunt, vel quòd sibi profuissent, vel ex metu; hinc ad illos delata imperia, principatus, dignitates, regimen in ceteros, ubi juris mensura vis erat, et omnia licebant viribus, aut vafriçæ, aut etiam crudelitati.

Dignitas.

Bella vetustissima.

Plane ubi affectus totam possessionem animorum occupant, violentissimus quisque tyrannidem invasit: ita non opti-

Tom. V.

Qq

mus

mus erat in precio ob amorem virtutis, sed promptissimus ad nocendum, quum metuerent omnes iis rebus, quas haberent quam virtutem cariora: ergo partim quòd interna non viderent, externa tantum suspicerent; partim quòd se putarent iuvari, partim adulatione, in quam prona est adversum potentes multitudo, omne honorum, decoris, laudum, gloriæ genus in facinora est militaria congestum; appellata virtus, et nominati viri fortes, viri boni, patriæ vindices, domitores gentium, sublatis in cælum, et culti pro diis, ut Hercules et Dionysius Thebanus; composita carmina in laudem, et celebrata cantibus, publice atque in convivis, quemadmodum Homerus inducit Phœnium in procorum convivio canentem Trojana bella; duravitque is mos etiam usque ad populum Romanum adultum jam et Italiæ totius dominum, quod in Originibus scripsit Marcus Cato, poëmata, et historiæ conscriptæ, erecti arcus, positæ statuæ in celeberrimis urbium locis cum præclaris inscriptionibus, clarum nomen, nobilitas ad filios et nepotes: Quis est tam natura sua vel segnis, quem non tanta excitarent præmia, vel abhorrens a cæde et sanguine, hoc est, ab inhumanitate, tam amicus quietis et concordiæ, quem non ad facinus extimularet tantus omnium consensus tanto cum præmio adhortantium ad nefas? Quòd si rei omnium scelestissimæ non tanta fuisset merces proposita, minus fortasse habuissemus Principes bellaces; sed divinitas Jovi, Marti, Herculi, Libero, et reliquis addita, quòd magna bella feliciter gessissent, posteros extimulavit ut in aliquem certe tam immensi honoris participatum admitterentur, Græcos in primis, in quorum excellentibus ingenis, ut in agro feracissimo quòd nihil esset bonæ sementis factum succreverunt noxiæ herbæ complures, honoris potissimum cupiditas invaluit; hinc sunt bella Thebana, Argiva, Attica, Peloponnesia; hinc Græcorum ad Trojam conventus, et tanta pertinacia in malis, quanta in rebus jucundissimis nunquam fuisset; extulit elegantissimo carmine gesta illa Homerus, celebrata sunt tota Græcia, noti propter Homeri carmen etiam præcones, et aurigæ, et Thersitæ, et abjectissimi ac postremi illius expeditionis; Achilles tamquam sol inter heroes fulgebat.

Fue-

Fuerunt plures, qui magis Achillis nomen affectarent, quam Nestoris; hinc etiam sine occasione ulla sparsa bellorum semina, ut inquietum ingenium, paucis modo cognitum in pace, in bello per malas artes innotesceret, cujusmodi per gentes omnes innumeri fuerunt, ut Athenis Alcibiades, qui populum suum fractum tanta bellorum continuatione, quiescentem jam, et quasi respirantem, non passus est diutius otari, bellum Peloponnesiacum scelestissima fraude excitavit; Alexandrum Macedonem in tantos illos furores præcipitem egit Achillis emulatio; ducebat exercitum per Asiam; Alexandrum exercitus, Alexander cæcam ambitionem sequebantur, ut liceret naturæ finibus inscribere: *Hucusque bellabundus*, hoc est, *latrocinabundus pervenit Alexander*: Alexandri successus multos deinceps impulit, Pompejum Magnum, Julium Cæsarem, quem ferunt Gadibus ad statuam Alexandri illacrimasse, quòd ea ætate, quum ille jam Asiam vicisset, ipse nihil dum gessisset memorabile; itaque Romanam reversus omnem dedit operam, ut sibi bellum aliquod decerneretur magnum, varium, periculosum, ubi se patefaceret clausa illa et cohibita in pace sævitia: nuper Carolum Burgundiæ ducem admiratio gestorum Alexandri coegit iis se bellis intricare, in quibus ipse periit, et in extremum discrimen universam Belgicam adduxit, ex qua Mariæ heredi ademta est a Ludovico Franciæ Rege Burgundia: tanta fuit stultæ hujus famæ dulcedo, immo verius rabies, ut mulieres compulerit, sexus et naturæ suæ oblitæ, virili more armis se tegere, et in prælia viros lacessere: Amazones, ex Scythia egressæ, Thermooontem amnem, et illam ponti oram occuparunt; inde, vicinis bello aut perdomitis, aut diu et multum fatigatis, quòd de virtute Atheniensium, sicut Lysias scribit, multa audivissent, ultro illuc sunt transgressæ ad vires illorum tentandas, quo ipsarum nomen latius inclaresceret: prætextum est huic gloriæ prorogatio finium ac imperii; hæc causa bellorum prope omnium Græcis, Romanis, Carthaginensibus; non poterant se domi regere, tot conflictati dissidiis, discessionibus, tumultibus, factionibus, bellis civilibus; alienos quærebant, quos regerent, ut alios haberent in sua potestate qui se non habebant; quod et Regibus

Prorogatio
finium.

Qq 2

non

non raro contingit, ut quum vel pueri, vel adolescentes imperiti ac inexperti rerum et usus vitæ, vel senes voluptarii, aleatores, fatui, uni domunculæ gubernandæ pares non sint, orbem concupiscant regendum, et plures nationes habeant, quàm sciant nominare.

Quid aliud fuit imperium potentibus nationibus, nisi causa maximorum vitiatorum, et impunitorum, et ad extremum armorum vel civilium, vel externorum, sub quibus miserimè conciderent, vel funditus extirparentur, vel fœdissimè servirent paullo antea tot gentium domini? Et Principum singulis quid aliud est latum imperium, quàm vel cura jugis et gravissima si bene fungantur suo munere, vel paratissimum discrimen si sint negligentes? Quàm aperte naturam integram prava malitia corrumpit, et depravata opinio integritatem iudicii sustulit! Nam quid aliud est regere aut gubernare, quàm consulere, prospicere, curare non secus ac filios? Idcirco Princeps *Parens patriæ* nuncupatur; at quid minus convenit, quàm velle te consulere iis, qui te recusant, et per maleficia attrahere ad te, quibus dicas te velle benefacere? an etiam occidere, diruere, incendere est gubernare? et metu opprimere est consulere? vide ne appareat te non tam cupere regere, quàm dominari; non est regnum quod experis, sed tyrannis, velle multos tibi esse dicto audientes, non ut commodè vivant, sed ut te metuant, et imperata obedienter faciant. Neque vero bellorum origines et causæ intra honoris limites insistunt; quidquid Principi aut populo non placet, manus armat, et querela inter potentes bellum indubitatum parit; itur ad arma propter mulierculam, quod utique lenonum est, non Principum, ut sit (quemadmodum inquit Horatius) (1)

—*Cunus teterrima belli causa:*

Quid potest obscœnius dici? propter rem turpissimam ac fœtidissimam! hoc fuit multorum bellorum initium, ut Pelopis, Lapitharum, Æneæ ac Turni, Tyndaridarum cum Ida et Lynceo, Pa-

(1) Satira. lib. 1. vers. 107.

Patris ac filii Henricorum in Britannia, hoc denique illius tam decantati Græcorum ac Trojæ: Quamto melius sapiebat ille, et Thrax, et barbarus, quàm ingeniosa Græcia, qui utrinque ad auxilium et partes a Græcis et a Phrygibus sollicitatus, quum belli originem cognovisset, utrorumque judicia damnavit, restatus se non videre quid opus esset armis ad eam causam, illud esse promptius ac verius, ut Paris Menelao uxorem Helenam redderet, se Paridi, si tam in feminas insaniat, vel decem missurum puellas formæ exquisitissimæ, et per gentes raræ! Hæc ipsa causa privatos quoque non aliter committit, quàm tauros, vel canes, dum aliquot eandem feminam sequuntur.

Illud non minus fœdum, ut feminæ obsecundes, immo ut pareas, bellum facere; quorum sunt non pauca exempla, ut Periclis Atheniensis, qui propter Aspasiæ, scortum Milesium, Samiis movit bellum infestantibus Miletum, Cæsar dictator Ptolemæum sustulit in gratiam Cleopatræ, Rex Galliæ Carolus ab uxoris suæ fastu ac stultitia instigatus Flandriam maximo fatigatam bello pæne delevit, Persepolim Alexander Macedo exussit Thaidis meretriculæ hortatu: Proh dedecus, viriles animos tam abjecte feminis servire, ut intelligas belluas esse (non homines) voluptate captas et irretitas esca fallacissima! Jam, quæle est Rectorem tot populorum, ac gentium, quo nihil convenit magis esse grave ac severum, verbulo uno aut diceriolo oblique detorto ita concitari, ut in extremum discrimen adducat tot capita curæ ac fidei suæ commissa? Quid illa? Quæcunque possidemus, domos, agros, servos, supellectilem, vestes, pecuniam, non solum fecimus nostra, sed nos ipsos, nempe substantiam nostram, ita enim et latine appellamus Græcos secuti, qui *ούσια*; adjuvamus veteribus dictis, vel ab imperitia vulgari ortis, vel a poëtis sensum et famam multitudinis prodece usis, pecuniam esse cuique vitæ vice; satis hoc persuaserunt sibi qui exigua mercedula menstrua singulis horæ momentis caput suum periculo objiciunt, et si quis pecuniam aut possessionem attingat, ibi non secus dolemus, quàm qui uruntur aut secantur, nimirum substantia detrahitur, inveterata quidem opinione: (1)

Ploratur lacrimis, inquit Juvenalis, amissa pecunia veris:

Quo

(1) Juvenalis sat. 13. vers. 134.

Regere quid

Parens patriæ.

Bellorum
variar origi-
nes.

Mei, tuum. Quo ore, quibus vocibus illa intonantur, *Meum, Tuum*? quocumque injuriarum, litium, controversiarum, rixarum, pugnarum, cædium sunt auctores? Quantas duo illa verba tragœdias excitant in rebus humanis, et eo majores, quo consurgunt freta et suffulta potentia majore! O voces humano generi infaustas atque infelices, quum illas vel Princeps vel magnus aliquis populus querulo ingeminat clamore! Neque enim solum recente adhuc et tamquam calenti injuria repetuntur res, sed ex veteribus monumentis *Meum* illud et *Tuum* eruitur, exesis jam chartis, exolescentibus litteris, in quo imperita multitudo, vel Princeps cupiditate ardens, armatus ingenti potentia, cognoscit et statuit de suo ipse jure actor et judex, quæ ratio rerum repetendarum efficit ut nihil non sit cujusque; quid enim est, quod non aliquando fuerit sub aliis dominis, quod non sub majoribus cujusque? Atqui dicunt publica usu capi non posse, ideo nihil jure adimi Regibus aut populis; quod si publica usu non capiuntur, utique nec ullus Rex aut populus suum potest facere quod est publicum generis humani, immo privatum Dei, vel (ut veteres loquebantur) fortunæ, qui loquendi mos durat etiam num: O dementiam, nostra nominamus, quæ nos ipsi fortunæ esse profiteremur, et nostram dicimus pecuniam, qui nec animos habemus nostros, corpora vero minus multo!

Nec sic repetuntur ingentes tantum provinciæ, sed agri quoque particula, aut arx, aut castellum, aut etiam aquila, diuturno bello vicinas nationes implicitas tenuit, immo etiam magnos Reges, qui scurris et assentatoribus suis urbes et regiones tamquam congiaria animose largiuntur, idque gloriæ sibi ducunt: nolunt alteri Regi, olim amico et bene merito, cum utriusque regni salute agellum cedere, qui lenonibus et impurissimis applausoribus non parvam regni sui partem cedunt: quid, quod eum ipsum tractum, qui tot cædium, tot cladum fuit causa, occupatum jam et emptum tantis amicorum et innoxiorum fortunis, sanguine, spiritu, extemplò adulatorulorum cuiquam donant, in hoc demum hominum genus benignissimi? præclaram vero belli causam! ut scelestum aliquem vita indignum dices, non dubitas tot bonos viros patrimoniiis,

li-

liberis, vita privare! et ut lenunculus, vel etiam latro aliquis, habeat quod heluetur, graves et præstantes viri præcipuique in cohorte amicorum, si non gratia, certe dignitate ac meritis, primi objicientur sævitæ belli, et paratissimo capitis discrimini! Indurat nos hoc habendi studium, reddit immites, asperos, efferatos, expellit affectus illos omnes humanos ac mansuetos, omnia persequimur summo jure et adversus omnes, non solum egenis non subvenimus ex tam cumulatis divitiarum acervis, sed etiam spoliamus nudos; hinc tantus mendicantium numerus in ecclesia Dei; duri enim in numo atque inexorabiles sumus fratribus, propinquis, ipsi patri, qui nos genuit, ipsi matri, quæ tot pertulit fastidia dum uterum gestat, tot pericula dum enititur; quumque ad benefaciendum et communionem utilitatum arctissimis curam nostram terminis definierimus, ad nocendum longissime expandimus; injurias, parentibus, filiis, fratribus, factas, nostras esse interpretamur, etiam avis, et proavis, et magnis avunculis, et magnis patruis; mortua quoque et consepulta excitamus, revocamusque in memoriam oblitterata, majore nostro dedecore quàm eorum qui vel fecerunt, vel passi sunt, quos dum vindicare cupimus, magis lædimus; efficimus enim ut qua illi ignominia affecti sint, sciant qui ignotabant; quin et nostrarum opinionum corruptela ita tulit, ut quæ propinquo cuique acciderunt, vel affini, quamlibet remoto, pro nostris sint habenda, nimirum nam sunt, qui altissima stultitia aliis ut probrum objiciunt casum aut adversam fortunam affinis aut cognati, tam procul dissiti, ut jam fere nihil ad genus attineat: complectimur quoque pro nostris clientes, pupillos, amicos, ministros, servos, inquilinos, colonos, mercenarios, vicinos, leviter notos, quin et affinium aut amicorum notos, vicinos, mercenarios; alii cives contra externos tuentur, quod oporteat civem adesse civi, ut fratrem fratri; alii exterrum adversus civem, quod non oporteat hospitem injuria adfici, et premi imbecillioem, non ut infirmiori ferat opem, sed ut civem lædat.

Sic Principes et potentes populi extendunt quàm latissimè confœderationes tamquam retia, recipiunt in societatem, in clien-

Confœderationes et clientelæ Principum.

clientelam, plurimos, idque sedulo faciunt non tam ut illos tueantur quos sibi adjunxerunt, quàm ut illorum occasione alios invadant; ita persequuntur eum, a quo læsus sit amicus, non adeo ut hunc tueantur, quàm ut illum, si possint, spoliarent, ut quæstor qui furem persequitur, non quo reddat ei pecuniam, a quo est surrepta, sed ut fisco suo applicet; et cum ipsi cum quibus velint, societatem, fœdus, amicitiam coeant, tamen aliorum vel confœderationes, vel etiam veteres amicitias, et conjunctionem sanguinis, non ferunt, injuriam suam interpretantur, et in occasionem vertunt belli faciendi: Populo Romano ea fuit causa sumendi arma adversus multos Italiæ populos, quòd ex eis aliqui in hostium exercitu fuissent, eadem contra Numantinos, eadem adversus Britannos, cum id sæpe non fuerit factum, quo Romanos injuriis et damnis adficerent, sed quemadmodum solet fieri, ut subvenirent vel vicinis, ut Britannii Gallis, vel consanguineis, ut Numantini Sedingensibus. Nusquam accuratius elaboravit diabolus, quàm in spargendis ubique discordiæ seminibus, et eis confovendis, ut uberrimam frugem effunderent, videlicet, quòd nihil est tam aptum ejus ingenio, quàm odium ac dissidium, nihilque quod nos longius submoveat a meditatione cœlestis illius societatis, cui homo est conditus, tamquam succidaneus; quippe, concordia hominum, inter se mutua, expressissima est divinæ illius imago civitatis, discordia vero gustus est inferorum; itaque odia invenit gentium publica inter se, ut quod Gallus et Scotus oderint Britannum, et contrà Hispanus Gallum, Helvetium Germanus: quæ nascuntur ob veterem aliquam cladem, cujus memoria tot deinceps officiis ac mutuis commodis vel elui, vel leniri nequit; brevis est beneficii recordatio, immortalis injuriæ; itaque inimicitias tradunt veluti per manus cum hereditate parentes filiis, alii aliis eas declarant, et infigunt, hæc instillat nutrix puero cum lacte, hæc magistri confirmant, hæc a publica voce et cantilenis discunt, ad hæc pueri in lusionibus se se mutuo stimulant: O quàm sollicitus est magister suæ artis diabolus! quàm sedulus curat ludum suum! quàm ubique adest, nec ullam præmittit docendi occasionem! Interdum ad publicas et capitales

Gentium discordiæ.

na-

nationum inter se inimicitias satis est privatum aliquem affectum esse ab alio injuria, aut etiam convicio aliquo verberatum, is in patria spargit capitali esse odio illos homines in totam eam gentem, quærere belli causas, et alia dictu atrocia, quæ animus per dolorem excogitat; hæc de cive et populari accipiuntur pronis auribus a pullata turba, sparguntur, serpunt latius, et ex paucorum suspicione fit certissima persuasio; nihil non arripitur in ansam dissensionis; longinquitas loci efficit, ut nihil debeat esse inter eos homines sancti aut æqui; immo ne alius sit alii hominum numero.

Quòd si non mutuo se intelligant, ibi videas illos horre inter se colloquia, et congressus, contrahere se, et fugere contractum et aspectum, quasi draco elephantum aspexerit, aut ursus leonem, et non potius homo hominem, id est, animal mansuetissimum, aliud sui generis ac ingenii; fortassis hinc nascuntur quæ a nostris sunt hominibus in orbe isto novo acta, ut Indi illi non sint illis habitus pro hominibus, de qua iniquitate destinatus est mihi alio opere dicendi locus: Menelaus in declamatione apud Libanium subsignificat Asianis cum Europæis naturale esse bellum quòd mari dirimerentur; quid potest immanius dici! Græco olim reliquæ nationes erant barbaræ, id est, semi homines, idem nunc Italo, injuriosis in naturam, qui illam ad effundenda sua omnia munera limites aliquos elegisse, vel montium, vel fluminum, vel maris, arbitrantur, ceu vero definita esset Dei vis locis, et non ubicunque homines ederentur, ea quoque adessent, quæ hominum genus Dei benignitate accepit, non beneficio locorum: nec vicinas nationes vicinia vindicat a dissidio, immo vero hoc acrius dissentiunt, quo sunt conjunctiores; nunquam inter illas pax, nunquam quies; sexcenta quotidie inter manus nascuntur discordiarum incitamenta, agellus, aquula, cippus, pulsatus, spoliatus aliquis in latrocinio, aut per lasciviam ludentium, certamina festis temporibus, unum verbulum temere jactatum, vanus rumor sine auctore, somnium alicujus; in eadem natione inter urbes vicinas, si quid altera alteri nocuit, memoria damni sempiterna; quòd altera vel noluit, vel non potuit alteri laboranti subvenire,

Non ab omnibus sed ab aliquibus.

Gentes vicinæ.

Urbes vicinæ.

Tom. V.

Rr

odia

odia publica: denique satis est ad odium non esse eandem civitatem, nam omnia in pejus rapiuntur, quæcunque utrinque fiant, et sinistras interpretationes licet in publicum evulgare secundo populo.

Sunt qui bellorum causas et proinde culpam omnem in Principes rejiciant; ab illis invito et reclamante populo turbari res orbis; utinam vanæ in totum essent, atque iniquæ ejusmodi querelæ; sed et nos odiis nostris mutuis illorum furoribus servimus, illi nostris affectibus ad explendam animi sui libidinem aburuntur; ardet quidem belli cupiditate eorum vel superbia vel avaritia, sed nos id bellum pecuniis, instrumentis, comæatu, manibus, et vita nostra, prompti alacresque adjuvamus quod contra eam gentem, quam odimus, gerendum sit; ut dum Principis videmur dicto esse audientes, animi nostri morbis obtemperemus, eidem ipsi reluctantes, et refractarii, si quem Princeps receptum pravum morem conetur antiquare, meliorem inducere: at saltem vivere intra eadem mœnia, cives esse ejusdem civitatis, eorundem sacrorum et profanorum participes, hoc demum a discordia tuetur; immo vero id est crebriorum discordiarum materia; et acerbiorum, inter eos, qui non spectant ad idem forum, eandemque dictionem juris, ut in quibusdam civitatibus, ubi non simplex est magistratus, nec una curia; inter initiatos et profanos, rogati quid oderint, nihil habebunt, quod respondeant, nisi diversas esse professiones: quid ergo? eadem professio certe glutinum erit ad concordiam efficax? minime vero, immo maxima est inter ejusdem ordinis et artis homines invidia, et hinc odium; invidet *figulus figulo* juxta priscam sententiam, et *poëta poëtae*; quæ invidia non solum communionem artium invasit, sed etiam civitatis, ut facilius ferant cives eminere inter se exterum hominem, quàm popularem suum: lex fuit Corinthi, ne quis aliis esset præstantior, sed si quis præstaret virtute aliqua, civitatem exiret, et apud alios esset excellentior: Athenis ostracismus, exilii genus, exquisitis populi suffragiis in hoc erat repertus, ne quis in civitate esset vir consilii, virtutis, gloriæ magnitudine insignis: de qua invidia est quod Dominus noster dicit in Evangelio,

Nul-

Nullum prophetam acceptum esse in patria sua: jam factiones in eodem etiam oppidulo, in eodem vico, quarum alii alii se ad dicunt sine ratione, sine mente, sine judicio; si rationem causamque jubeantur exponere, nullam habebunt quam reddant; et quo magis ostendant se, ferarum ritu, ruere affectu, non mente ulla duci, ut feræ vocula aliqua aut colore in furorem irritantur, quemadmodum incandescere ferunt tauros in rubrum colorem, et canes jubilis quibusdam immittuntur, ita isti certa quadam vocula aut colore excitati ad arma discurrent; non hominibus favent, non hominibus moventur, sed vel sono per aures capiuntur, vel colore per oculos, ut bestia; transeat alio vox aut color, jam pro eisdem stabunt, quos modo occidebant.

Nec iidem penates, et communis domus, glutinum est concordia, nec sacra mensæ aliquid faciunt; *Imminet exitio vir conjugis*, inquit Poëta quidam, *illa mariti; non socer a genero, non hospes ab hospite tutus*: inter sorores et fratres odium capitale, quod alter carior esse patri creditur, aut eminere dignitate, ob hereditatulam, ob verbulum, ob suspiciunculam: quid ergo ab odio nos et discordia tuebitur? non longinquitas prodest, non propinquitas juvat, non natio vindicat, non civitas, non ordo, non professio, non domus, non mensa, non uterus et communes parentes, ut jam inter christianos propter tantas dissidiorum repetitas causas, et simultates adeo crebras, optimus esse ille videatur, qui neminem odit, neminem amat, neminem curat, sibi intus vivit, et suum negotium unius agit, aliorum altissime securus: omnes hi, non humano, sed ferarum more, ac modo, pro cibo in medio posito ruunt, pugnant, lacerant, sæviunt invicem, est suus cuique cupiditati cibus quidquid illa expetit; superbus vero, unde præcipua et largissima discordiarum materia dimanat, honori semper, ut proprio suo et peculiari pabulo, inhiat; is est ipsi pastus suavissimus, immo vero hoc solo se sustentat; ita nondum adeptus quærit anxie, et nactus exultat, et frustratus dolet, ac uritur, et ei qui impedimento fuit, irascitur, remque ultione dignam censeat: quo fit, ut nunquam sit a discordiis et inimicitiiis quies, ubicunque

Rr 2

mul-

Domus cõ-
munis.

Civium dis-
cordia.

Lex Corin-
thi.

Ostracismus
Athenis.

multis rebus impositum est honoris nomen et precium; quippe fiunt homines primum superbi atque ambitiosi, hinc contentiosi, vehementes, iracundi, avidi ultionis; fieri enim nequit, ut quum quisque maxima concupiscat, tantum consequatur quantum concupivit; igitur frustratus desideriis, aliorum quietem interturbat, per quos ipse factum iudicat quominus voti fieret compos. Hoc honoris nomen, immane dictu quantas in christiana gente quotidie turbas designet! Consultum volunt honori; nihil dicunt se esse sollicitos quo sit loco pecunia aut vita, modo honor sit in tuto; honori bonam mentem, honori pietatem et Deum posthabent, ut ille qui moriturus rogavit sacerdotem, quem in modum vellet se mori, demisse ut christianum, an elate ut honestum equitem? satisfaceretne Christo, an honori?

Quis furor est iste honoris, tanti facere vocolam unam, vel nutum, vel tacitam cogitationem, momentaneam, unius aut alterius imperiti stulte iudicantis? Nam esse stultitiam apparebit, si declaravimus quid tandem honorem isti vocent; honorem enim esse censent significationem omnem rei, quæ pro bona habetur in animi aut corporis dotibus, vel in iis rebus quæ fortunæ potestati subduntur, denique earum omnium, quibus precium aliquod fecit humana æstimatio, quasi vero id sit virtutis et bonorum omnium præmium, agnoscere ab aliis: omnis contrarium rerum significatio, pro ignominia habetur, et ira excitatur tamquam ad occursum contemptus, ut rem indignam ulciscatur: ergo jam non modo in verbis, quæ in se vel laudes habent, vel vituperii speciem, sita est honoratio aut contemptus, sed in omnibus et verbis et gestibus, quibus humana suspicio interpretata est aliquid generis ejusce denotari: *mentiris*, tanta est contumelia, ut non possit nisi vel vita, vel insigni aliquo damno sarciri; si tantundem, sed aliis verbis dixeris, evasisti iræ violentiam, ut si dixeris, *bona venia*; ita non movemur re, sed sono, sed levi aura. Olim secunda persona erat *Tu* numero unius, plurativo *Vos*; nunc in linguis Itala et Hispana, plus est negotii in quærendis epithetis, quam in tota inventionione: est cui dicendum sit *Vos*, est cui dominatio, præ-

tan-

rantia, excellentia, prudentia, celsitudo, majestas, brevi (ut opinor) deitas: gallica lingua jam eodem incipit morbo tentari, velut ex vicinarum contagio: si quis aliter loquatur, socii majestatem violavit, contemptus est, ira suadet vindicandum: capitis nudatio, sedisse, surrexisse, cessisse via, substitisse, oris crepitus, ructus, flexisse poplitem, dextra, sinistra, medius locus, movisse pedem, manum arrisisse, sibilasse, corrugasse nasum, exporrexisse frontem, contraxisse, aspexisse, bis transisse ante ostium, flexisse vultum, porrexisse manum, extendisse digitum, ostendisse unguem medium, etiam spectasse lapsum, ubi, quando, quamdiu, quemadmodum, apud quos, omnia censuram subeunt ad subsellia iracundiæ, insitne honor an contemptus; his omnibus, tam leviculis, maximæ quoque et diuturnitate atque officiis confirmatissime concordia possunt diffringi, et ex amicissimis capitales fieri inimici: O miserum humanum genus! quis fuit ille tam crudelis tibi hostis, qui te vanissima hæc edocuit, præteritis tam multis magnis et admirabilibus profuturis, immo necessariis vitæ, quæ ignoras? nondum, qui sit cælorum et siderum cursus, quæ stirpibus et animantibus natura, quæ corporibus tuis profutura, quæ noxia, novisti, non quæ virtutis et honesti ratio, non quem in finem es natus, et quæ sit ad illum via didiceras, cum jam his adeo nocituris tantam ponere operam vacarat.

Superbia effecit ut optimi et videamur nobis, et aliis velimus videri; hinc nobis semper indulsimus, et delicate habuimus, tamquam digni qui sic tractaremur; delicia nos ita molliaverunt; ut quantulacunque offensio videatur nobis intoleranda, quod contingere pueris delicatulis videmus ut semper sint irati, nec reputamus justane sit an injusta; institutori, educatori, hero, Magistratui, Principi, parenti, patriæ ipsi, legibus, æquitati, quum facinora nostra puniunt, irascimur, et si liceret nos ulcisceremur, et ulciscuntur qui possunt, ut mox dicam; itaque, ut ægri, intenti semper agimus ne quid nos lædat, quo fit ut non solum offensiones expavescamus, sed omnes offensionum species, umbras, signa: Quam miserum est sic animo ægrotare! Et ut sciamus stultitia nostra id fieri, non

na-

Quid vulgo
honor vocetur.

natura, citius injurias, quàm injuriarum umbras ferimus: discipulus adolescens mavult se a præceptore cædi quàm acriter objurgari, servus mallet alapam quàm grave convicium; in præceptis scholæ diaboli traditur minorem esse injuriam sauciari ferro, quàm colapho feriri, et leviolem esse contumeliam periculosum vulnus cum luculenta cicatrice, quàm fustuarium, vel etiam arundine semel attingi, aut virga; fuit, qui in jurgio minaretur alteri fustuarium, ille se vero pro accepto habere dixit, et omni crudelitatis genere vindicandum statuit fustuarium quod aër acceperat, non ipse: quid ille, qui in jurgio et pugna accepit, primum alapam, deinde gravia aliquot vulnera in thorace et lateribus, quibus post paullo vita est defunctus, quumque ei linirentur, quum obligarentur vulnera, quum adhiberetur quod, pro tempore poterat, remedium, subinde exclamabat, ne ista curatote, sed maxillam hanc, significans plus se ob alapam dolere, quàm de vulneribus, quæ illi præsentem mortem adferebant? quanto rectius exclamasset et prudentius, Sanate prius, si potestis o medici, hanc insaniam, deinde vulnera! An non aperte ostendimus robusta nos habere corpora, animos infirmissimos, quando vulnus potest corpus ferre, non potest animus verbulum? verbulum vero? immo id quod nemo facile dicat quid designet, nec quorsum sit accipiendum, ut labra extendi aut corrugari, aut connivere, aut intentius aspicere, puerorum more qui aliorum ridiculis gesticulationibus irritantur, et aguntur in ejulatus et lacrimas: Quid, quod ipsis puerorum lacrimis et muliercularum rixis admiscemus nos viri senes, et si diis placet, severi, etiam magna prudentiæ ac rerum usus existimatione onusti, et nostræ iræ in vicem succedunt irarum, quas prætervolans musca potest usque ad incendium excitare?

Quis possit persequi omnia, quæ humana amentia injuriam, contumeliam, dedecus esse sibi persuasit? quum sint alia omnibus prope nationibus communia, alia quibusdam, alia certis populis aut hominibus, quum vel casus sic accipiantur, tamquam judicio evenerint, ut regulam de tecto lapsam sauciasse aliquem, equum calce percussisse, accipitrem fimo inquinasse

ves-

vestem cujuspiam, impulsam quem ab alio in turba undante: hæc omnia ultione digna judicantur: nimirum, virtutis unica est ratio, vitii innumeræ sunt; hominis natura unica est et simplex, quam si sequeremur, ut inquit Cicero, nihil est tam simile sibi quàm essemus omnes omnium; sed ubi primum a natura discessimus, nullus alteri relictus est similis, ac ne sibi quidem ipsi, mira varietas rationum, viarum, sententiarum; concordiæ unus est modus, discordiæ infiniti, vasti, longissime inter se ac latissime dissidentes; nec satis est unumquemque acutissimum secum circumferre ad discordiam calcar, etiam alii aliis vel exemplo sumus ad nefas vel incitamento: quæ quis vel non intellexit, vel pro injuria haberi ignoravit, vel dissimulandum duxit, ea continuo non desunt qui injuriam esse doceant, nec ferendam esse censeant, ad ultionem stimulent, et quemadmodum ulcisci aut possit, aut debeat, commonstrent, eum esse amicitiae zelum rati, si amicum ex viro bono turbulentum et sceleratissimum reddant, hoc est, ipsis similem. Nec desunt, qui magna auctoritate ardenti discordiæ aridissimas fascas subdant; Poëtæ iram Jovi tribuunt, non utique moderatam aut mediocrem, sed ardentissimam et prærapidam, qua et filium de cælo deturbet, et uxorem catena pendentem puniat, et cælum concutiat, et urbes ac regna evertat; ira etiam viros fieri heroes, quales sunt Reges Homericis; inter philosophos fuit peripatetica natio, quæ iram fortitudinis cotem appellaret, a quibus illud manavit: *Generosus animus contumeliæ impatiens*: conjunguntque hi res diversissimas, feritatem iræ cum mansuetudine rationis, ut ratio vel ab effreni procurso auferatur, vel ministro utatur contumacissimo, qui non quantum jusserit domina ratio exequatur, sed quantum socia libido; scitissime Seneca: *Affectus quidem tam mali ministri, quàm duces sunt.*

Maximo Theologi supercilio eos, qui contumeliolas ferre nequeunt, et se quacunque ratione ulciscuntur, magnanimos appellant, permoti Aristotelis auctoritate utcunque intellecta, sed cui imprudentes plus interdum tribuunt, quàm Christo; certe si eum ipsi magnanimi censeant nomine, nullus æque fuerit pusillanimis ut Christus, et ejus discipuli, et quotquot ex Christi præceptis sanc-

Discordia
auctoritati-
bus fulca.

sancte et religiose vitam instituunt: quanto christianius Seneca! *Non est illa animi magnitudo, tumor est; non habet ira cui insistat, non ex firmo mansuroque oritur, sed ventosa et inanis est, tantumque abest a magnitudine animi, quantum a fortitudine audacia, a fiducia insolentia, ab austeritate tristitia, a severitate crudelitas:* at vero ubi iræ, satis per se incitatæ, tales accedunt hortatores atque auctores ea gravitate et fide, quanta celeritatis fit accessio, ut et se ipsa magis incitet, et avidius ultionem experat, quam videt adeo vitii nota eximi, ut etiam præclaræ illi ac generosæ virtutis nomen imponatur, et si prætermiserit, probrium illi et ignominiam esse paratam! quænam ergo melior restat spes, ubi vitii ita blandimur, et indulgemus, ut signum esse pronuntiemus animi generosi ac excelsi! Ita dulcuerunt hominibus discordiæ, ut multi ferre non possint amicos bene consentientes; omnem excogitent rationem dissidii; nec ulla omnibus gratiora spectacula, quàm vel veræ pugnæ, vel imaginariæ; ita ut rixantes et jurgantes multi lati ac ridentes spectent, uberioremque conviciorum et jurgii materiam occulte suggerant, modo hunc incitantes, modo illum, et victo se adjunctes quo diuturnius sit prælium, laudum orationes, quamlibet elegantes et artificiosas, quis potest nisi brevissimas devorare? convicia et maledicentiam nunquam exatiamur audiendo; merito queritur Demosthenes sumsisse sibi Æschinem favorabiliorem in dicendo et plausibiliorem partem, nempe vituperandi, sibi difficiliorem relictam, et quam minus auditores præferant, laudandi, et quidem sui: jam simulacra pugnarum præcipuæ cujusdam sunt in spectaculis voluptatis; olim gladiatores in arena, venationes, naumachia, athletæ, nunc militaria exercitamenta, certamina poëtarum, vel oratorum, disputationes in scholis, quibus homines intersunt litterarum prorsus ignari, jurantque singularem se ex illis voluptatem capere, nempe ex pugnæ imagine, nam verborum nihil intelligunt; in quo docti homines flagitiose peccant, qui illam de se hominibus imperitis præbent voluptatem, quos illi etiam jam, si Deo placet, non solum ut spectatores ad sua certamina admiserunt, sed ut arbitros, et judices, ut indignitati nihil sit relictum quo crescat.

LIBRI PRIMI FINIS.

JOAN-

JOANNIS LUDOVICI VIVIS

VALENTINI

LIBER SECUNDUS,

QUAM INHUMANITER HOMINES

exercent discordias.

Discordias suscepimus, alias vafre ac malitiose, plerasque omnes stulte ac pueriliter, sed omnes tamen inhumanissime et ex diaboli arte exequimur, atque exercemus; odii sunt (quemadmodum in superioribus diximus) fontes duo, invidia et ira; invidia degener est, meticulosa, plebeja, nec audet caput exerere, et cum non minus nocere cupiat quàm ira, tamen eam de se habet existimationem, ut aspectum hominum fugiat tamquam probrosa, immo abominanda: itaque nihil accuratius celat invidus quàm invidiam, quod turpe ac fœdum habeatur invidere; videlicet, quisquis alteri invidet, et illum superiorem tacite confitetur, et se parum suis bonis confidere; nemo enim, ut præclare est apud Ciceronem, qui suis confidit bonis, alienis unquam invidet: tametsi invidia, quantumcumque se se studeat occultare, tamen ita exedit præcordia, et contabefacit universum corpus, ut in vultu existat notabili quodam livore, a cujus etiam coloris appellatione ipsa nominatur; ultrix sui, in hoc uno æquissima, quum sit cetera scelerata atque atrox. Ira generosior existimatur, quippe quæ creditur rei indignitate permoveri, et tamquam ultrix est malorum, et ministra deæ illius Nemesis, quam veteres finxerunt indigna persequi, et vindicare; itaque nonnulli eam consulto ostentant, monstrum adeo deforme: quare invidia, quum sibi tempus lædendi videtur nacta, prodit iræ specie et cultu induta, contundit atque affligit bona, simulans se indignitate aliqua percussam justo dolori indulgere. Hoc malum tale est in rebus hominum, qualis crucea in frugibus, aut bruchus, qui optima quæque et fructuosissima arrodit, quale in animantium corpo-

Invidia.

Ira.

Invidia quo modo nocet

Tom. V.

Ss

ri-

ribus aconitum, quòd vitalia extemplo invadit et enecat: hujus propositum est dare operam, ne quid sit inter homines atque etiam Angelos boni, nam dæmones, ut acti invidia hominibus nocuerunt, ac nocent, ita etiam Angelis nocerent, si qua liceret; ira vero administram se invidiæ præbet, ut tantum invidia lædendo consequatur, quantum ira virium et facultatis habet.

Civitatum atque humanorum conventuum Instructores ac Rectores, quum nulla re facilius quàm injuriis, ira, ultione, hoc est, discordia, cœtus congregationesque hominum viderent dissolvi posse, et experimentis deprehendissent solere, cogmentari autem conservarique consensu et concordia, optimum factu sunt rati legibus latis et judiciis constitutis, de hominum inter se injuriis cognoscere, ut et pœnâ deterrerent multos a facienda injuria, et æquitate cohiberent ab ultione iratos, qui intelligerent paratam esse jure ac æquitate ultionem, ut liceret sibi suas injurias persequi, primum tuto, et sine retaliationione ultionis, hinc cum levi dispendio fortunarum aut quietis, tum etiam cum aliqua opinione boni et moderati civis, et ad coercendos motus animi impotentes periculum ostenderunt ei, qui non jure et legibus, sed ipse manu sua injuriam reposuisset: ergo, sicut corrupta corporis nostri natura effectum est, ut medicina, quæ alioqui in hoc fuisset intenta quemadmodum sanitas conservari, et vita longissime produci posset, nunc tota est in morbis vel depellendis vel cohibendis, aliis ex aliis renascentibus, et latissime se se effundentibus, ut satis ei superque negotii exhibeat hæc lucta, ita leges et jura, quæ in natura integra magistri tantum fuissent, et velut indices quæ esset via ad concordiam tenendam, nunc a discordia extricare se non valent, ut jam prope de concordia desperarint, abunde multum se adepturos censentes, si effreni huic, et rapaci discordiæ, frenos aliquatenus et retinacula injecerint: itaque videas magistratum, judicem, principem, imaginem rectoris mundi in munere quidem omnium pulcherrimo et maximo, occupatum tamen circa fæces et sordes rerum; *Meum ille surripuit: immo id meum erat*: pronuntiat lex: *Cujus avaritia sit justior*:

al-

alapam infixit, furem vocavit, minatus est, lotio perfudit, unguem medium ostendit, ore crepuit? severissima lex cogitur inter duos sedere aut pueros aut stultos, et qui tamquam injuriam hæc facit, et qui tamquam injuriam hæc accipit, ut magni aurifices in civitatis inopia scruta et nugas conficiunt ex vili materia, quando nemo est qui magna illa et preciosa emat.

Mirabantur olim Seneca, et alii sapientiæ professores, tria fora vix, sufficere urbi Romæ; atqui erant illi ethnici, civitas amplissima, sedes imperii totius orbis; nunc, quod est in christiana gente tam frigidum oppidulum, cui duo sufficiant? Brugis vivo, urbe non perinde ut alias opulenta et frequenti, populo mansuetissimo ac civilissimè educato, et tamen hic quinque sunt fora, nec omnino muta aut deserta: nec satis fuit leges esse de litibus, olim inter gentiles, nunc inter profanos constitutas, etiam sacri atque initiati homines litigant, et forum habent, et formulas, et accusationes, et testes, et judicem, et lictorem, et carcerem, et carnificem, et gladium, et ignem, et venenum, sacerdotes illius Christi, qui quum esset omnium Dominus, judex vivorum et mortuorum, tamen roganti cuidam ut fratrem juberet hereditatem secum partiri, respondit, O homo, quis me judicem constituit inter vos? Sed nec tot leges, tot fora, tot judices cuncti tantum habent virium ut morbum tollant; tantum premunt, ne se proferat; neque enim Judicium, vel concordiam sarcit, vel discordiam diluit, sed cohibet modo manus, iramque se effuse proruentem; odia tantum abest ut leniat, ut sæpe exasperet, ac tumefaciat; quandoquidem judicio victus perinde ex foro discedit, quasi non jure abiret inferior, sed injuria, sed fraude, litigatori, judici, et legi iratus: vellem potius ad hoc leges, judices, mores civitatum, populorumque, incumberent, ut inquietos hominum animos castigarent, docerentque quàm indigna homine faceret, et qui injuriam alteri inferret, et qui studeret referre; concordiam nunquam constaturam, si uterque, quantum legibus permittatur contendens, alterum vicerit; citius mansuram concordiam, si uterque de suo jure cedens alterius caritati ac benevolentia odii causas condonarit, ut et qui læsit, doleat se in

Brugis quinque fora.

Ss 2

ami-

Leges ad cohibendas discordias.

amicitiam peccasse, et læsus facile amico ignoscat: hæc erat expeditior via ad concordiam, quam tradidit magister veræ sapientiæ Dei Filius: ergo quum affectus affectum repercutit, ira celatur vel metu territa vel spe delinita, *infida illa*, ut Seneca inquit, *et mala affectionum pace*; ceterum ubi vel ira acrior atque impotentior est quàm ut legum subsidia expectet, vel qui contendunt, legibus se et magistratibus superiores putant, tum effervescit animus, et tamquam concitatum mare assurgit, nec absurde tempestatum assimilatur ira, sive origo spectetur, sive effectus.

Ira tempestas.

Est enim maris tempestas velut quædam ejus ebullitio; et philosophi iram, *fervorem* diffinierunt *sanguinis circum cor*: continuo tempestate surgente cœli facies mutatur in tetrum quendam et horribilem aspectum; non alius est hominis vultus ira incandescente, et quemadmodum iratum hominem, ita etiam iratum cœlum dicimus: Quanta oris totius distorsio et tumefactio! quàm torva facies! pro fulgoribus sunt oculi, quemadmodum Homerus inquit de Agamemnone, *Irato illi oculi in modum ignis fulgurabant*; Tonitrua sunt inconditum quoddam murmur, et ut mare agitur, sic corporis totius fit concussio ut nesciat stare loco; fulmina sunt convicia, et verba atrocissima, magis plerunque quàm ipsum fulmen noxia et periculosa; sunt quibus facundia in ira suppetit, ut de Caligula scribit Tranquillus; ibi dicenda et non dicenda effunduntur; dum se ira sævissimis dictis simul irritat et ulciscitur, tum atrocissimè quidque jacitur, et ea profunduntur, quæ omnem ad gratiam reditum intercludant, quæque per idem redeant jugulum, quæ exierant; sunt quibus, sumente vires ira, et mens ad cogitationem confundatur, et ad loquendum lingua, tum verba perplexa et perturbata et sermo sine mente ac sensu, quæ satis ostendunt quemadmodum intus sit animus affectus; nonnullis vox intercluditur, tantum fremunt absurdum quiddam ac inconditum; alii crassiore pectore, et magis naturæ ferinæ, nihil prius verborum jaculantur, sed continuo rem manu exequentur, quos multi animosissimos vocant, id est, minus homines, magis bestias, quibus iræ sunt præcipites, et impetus pro sermo-

mone, ac querimoniis; tum pro telo est vel manus ipsa, vel pes, vel cubitus, vel caput, aut etiam sputum, denique quidquid primum est ad manum: (1)

Furor, ut dicit ille, arma ministrat:

Rudi adhuc seculo, manus, in pugnum contracta, erat pro telo, unde pugna nuncupatæ; hinc ira telum fecit quidquid jaci posset aut quo homo cædi, liber, candelabrum, panis, scutella, titio, lapis, lignum; nihil non erat hominem læsurum molle ac tenerum animal: robustior deinceps facta est indies ira, et robustiora quæsit instrumenta; erutum est ferrum, quod natura altissimè condiderat; gladius fabricatus, quo una plaga posset confici homo.

Pugna cur sic nuncupata.

Sed ultionis duo sunt genera, alterum belluarum, alterum diabolicum, nam humanum nullum est: bestia irritata impetu aguntur, et quantum per vires licet, præsentis commotioni satisfaciunt; ubi refrixere, simul injuriæ memoriam, et ulciscendi aviditatem cum affectu deponunt; homo vero, quod non modo homine se pejorem declaret, sed etiam belluam, non contentus incitato affectui indulgere, recordatur et injuriæ, et ejus qui fecit, et amicorum, et propinquorum illius; non in diem unum, aut mensem, aut etiam annum reservat, sed in multos annos et ætates; ira enim, ut est in veteri verbo, *Omnium tardissime senescit*, et inimicitias per manus filii, et nepotibus cum hereditate tradit, et ultionem legat, et in hoc excitat vires omnes atque artes rationis, judicii, consilii, ut viam ad vindictam inveniat, ut non in aliud videatur magna illa munera, quibus belluas excedit, accepisse, nisi ut per illa ipsa, quibus bruta antecellit, brutis fieret deterior, ut Cotta ille Ciceronianus visus sit quibusdam merito rationem calumniari tamquam nequitia, flagitiorum, scelerum omnium instrumentum, tametsi ea res poterat illum commonefacere naturam nostram ab integritate sua recessisse: Quid illud? quale esse dicam quod ultio non concluditur eo qui injuriam fecerit, sed latius se expan-

Ultionis duo genera.

(1) Virg. Æneid. lib. 1. vers. 154.

pandit? unus læsit; plectuntur multi: apud quasdam nationes, quæ quum ipsæ sibi abunde ad humanitatem videantur informatæ, inhumanissimè vivunt, ad reponendam injuriam non modo auctorem requirunt, sed parentes, fratres, filios, avos, proavos, nepotes, pronepotes; patruales, patruos, consobrinos, omnes propinquos, affines, gentiles, quacunque sint valetudine, conditione, sexu, ætate, ut etiam pulchre videatur sibi functus ultionis munere, qui lactantem puerum in ulnis nutricis cæciderit propinquum ejus, a quo sit violatus: et ut injurias ad tam multos extendimus, ita non solum nostras persequimur, sed omnium qui vel consanguinei sunt nobis, vel affines, vel affinium affines, amici, clientes, sodales, noti, amicorum amici, amicorum noti; et hæc non ut injuriam prohibeamus ne fiat, aut quum fit, inhibeamus ne se latius effundat, quod forsitan excusationem haberet aliquam, sed ut factam, et prope jam oblitteratam, renovemus, et vindicemus, ut nova injuria non medeamur priori, neque enim id jam possumus, sed utranque exacerbemus.

At quorum injurias videri volumus ulcisci, etiam cum aliquo vitæ, aut fortunarum discrimine, certe quietis ingenti dispendio, eos non juvaremus exiguo aliquo labore, aut argenteo numo; in juvando tam segnes et maligni, ad nocendum prompti et liberales; quin, si amicissime ad rem profuturam sibi ac honestam, operam nostram aut pecuniam utendam roget, licet sine dedecore recusare; si levissime notus vocet ad nocendum alicui, maximum dedecus excusasse, immo ultro et invocatos oportet ad ejusmodi præclara facinora venire viros fortes, ad res sanctas semper occupatissimos, ad res turpissimas nunquam non liberos ac negotio vacuos: evigilavit in hoc vis illa humanæ rationis prope divina, quasi id unum esset suum munus, tanta cura injuriarum momenta expendit ac digessit, tum quæ quibus injuriis responderent ultiones, hæc capite vindicanda, illa fustuario, alia arundine, alapa, vulnere in facie, mulctatione fortunarum, dignitatis: satis hæc quidem expensa sunt diligenter et exacte, sed ab istis tam acribus appensoribus pervelim audire: Istis ipsis humanis ultionibus quæ tandem divinæ

res-

respondeant? hærent (ego eis paucas explicabo) corporeis spiritalibus, levibus gravissimæ, atque acerbissimæ, momentaneis æternæ: omnia oportet discordiæ servire, non interna modo, sed externa quoque; sermonem, et lacrimas, et amicitias, quas ad mutuam auxilium ex Dei munificentia acceperamus, in mutuam perniciem convertimus, amicus amicum, frater fratrem, vicinus vicinum, civis civem, non ad opem ferendam imporat ut in commune prosint, sed ut alii noceant; fit manus hominum consentientium in ultionem ejus, quam illi injuriam interpretantur, vel quòd causæ favent, vel quòd homini, aut quòd alii alias spes sequuntur; induunt arma, existit factio, et quum leges et major potestas non timetur, vocatur bellum, vel civile intra eadem mœnia et cives, vel externum inter duos populos ac nationes, et cui sub legibus crux et alia sunt suppliciorum genera parata, supra leges non solum impunitum est, verum etiam honestum et gloriosum; quod *belli* nomen a *bellis* deductum esse testatur Festus latini sermonis bonus auctor, quippe res est bellis magis congruens quàm hominibus; hic enim ad humanitatem mansuetudinemque est a natura formatus ac fictus, illæ vero ad feritatem et incursus animorum, sed ita tulerunt nostra scelera, ut quod malum congruentius bestiis videretur, illæ non facerent, nos faciamus quod a nostra est natura alienissimum, quodque illa maxime avversatur atque abhominatur.

Belluarum dicis esse bellum? atqui nulli animanti, quàm homini, sicut Plinius inquit, pavor confusior, nulli rabies acrior; cetera animantia in suo genere probe degunt, congregati videmus et stare contra dissimilia, leonum feritas inter se non dimicat, serpentum morsus non petit serpentes, ne maris quidem belluæ ac pisces, nisi in diversa genera sæviunt; solus, quem minime omnium conveniebat, homo belligeratur, ut appareat reliqua in natura sua permansisse, hominem ab ea descivisse ad aliam pejorem, ut fruges nunquam in melius degenerant: facile intelliget contra hominis naturam esse bellum, quisquis bellandi causas excusserit: naturale videtur esse famem et sitim sedare ob quæ interdum sæviunt feræ, propulsare vim

Bellum cur
sic vocatum

et

et molestiam frigoris, æstus, pluviarum, nivium, denique cœli injurias, desideriiis naturalibus satisfacere: de nulla harum rerum est bellum: Galli olim magna manu alpes superarunt, Italiam sunt ingressi; Helvetii Galliam: Cymbri Italiam; Gothi Europam; nullus alimenta, nullus naturalia desideria sequebatur, omnes delicias, alii vinum, alii oleum, alii locorum amœnitates: anno abhinc septimo magna fuit in quibusdam Europæ regionibus frugum inopia, gravissima omnium in Bœthica Hispaniæ, ut ingens hominum numerus per vias publicas, et sub privato, stratus jacuerit fame absumtus, jumenta omnia perierint, ut in sequenti anno ad terram vertendam hominibus ipsis trahendum fuerit aratrum; quis egressus est domo? quis sumsit arma ut tam diram luem effugeret? verbulum unum, ambitio, avaritia, manus ferro armat, et in bella gentes ac nationes propellit; adeo facilius ferimus quod naturam lædit, quàm quod superbiam, videlicet ad hanc defecimus ab illa: morimur intra mœnia, quum egressis liceret vitam progrogare, et laboris odio teterrimam omnium mortem oppetimus, nempe fame contabefacti; superbia nos aut stoliditas per tot agit casus, per tot discrimina, per maria vastissima, per saltus profundissimos, per desertas humano cultu et inhospitales arenas, per venena, vel feras gentes, belluis quàm hominibus similiores, procul a patria, a penetibus, a conjugum complexu, a conspectu liberorum, et agit ea res non unum aut alterum hominem, sed populos et nationes avitis sedibus; idcirco illi, variis casibus ac calamitatibus immersi et obruti, exempla humano generi ediderunt nova, admiranda, horribilia: ex principibus alii turpiter et cum ingenti ignominia et damno coacti redire, ut Cambyses, et Marcus Antonius; alii oppressi in cursu felicitatis, aut ex summo rerum fastigio uno turbine ad solum elisi, ut Cyrus, Demetrius, Pyrrhus, Hannibal, Crassus, Pompejus, et Romani Principes, quorum iniri numerus non potest; ex nationibus aliæ toto orbe dispersæ, quæ ipse ultro solum verterant; aliæ ita conciderunt, ut nec superfuerit qui tantæ nuntium cladis domum posset afferre, sicut Helvetii, Cymbri, Galli Senones.

Postea

Postea vero quàm semel revulsa sunt concordia et veracundia repagula, ibi nullus est atrocitatis modus, excæcata cogitatione vel ad memoriam vel ad considerationem humanitatis, nullus sanguinis, nullus necessitudinis aut meritorum respectus, immo in eos sævitur crudelius, quos ratio et natura jubent debere nobis esse commendatiores, in fratres, in amicos fratrum loco habitos, in nomina carissima; nam illud est ex præceptis superbiæ, hoc esse majorem injuriam, quo a conjunctiore inferatur; quasi vero nihil oporteat ad concordiam valere cogitationem propinquitatis et sanguinis, memoriam jucundæ conversationis, recordationem officiorum aut etiam beneficiorum; nimis est illud verum: *Cui dolet, meminit; cui placet, obliviscitur*; Primus frater Cain fratrem suum Abelem obtuncavit, quod is gratior esset Deo; quasi Deo futurus esset ipse acceptior per offensam; quid hunc censemus facturum fuisse Deo, si licuisset, qui fratrem occidebat quod illi videretur carior? Satis hoc ostendunt qui Principes suos oderunt, quod apud illos valeat aliquis gratia, vel auctoritate, magis quàm ipsi, et injuriam interpretantur nullum suum damnum, sed beneficium alienum, et Deo se irasci cautiores occultant, imprudentiores patefaciunt, non Principes solum, quos eo insolentiæ evexit perpetua fortunæ indulgentia, sed privati quoque homunculi et plebei, quos affectus impotentia dereggit. Cæjus Caligula Jovi irascebatur, et ad pugnam eum provocabat, et se in Græciam remissurum eum sæpe est minatus; lenones, latrones, milites, et alii homines impuri ac facinorosi, si quid displicet, blasphemias in Deum et Divos omnes abominabiles jaciunt, manu rem decreturi, si possent: *O clementiam naturæ Principis!* hæc omnia ille audit et perfert, et illis ipsis nasci solem, et annum progredi jubet, et terram fruges fundere, quo alant linguas contaminatissimas, et vitam scelestissimam progrogent: Romulus Remum occidit ne parem in potentia haberet, quumque bene se fratre liberatum putaret, Tatium non potuit effugere; et qui fratrem geminum non tulerat, coactus est Sabinum hominem perferre.

Sed quid veteres tragædias evolvimus, et connumeramus

Tom. V.

Tt

Po-

Polynices et Ethocles, Atreos et Thyestes, Demetrius et Persas, Jugurthas et Adherbales, Neronis et Britannicos, et vetera alia fratrum nomina? Princeps Turcarum a nece fratrum suorum regnum auspicatur, quod solenne fuit Regibus Persarum; ætas patrum et nostra vidit fratres cum fratribus commissos, filios fratrum et sororum a patris et avunculis occisos, fratres a fratribus interemptos, non solum inter Principes christianos, sed etiam in plebe; hæc prodente me, hic Brugis duo fratres a fratribus sunt occisi, alter ob hereditatulam, alter ob verbulum; filium armatum in patrem, et quod mirabilius est, patrem in filium, quoties legimus! Nec exempla ætate patrum defuerunt, nec nostrâ forsan desunt, sed quia in persona ignobili, ideo minus notabilia; et quum humana rabies ab ipso eodem patre, qui hoc quod videmus ac tangimus genuit, manum non contineat, quid addam de heris, de præceptoribus, de educatoribus, de magistratibus, de legibus, de patria, quos omnes unicuique nostrum parentis non habere locum ac majestatem nefas est? tametsi nescio an hi animorum patres majorem sibi suo jure venerationem ac pietatem vindicent; illi enim corpora procrearunt, isti mentes, nec potuit aptius dici, quam quod Paulus Apostolus quos in fide erudit, et genuisse se dicit in Christo, et ex eis rudiores, et quasi inchoatos, parturire adhuc, quoad in eis Christus formetur: efficiunt corporales patres ut simus animalia, spirituales vero ut homines; nam quid esset alienius a mente, a judicio humano, quid silvestrius homine, semota educatione, admonitionibus, consiliis, disciplina? Ergo hoc tanto beneficio, quod proximum est illis cœlestibus ac divinis, quid excogitari potest amplius aut sacrosanctius? Atqui multi se in præceptorem, in bene monentem, in eum qui rudem ætatem excoluit atque expolivit, qui errata castigavit, qui belluinos animi motus compressit, et quatenus potuit ad rectum atque humanitatem informavit, in hos (inquam) asperos se atque inhumanos præbent, et tantum beneficium tamquam gravissimam injuriam, aut intolerabilem contumeliam, puniendam ducunt; Qui admoniti meliora tales sunt bestiarum, tam feræ, tam immites, quales essent relictis sibi ipsi, nunquam edocti

ab

ab iis, quibus eam gratiam pro maximo merito reponunt!

Stolidissimus Hercules Linum præceptorem asperius quidam monentem confecit; Quot adolescentes, ob peccatum aliquod cæsi ut plagis admoniti caverent in posterum, alii calenti adhuc vibice, alii frigefacto jam, et multos post annos, utilissimæ virgæ, id est, formationis ad virtutem, præmium, ferro ac nece optime meritum repræsentarunt! quibus tantum debebant, ut nec satisfacissent, etiam si corpora et vitas suas pro illorum salute ac commodis obtulissent: O homo! siccine remuneraris eos, qui te hominem fingunt, qui te degenerare in belluam! Alcibiades et Coriolanus bellum patriæ fecerunt, Cæsar Cæsar patriæ et libertati; an non liquido quisvis perspiciat esse a natura aberratum, ut quod maxime et ad veniam debebat valere, et ad concordiam, id sit ad discordiam et odium efficacissimum, nempe cogitatio sacri nominis, et memoria caritatis? Natura hæc tam præclara dederat munera, recordationem, rationem, mentem; superbia ademit, at semel in discordiam ingressis, ita se ipsam irritat sævitia, ut occupato prorsus toto pectore nihil minus eo admittat, quam ullam concordiam aut reconciliationis mentionem; ineptam esse judicat, importunam, irridendam: bello civili Vitellii et Vespasiani, quum legatos ex urbe Vitellius ad Antonium et Vespasiani exercitus de pace misisset, miscuerat se legatis, inquit Tacitus, Musonius Ruffus, equestri ordinis, studium philosophiæ et placita Stoicorum æmulatus, cœperatque permistus manipulis, bona pacis ac belli discrimina disserens, armatos monere; id plerisque ludibrio, pluribus tædio, nec deerant qui propellerent, proculcarentque, ni admonitu modestissimi cujusque, et aliis minitantis omisisset intempestivam sapientiam. Sunt qui ipsi sibi succenseant, quod non satis irascantur, ut ille in tragœdia, *Non satis magno meum ardet furore pectus, impleri juvat majore monstro*: In ira vero subito verbo aliquo aut obsequio frontem exporrigere, atque exhilarari, turpe existimatur, et inconstantiam deputatur, scilicet, ita jam præjudicavit insania insaniam esse ab insania discedere, stulti et dementis a feritate ad humanitatem redire: Invenias quasdam nationes, quæ non reponere injuriam,

Tt 2

aut

aut ignoscere, turpissimum omnium esse ducant, et cum qui id fecerit, propinqui abjurant, et ignominiae loco habent consanguineum se illius confiteri: quid ea re dici potest barbarius? quum id constet et in humana philosophia, et in divina sapientia, maximi et excelsi animi, et illius Dei naturae simillimi, esse injurias contemnere.

At quantis odiis armati concurrunt, quantas si haberent vires, nihil ex homine restaret; nollent interdum mortem esse finem victoriae, sed mille mortes, mille cruciatus, et animam, si possent, extinguere: Bello Punico secundo, quum in armis essent duo totius orbis potentissimi populi, Romanus et Carthaginensis, traxissentque bellum in Europam et Africam, tantis copiis, opibus, praeliis, caedibus, strage peccorum, hominum, agrorum, civitatum, tamen Livius scribit majoribus concursum esse odiis, quam viribus: Quanta oportet fuisse odia! Hostium intestina vorata sunt per hosce annos ab hostibus in Italia, et sanguis haustus quo se crudelitatis sitis satiaret; si cui filium leo laniasset, et is extemplo leonem esset nactus, non tam acerbe se de leone ulcisceretur, ut homo de homine, christianus de christiano: odii magna sunt et saeva indicia arma, quae antiqua aetas excogitavit ad laedendum, et quae nunc levia existimantur, et mitia, praeter ista, quae insequentibus aetatibus invenerunt, gladius, hasta, arcus, scorpio, in quo tamen recens e Sicilia allato exclamasse ferunt Archidamum Agesilai filium Dorica illa sua lingua, *Periit viri virtus*; haec quidem pugnae; muris vero in obsidione subvertendis testudo, aries, et reliquae machinae; christiani ad excogitandum acutiores rudem vetustatem superavimus, Bombardas invenimus aereas non unius generis, sed ingentes, minores, minimas; et quas decem tauri loco non moveant, et habiliores; et quarum quamque singuli homines gestent ut lanceam; et quae unum globum jaculantur, et quae multos: Proh superi immortales! quis hostis humani generis rem excogitavit adeo exitiabilem, abominandam, funestam? an haec est Dei ira cupientis jam humanum nomen penitus delere, et imponere mundo suo finem? non est inventum hoc gentilium, non Agarenorum, Christianorum est; quis hic nos adjuvit? Spi-

Arma.

Bombarda.

ri-

ritus, credo, sanctus ille, qui, ad significationem mansuetudinis, columbae est symbolo ostensus. Ferunt olim fuisse Salmo-neum quendam in Graecia, qui quod sonitus tonitruum Jovis, et non imitabile fulmen, aere et cornipedum cursu simularat equorum, ictus sit fulmine a Jove, et gravia pendat apud inferos supplicia: quod hujus rei inventori fulmen? quae satis erunt supplicia, qui non solum effinxit tonitrum, sed vicit horribiliore strepitu? Nam vim et injuriam fulminis utinam solam haberet bombardas, et non unaquaeque esset nocentior, quam omnia totius aetatis fulmina; fulmen unum, unum hominem absumit, bombardas una quotquot una serie obvii sunt venienti globo, tanta violentia ut nec latera sint tuta; occiduntur etiam, quos discerptorum corporum frustra volantia contingere: Rex ille ostenso scorpione perisse virorum virtutem est questus, quod fortissimus vir sagitta extingui posset priusquam manus consereret: quid nunc dicturus, quum non unus vir fortis, sed multi uno bombardae ictu discerpuntur?

Ergo jam pridem nec vires, aut animus cujusquam est notabilis, nam fortissimus quisque inter primos antequam acies congregiantur, cadit, nec locus ullus satis munitus; Dicaearchum, Peripatericum, virum doctum, et totius memoriae antiquitatis peritissimum, collegisse, scribit Cicero, omnia cladum genera, quibus unquam humanum genus esset afflictum, pestes, fames, eluviones, incursus bestiarum, terramotus, et ex altera parte posuisse bellorum injurias; has vero ostendit plures homines absumsisse, quam reliquas omnes, et tamen nondum tot bella, tanta continuatione, tot locis, tanto furore erant gesta, quam fuerunt post illum; nondum cognitum erat bombardas Satanae inventum. Seneca rabiem explicans odiorum, *Castra ponit ex utraque parte contraria, et parentum liberorumque sacramenta diversa, subiectam patriae civis manu flammam, et agmina infestorum equitum ad conquiendas proscriptorum latebras circumvolitantia, et violatos fontes venenis, et pestilentiam manu factam, et productam obsessis parentibus fossam, plenos carceres, et incendia totas urbes concremantia, dominationesque funestas, et regnorum publicorumque exitiorum clandestina consilia, et pro gloria habita quae,*

quam-

quamdiu opprimi possunt, scelera sunt, raptus ac stupra, et ne os quidem libidini exemptum, adice nunc publica perjuriam gentium, et rupta fœdera, et prædam validioris quidquid non resistebat abductum: sic Seneca; in quibus ille describendis, Syllana, aut Pompejana respiciebat tempora, aut regnum illud triumvirale: num hæc insequentia dedidicerunt secula, aut ulla fuit tam Deo cara ætas, quæ ista omnia non auctiora viderit? Misera cogitatu rest nullum fuit inventum tam utile hominum generi, cujus non magna pars hominum socordia interciderit; bellica inventa, artes, stratagemata, doli, crudelitas, omnia manent etiam hominum ingenii aucta in melius, hoc est, in pejus; cessavit in aliis rebus ingenium, multumque ab illa veterum diligentia degeneravimus; in bello semper evigilavit ratio, iudicium, cogitatio, meditatione, usu, exercitatione; homines socordissimi, et qui hominum nihil habere videbantur præter faciem, ingenii tardissimis, pectore frigidissimo et inertibus, in hac una arte ceteros omnes antecellebant; utinam hi essent progressus facti in sapientia, vel arte quapiam vitæ utili! Et reliquæ omnes artes habent suas exercitationes, suas remissiones, sua tempora, quibus honestæ et præclaræ vigent, mox decedente precio, atque hominum æstimatione, languescunt, ac jacent, post redit honos, reparantur; belli, sicut ille queritur, *nulla ferix*; rerum etiam jucundissimarum, pecuniæ, voluptatum, satietas aliqua, belli nulla: si quis seriem rerum a Nino Assyriorum Rege percurrat usque ad hæc tempora, nullam inveniet in humano genere bellorum intermissionem, nisi annis aliquot, quibus natus est Dominus: urbs una Roma per septingentos annos bis tantum clausit Janum suum indicem bellorum, et pacis, semel sub Numa, iterum paullo post bellum Punicum primum paucis diebus.

Nos adhuc christiana gens sceleratius, qui his mille annis non interquievimus quin bella continenter gesserimus alia ex aliis nata, ut prius seminarium videatur fuisse posterioris, ita connexa inter se, ut annuli in torque: et si quis res anguli huius, in quem christianum est nomen contractum et coarctatum, evolvat, ac inspiciat, inveniet materiam esse bellis paratam ad

SEX

sex millia annorum, si Principes modo, quod hactenus fecerunt, dicta, damna, promissa, fœderum capita, hereditates, jura mordicus teneant, et persequantur: ibi videtur intendisse nervos ad discordiam affigendam et propagandam diabolus, ubi maxime jussa erat concordia, ut, quemadmodum ille apud Paulum queritur, occasionem nactum sit flagitium per legem, et peccatum quod ante præcepti promulgationem jacebat, subito præcepti voce audita excitatum sit ad convocandas vires contra prohibitum: olim mirabantur gentiles esse Cares gentem quandam in minore Asia, quæ aliena bella mercede gereret; itaque quod animas venales circumferrent, tam habiti sunt viles, ut si quid cum periculo experiendum foret, *in Care juberent id fieri*; nunc nationes omnes christianæ, quæ, proh dolor! sunt perpauca et digitis possent computari, omnes mercede in bellum conducuntur, non a christianis solum, quod vix esset ferendum, sed sub Turca faciunt stipendia, etiam contra christianos fratres suos: an ullum unquam fando audivimus Agarenum sub christianis ducibus contra populares suos merentem? Atqui nos tanto furore in fratres nostros debacchamus, ut illos in subsidium contra christianos advocemus, et in illorum castris militemus in iis bellis, quibus illi cladem universo christiano nomini ac exitium minantur: tanta est odii rabies, ut nihil dubitemus, modo inimico uterque eruat oculus, nos unum impendere; sæpe etiam utrumque lumen libenter amittere, dum ille alterius faciat jacturam; nimirum qui est oculorum usus, cum simus cæci? Itaque non gravate amittimus, quorum nihil indigemus: (1)

Hæc ipsa pollens inclyti Pelopis domus

Ruat vel in me, dummodo in fratrem ruat;

sic enim Atreus imprecatur: quærat aliquis, quid ergo? tam dulce est bellare, ut ita homines sine fine, sine modo, belligerentur? minime vero, immo nihil est acerbius, ut mox dicam; sed naturæ rerum sunt aliqui termini, superbiæ nulli, idcirco artium, meditationum, exercitationum, voluptatum, sunt oportunitates et limites, ad quos illæ progressæ revertuntur, hinc videmus in anno, in ætate hominis, in animo, in corpore, in cœlo, in elementis, redeuntes vices; superbia semper incensa, semper

(1) Seneca Tragediæ Atreus servus. Vers. 15.

Belli nulla
satietas aut
finis.

per ardens, nullum novit finem, de qua est illud in sacris Psalmis: *Superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper*; si nihil fiat venienti obvium, effundit se; si quid obsistat, irritatur, et sumit vires, ut majore impetu quidquid iter morabatur, proturbet; nec jam superbus hominem se esse meminit, et brevi moriturum, et Judici illi omnipotenti redditurum de cogitationibus rationem, nedum de factis, dictisve.

Ergo omnium illorum oblitus, injuriarum et dolorum suorum sensu non modo homines, sed bruta animantia, et mutos lapides, cœlum, ac elementa, permoveri debere censet, quasi Deus aliquis afficeretur, in cujus salute mundi esset salus conclusa et comprehensa; itaque nullus est Princeps, qui non affectibus suis totum humanum genus concuti vellet, et, quatenus potest, dat operam ut omnia secum confundat, nec terras et maria, quoad ejus fieri potest, relinquit immota, omnia ad internum suum tumultum vellet tumultuari, quietis iratus infensusque: *quid agis? quo te protipis? quo ascendis superbia? quo aspiras? An hoc est ullo modo, vel Deo, vel Angelis, vel hominibus ipsis recte statuentibus, tolerabile, postulare unum homulum, ut propter affectionem, propter odium suum, propter suas inimicitias, claudantur navigationibus maria, excindantur segetes, revellantur arbores, vastentur agri, excindantur villæ, oppida, urbes, et, quod est omnium indignissimum, tot hominum millia mortem oppetant, quia sic illi est visum, sic placet, sic decrevit libido? Non agitur de ejus vita et salute, sed de ditione aut dignitate, immo vero de ditionis aut dignitatis particula, sæpe etiam de verbulo uno temere elapso; ferremus hoc, si equus de equis tantum sibi sumeret, aut canis de canibus, aut Angelus de Angelis, et hoc sibi licere jus fasque esse, existimaret? At qualis homuncio id vult sibi concedi! quam temporarius! quam non diuturnus! quam diurnus potius atque adeo momentaneus! et in eo vitæ puncto eam connectit materiam ac seriem, quæ satis sit decem hominum ætatibus molestissimo ac miserrimo negotio exercendis, ipse sæpe, dum telam orditur, extinctus, quid, quod etiam in privatis hominibus hoc vult, hoc postulat quisque,*
hoc

hoc contendit, ut omnes inimici sint ejus, quem ipse oderit, etiam si is alioqui plerisque sit eorum commodissimus, et illius usus ac familiaritas utilissima, interdum quoque necessaria? Ascendit altius superbiæ impotentia, et non contenta homines inquietasse, Deo facesseret negotium, si valeret; dum ipse, quas vocat injurias suas ulciscatur, et obsequatur sævissimo animo, paratus est in extremum discrimen legem ac pietatem Dei adducere, accitis ad instrumentum suæ crudelitatis, qui sacra omnia conculcent, et profanent. Jam, tanta est in natura nostra imbecillitas, ut magnæ sint vires opus ad eam juvandam, exiguæ seu nullæ potius ad lædendam, quippe ipsa sibi invaliditate sua natura officit, etiam si aliud desit: ergo qui facit injuriam, continuo accipit, vel quod alienis læditur viribus, vel quod ipso suo conatu; ut delicati pueri, quos offendit quantalacunque motio, et quum cædunt, magis sibi, quam illi quem percutiunt, nocent; idcirco nullus est finis discordiæ et bellorum, quia nec est injuriarum, dum quisque injuriam interpretatur et quam ab alio accepit, et quam ipse quoque dum alteri nocere cupit, sibi fecit.

Quid, quod sunt in animo tantæ ex superbia deliciæ, ut multi injuriam sibi illatam censeant, quod sibi ex animi sui sententia facere non licuerit? Sic iracundus præceptor in discipulum incenditur, quod flagra quietus ac placidus non accepit, et multi, quod quem volebant ferire, se subduxerit: Cælius Fimbria, factiosus homo, improbus, importunus, Quintum Scævola Pontificem, innocentissimum virum, in funere Cælii Marii sauciandum curaverat, et vel quod senex se celeriter subduxerit, vel hominum tumultu percussor retardatus atque impeditus, non eam fecit plagam quam Fimbria voluisset, diem Fimbria dixit Scævola; mirabantur omnes quid esset in eum virum dicturus, quem nemo satis posset pro dignitate commendare; Ego vero, inquit Fimbria, crimini illud do, quod non toto corpore immotus ferrum acceperit: An non Principes novimus, qui causam gravissimi belli ceperint, esse suos a populatione et latrocinio repulsos? Si ergo injuria est non fecisse injuriam, quantum quis concupierat, minime mirandum est tam fecundam

Qui facit injuriam accipit.

Discordiae
inter doctos

esse dissidiorum materiam. Sic exercent odia, et similtates, homines imprudentes, nec humanitatis studiis exculci et ad meliorem mentem informati; quomodo vero ii, quos sapientiae praecepta, sanioribus iudiciis instructos, a vulgi opinionibus semoverunt, magnitudine animi, temperantia, modestia, et moderatione ceteris eminentes ac suspiciendos? Pudet dicere, et mallem multo praeterire, ne quid in ordinem meum dixisse videar contumeliose, sed res est notior quam dissimulari ut possit; itaque attingetur a me, tum ut reliqui cognoscant non deesse inter nos, qui nostra vitia et intelligant, et vituperent, tum ad castigandos meos populares; nam illi, quum in eo gravissime peccant, quod professi moderationem affectuum, ita incenduntur, tum vero quod auctoritate ingeniorum, ac doctrinarum, exemplo sunt aliis ad rabiem dissensionum: si quis de vocula vel litterula dissentiat, non aliter interpretantur quam si de toto ingenio iudicium ferat tristissimae litterae tabellam in urnam missa; quasi vero non possim in formosissimo corpore navum improbare cum admiratione pulchritudinis! Platonem, Aristotelem, Hippocratem, Ciceronem, Senecam, Quintilianum, Plinium, Divum Hieronymum, Divum Augustinum, et alios huius notae viros, ut litterarum artiumque quosdam parentes suspicimus, et eorum scripta pro oraculis habentur; at quam multa sunt in eis, quae nos conniventer legimus, alia quae aperte rejicimus? Nec tamen minor est ad animos nostros illorum auctoritas et dictorum fides, videlicet quos fuisse magnos homines fatemur, homines tamen fuisse dicimus, qui, ut scierint plurima, plura tamen ignorarunt, et fallere potuerunt, quemadmodum et falli.

Nos contra, nolumus pro hominibus haberi, et quam saepe excusationem alienis erratis ultro et humane tribuimus, *Quod sint homines*, in nobis diabolico fastu rejicimus: plane ita est, non est homo, sed pecus, is homo, qui homo non vult existimari: jam in ipsa philosophia quae affectus moderatur, et mores componit, quam Socrates devocasse de caelis, et in caetus hominum ac civitates introduxisse, jure laudatur, quomodo dissentiant, ut concitasse videatur perturbationes omnes animi,

et

et frena excussisse, illa, quae reperta in hoc fuerat, ut sedaret, et cohiberet? Agitur de modestia ac moderatione; omnia sunt immodestissima: quum de fortitudine, et fortuitorum contemptu; in furorem res prodit ob rumusculum, ob verbum, quod alicui imprudenti exciderit: in eo ipso maxime gloriam expectunt, quum maxime de rejicienda ac repudianda gloria praecepta tradunt: theologi ipsi gladiatorum animis de rebus divinis inter se concurrunt, et acerbissimis odiis de caritate: in hisce omnibus dissensionibus extimulat se ipsam superbia, accenditur bilis, sustolluntur spiritus: inde, quod primum est, excutitur contra sentientis vita, conditio, fortuna, genus, ingenium, eruditio, dicta, facta, suspiciones, rumores, et jaciuntur atrocissima convicia, vel vera, si quid notae alter novit in altero, nam gravissimum quidque exit primum et quod reconciliationi reditum omnem obstruat, vel falsa, si vera ignorantur, quibus non solum fama, sed etiam fortunae et vita impetatur, ut non imperitus existimetur modo unde fides eleveatur dicentis, et detraharat auctoritati pondus, sed etiam confletur periculum vel a Principe vel a magistratu per leges et jura civitatis, vel a rudibus aut furiosis hominibus et qui manu non dubitent rem decernere: hanc scilicet moderationem acceperunt ex chartis Socraticis, et humanitatem ex humanitatis studiis; quid dicam voces et clamores immanes ac absonos? *O caelum, o terra! portentum! saxum! fustuarium!* et alia ex puerili quadam rabie ridicula.

Hinc apparatur bellum, accersuntur in partes eruditi, conciliatur plebis favor, quo iudice certandum est, quandoquidem suspecti sunt docti omnes tamquam infecti favore partium; volitant, ceu jacula, invectivae, criminationes, recriminationes, epigrammata, apologiae, antapologiae, epistolae, dialogi; advocatur tota facultas dicendi, intenduntur oratoriae artis nervi, tamquam de capite sit periculum: *O homines disertos, qui sic linguam exercent!* Praetereo vetusta illa; nec quae ipsi vidimus, commemorabo; illud in gratiam vetustatis, hoc in honorem viventium, quae sunt tamen profecto acerbissima atque indignissima: *Quam indecoras, patrum memoriâ, doctorum hominum*

Vv 2

num

num pugnas audivimus, Poggii cum Valla et Philelpho, Politiani cum Scala et Merula, de sententiolis lævissimis, sæpe etiam obscœnis, de versiculo, de litterula, de nugis nugacissimis! Reges non tam acriter pro magnis regionibus ac provinciis decertant, nec intemperantes homines de suis voluptatibus: si quis convicia, et curam atque anxietatem audivisset orationum, quodvis sibi vadimonium deserendum duxisset, ut tantam rem cognosceret; putasset inter illos doctos, dumtaxat homines, et tantæ existimationis, dimicationem esse, vel privatim de alterius aut etiam utriusque vita, vel publice de statu civitatis; ubi vero de tenuissimis inter illos rebus agi cognovisset, despiciatissimis illos esse animis indignabundus clamasset, et homines abjectos, qui de rebus adeo vilibus, non de lana caprina, sed de aristula, aut siliqua volitante, os aperire sustinuisent, ut nusquam commœdius vidisset verbum congruere: *Magnas nugas, magno conatu agi.* Nec semper ob litteras inter litteratos lis oritur, sæpe etiam de pecuniola, de interverso discipulo, hoc est, materia quæstus et gloriolæ, de magistratu scholastico; neque vero controversia intra verborum convicia consistit, ut Minerva Achillem apud Homerum monuit, sed foras se proruit ad lapides, ad fustes, ad ferrum, et delassata jam lingua, et penna, manu atque ense res geritur, ut *absoluta sit canina* (quod Appius dixit) *eloquentia, in qua latratu sequuntur morsus*; implorantur potentes homines, aut præferoces, ut vis et ferrum in locum sapientiæ ac facundiæ succedant: At cujusmodi sunt odia? Potuit post Cannas, et Trasimenum, et urbem in extremum discrimen adductam, Hannibali Popul. Roman. placari, sed leves homines atque imperiti; possunt Reges Regibus post ingentia pericula, post clades gravissimas, nempe rudes et crassæ Minervæ homines; disertus grammaticus, orator facundus, acutus dialecticus, studiosus et bene moratus philosophus, gravis et pius Theologus, ei, a quo semel se læsum putat, quòd dissenserit in re neutri forsàn cognita, reconciliari nec potest, nec debet; non oportet sic homines doctos agere ut imperitos, constantia maxime eruditionem decet, rudium levia sunt odia, doctorum solida, ut per-

petuus quidam paries, qui nec fenestras habeat qua unquam veri lumen penetret, nec ostium qua redeat gratia: parum illud graviter; *Oderis, ut aliquando amaturus*; sic autem constantius; *Oderis, ut semper osurus.*

Nec unquam reditus fit in gratiam bona fide, quin expressa et luculenta vestigia odium relinquat fixa, non solum ad diuturnitatem, sed ad æternitatem quoque: At qui se putat vicisse, quæ epinicia concinit! quos triumphos ducit! quo trophæa de victo statuit! Discedunt interdum dubio (quod ajunt) Marte, et se pro victore gerit quisquis non aperte concessit de victoria, quam, si quis superatus, prostratus, fractus agnoscit, miserum illum! præstaret ei succubuisse ad Cannas; eum dolorem, victus, quo jure, qua injuria, per fas per nefas conatur reponere, et victor victoriam florentem ac vigentem perpetuo conservare! O quàm hæc sunt pudenda in hominibus sapientiæ magisterium professis, et qui se medicos esse animorum jactant, ipsi tam ægris pectoribus nunquam sibi adhibeant quam medicinam per civitates venalem circumferunt! An non liquido apparet non illos magna illa et præclara didicisse, ut sic viverent, quod inter Catonis laudes ponit Cicero, sed quo nomen sibi et famam eruditionis insignem claramque ad multos compararent, vel lautum degendæ vitæ instrumentum cum otio pleno dignitatis? Nam in quos tantam leves punctiunculæ impressionem faciunt, utique nunquam hi animos ad robur virtutis exercuerunt, patientiamque et contemptum eorum, quæ alii vel exhorrent, vel consecantur; ob ejusmodi professores male apud plerosque audiunt litteræ omnes, et sacrosanctæ disciplinæ; quum ex magistris artes censentur, fiunt et invisæ et ignominiosæ; tum qui eas oderunt, exultant, ac se non illis imbutos esse gloriantur; nec interim venit nostris in mentem celebratissimorum apud Homerum versuum, qui attribuuntur personæ senis prudentissimi, (1)

Ω πόποι ἦ μέγα πένθος Ἀχαιῶν γαῖαν ἰκάνει,
 Ἡ μὲν γηθήσαι Πριάμῳ Πριάμοιο τε παῖδες,
 Ἄλλοιτε Τρῶες μέγα κεν κεχαροῖατο θυμῷ.

Quo

(1) Homerus Iliad. I. vers. 254.

Quo fit, ut quantum erant per concordiam disciplinæ omnes progressæ, tantundem retro jam in contrarium discordiâ tamquam tormento repellantur: dixi de doctis.

Discordia
inter sacer-
dotes.

Quid loquar de sacris hominibus ac initiatis interioribus mysteriis nostræ religionis? quamquam et horum multi ad classem litteratorum pertinent, sed attingendi sunt privatim, quoniam alio nomine censentur: hi vero jam nec militum numero prophanis Principibus cedunt, nec gerendis bellis cuivis veterum ducum, nec exercendis propter quamlibet exiguum compendium litibus, rabulis et sycophantis Atticis vel Romanis; emere sacerdotium non licet, hoc est, ei, qui possidet, quæta contractione numerare pecuniam ut cedat, eripere licet molestia, lite, fraude, odio, conviciis, corruptis procuratoribus, advocatis, iudice, vi, ferro, latrocinio; quasi non hæc multo sint pejora, quàm semel numerare: non hoc probo, quis enim probet sanus? sed si hoc, quod est præ illis levissimum, tantopere damnamus atque abominamur, quid de aliis est omnibus censendum? quum tamen ea rite et jure existimemus fieri, non illud, quod est tanto tolerabilius: his occupatis nec studere vacat, nec docere populum, nec respondere consulentibus, sed tantum cursitare, causam meditari, blandiri iudici, excogitare artes ac fraudes victoriæ profuturas; itaque, quod maxime lamentandum est, sacerdotes Christi multum a prima illa et vera institutione vitæque integritate degenerarunt, et propter eos populus a vera atque incorrupta pietate: quid vero ii, qui non caritatem hanc vulgarem, sed absolutam quandam profitentur ac totius vitæ morumque perfectionem, ita ut propterea universis dicantur et fortunis et blandimentis vitæ hujus renuntiasse? an hi a discordia, ab odio, atque invidentia non mordentur? non oportebat proximos apostolicis institutis, et mansuetudinis Christi expeditos imitatores, quique universis se excusserant, a quibus odia atque invidentiæ solent nasci; atqui et inter eos professio cum professione certat odiis asperrimis, et ex eadem natione ac secta alii cum aliis inter quos est, nescio quid, in victu aut vestitu discrepantiæ, aut etiam in ratione morum, ac usus rerum; in eodem quoque cœnobio et intra eosdem pa-

rie-

rietes, capitales puerilibus de causis inimicitiae et factiones, tamquam in imperio; si quem tamen oderunt foris, in illius odium eorum multi frequentes consentiunt, quantumcunque inter se dissidentes ac discordes; conferunt inter se non benevolentiam, et caritatem, sed vires ad eum lædendum, quem illorum aliquis habeat invisum, mittunt jacula atrocissima, nam quidquid non placet, non dico eruditissimo ex ipsis et sanissimi iudicii, quod utique ipsum tanta in re quis ferret, sed quod vel coquo interdum, vel janitori non probatur, aut alicui ex eis qui litterarum umbram ne per somnium quidem viderit, nec iudicio valet, nec prudentia, id non lectum, non auditum, non visum unquam, eruditioribus ac prudentioribus multum reclamantibus, alii permulti vocant impium, blasphemum, scandalosum, hæreticum; quo in crimine impetunt scilicet capillum aliquem? tria quæ sola hic habemus, vitam, famam, fortunas; vivunt ex benignitate populi, et tamen timeri se gaudent, et gloriantur se esse illis terrori, a quibus juvantur, et posse plurimum nocere; dementes, qui ita sentiunt!

An ignorant quàm infirma sit potentia metu subnixæ? quanto esset stabilior in amore ac diuturnior? Paulum, quod se ut Christi decebat Apostolum gereret, ita diligebant omnes, ita colebant, ut ei oculos quisque suos libens dedisset si postulasset; et quemadmodum in doctis sunt, qui illa sui ordinis hominum flagitia intelligunt, et dolent, ita nec inter hos desunt, qui popularium suorum vitia vident, agnoscunt, vituperant, et quoad ejus fieri potest, devitant: nihilo secius tamen, si eruditi illa rabie atque animorum impotentia et exemplo nocent, et studia partim in invidiam adducunt, partim in contemptum, multo potentius est sacerdotis pravum exemplum ad corrupendum multitudinem, quippe quos singulis pæne horis unusquisque nostrum et de noxis adit, et de ancipitibus consulit, et concionantes, attente ac reverenter, uti par est, auscultat, et sacrificantes pie audit; quapropter sunt, sicut Dominus dixit, sal terræ, qui si sit infatuatas, quomodo reliqua christianæ gentis multitudo salietur? Ergo dissensiones illæ, et odia, tum in universum ordini sacratissimo, tum plerisque utilibus

vi-

Dissidia in
sententiis de
pietate.

vitæ institutis, odium creant, quodque omnium est perniciosissimum detrahunt fidem atque auctoritatem verbo Dei; nam quid hic commemorem, quantam per hosce annos christiana est pietas jacturam passa, afflictata et concussa inter scopulos altercationum, rixarum, litium, interdum de maximis et præcipuis rebus, sæpe de leviculis, nonnunquam de iis quæ utrisque erant ignoratæ, sed quas utrique fortiter asseverarent, partim, quòd in rem suam putarent esse ita teneri, ac credi, partim, quòd jam pridem illis essent opinionibus imbuti et addicti, partim, quòd contra sentientes odio prosequerentur: ita exilia pro gravissimis, et incerta atque incomperta pro exploratis perspectisque utrique tradiderunt, et recepta utrinque sunt magno adjuvatorum applausu: ergo illi indignantur et persequuntur hos, quòd veteres et receptas suas persuasiones, quibus tot annis assuevere, non relinquunt propter suas opiniones, quas hic non est excutiendi locus, sed certe, ut quædam sunt diversissimæ, ita multæ sunt tales, ut si explicatius loquantur, non aliud dicent, quàm alteri, genere quodam peculiari delectantur loquendi in odium adversariorum, tantum quia contrarius ille receptior est apud hos, et tot annorum usu tritus, atque inter eos approbatus, quod videmus pueris contingere, qui si quid sit dictum a rixante, ut ipsi idem asseverent, sed aliis verbis, *Non est pilus leonis, sed leoninus*, alteri non cedunt eis odio atque importunitate, nolunt explicari sensa, verbis atque etiam syllabis adhærent tanto cum periculo ac dispendio pietatis, et urgent scitum receptumque esse ab ecclesia quod est tantum a nonnullis privatim, qui ita censuerunt.

Maximi oportet esse momenti quæ jussit ac statuit rite congregata ecclesia, alioqui fluctuarent omnia, et maxima sequeretur in pietate rerum omnium confusio; sed quæ aliquibus ita sunt visa humanis opinionibus ac artibus inquisita, ea non oportet tantum apud omnes valere, ut inde statuatur de fide cum odio et discordia eorum quibus illud non probatur, qua discordia nihil est magis religioni christianæ contrarium: inde nascitur mutua opprobatio et objectio hæreseos, et odium, ut uterque non sit alteri christiani vice, nam cum nihil sit atrocius,
quàm

quàm hæretici notâ aliquem inurere, utrique nihil magis habent in ore, nullum promptius ad manum telum quod janciant; an istud ex mansuetudine et caritate christiana, quam utrique continenter sonant, laudant, ingeminant, inculcant, cum a nulla re absint longius? Pugnant utrique acerbissimis odiis, et quibus possunt viribus; igne et ferro qui possunt, qui non possunt, animo malevolentissimo, et lingua venenatissima; videlicet, utrique ad exemplum mansuetissimi illius Christi, qui cum cæderetur, nec feriebatur, nec comminabatur, Dominus cæli et terræ, qui uno oris sui verbo poterat omnes funditus extirpare, ut et mundum hunc dissolvere, et novum condere; at hic conviciis impetitus vel tacuit, vel respondens calumniæ, convicium supersedit regerere; nos vero non jam cum hæresi pugnamus, sed cum homine, mallems hæreticum perire quàm reverti ad saniozem mentem, nisi si quis forte nomen gloriamque ex ejus mutata mente, tamquam ex parta victoria, sperat: at quomodo ad se conantur pellicere? non vividissimis rationibus de mysticis litteris, aut ipsa rerum natura desumptis, ut olim Ambrosii, Hieronymi, Augustini, Irenæi, Athanasii, Chrysostomi; non vitæ exemplo, ut martyres; sed uno aut altero frigido dicto, adjectis vi, minis, terroze, sævitia rebus ad cogendum efficacissimis, quæ parata sunt nisi quis se paratum esse ad recantandum dicat; nam utrique, quod semel arripuerunt, amputatis manibus, retinent tamen ac tuentur dentibus, ut de Cynægiro illo Atheniensi memorant in prælio apud Marathonem; quasi vero pietas, quæ tota sita est in animo, metu atque armis vel confirmari vel debilitari possit; nam quantumcunque alteri de animi nostri vinculis et arctissima custodia disputent, certe in se ipsi tantam animi et tam invictam experiuntur libertatem, ut quocunque extrinsecus terroze ostenso, unusquisque intra se quod ipsi animo collibitum fuerit, cogitet, sentiatque, non quod terrenti, quapropter coacti et perterrefacti metu, aliter quidem loquuntur, non aliter sentiunt.

At qui se ita oppressos vident a professoribus fidei et absolutæ cujusdam caritatis, ut eos in se crudelissimè experiantur; in eam præ indignatione rabiem ac desperationem adducuntur, ut

abrupta cupiant omnia et mutata, rebusque novis avidissimè studeant, quo jugum illud et tyrannidem excutiant, cogitantes, quantumcunque res sint mutata, sibi non posse pejus esse, adeo ut etiam nec Turcæ abominentur nomen, nec sub eo recusent vitam agere, immo malint sub illo aperte Turca, quàm sub his eorum opinione Turcis in persona christianorum latentibus; nam sicut paullo antea dixi, quisquis ab iis opinionibus, quas alterutri probant, dissenserit, non est alteris christiani hominis loco: res putatur levis tanta hæc animorum inter se in nomine christiano alienatio ac divulsio, et in ea securi ludimus; at qui si quis prudens ac cordatus vir altius rem scrutetur, comperiet initium esse maximorum malorum: ; Ecquis futurus est unquam Antichristus, etiamsi centum annos imperet, æque Christi ecclesiæ exitiabilis, pestilens, funestus, ut Mahumetes Arabs? At hic erat christianus miles in bello Persico sub Heraclio; et Arabes, quos in suam opinionem pertraxit, maxima ex parte christiani; sed Arabes odio Heraclii, et Græcorum, ac Latinorum, qui sub illo merebant, non dubitarunt ab iis discedere religione a quibus primum animis ac voluntate discesserant, deinde etiam corporibus, et armis, electo Mahumete duce defectricis manus, cui non solum in re bellica perditum ac desperatum homines, verum etiam in vitæ ac morum institutis, denique in omnibus sine exceptione parerent: ; An non etiam decem tribus Israël quæ secutæ sunt Hieroboam, quod sacra, et templum, et Levitas reliquissent, a tam vetusta et confirmata inter eos Avorum pietate desciverunt? Christus populum suum miseratus, quidquid hic est ominis, quàm longissimè avertat.

LIBRI SECUNDI FINIS.

JOAN-

JOANNIS LUDOVICI VIVIS

VALENTINI

DE CONCORDIA ET DISCORDIA

LIBER TERTIUS,

QUI EST

DE BONIS CONCORDIÆ, ET MALIS DISCORDIÆ.

Vita hæc nostra, qua immortalis humana mens putri hoc et caduco corpore includitur, quam ideo veterum quidam alii carcerem, alii mortem nominarunt, nostri appositum peregrinationem atque exilium; ea ergo, quocumque sit nomine censenda, via est ad illam æternitatem, si modo apte et convenienter ad illam exigatur: viæ hujus unicum est viaticum virtus, reliqua, vel virtutis sunt adminicula atque instrumenta, vel adjuncta vitæ, quæ de artificis ac principis suæ nomine appellationem sumunt, ut etiam bona a plerisque nominentur; sed nec in nomine ero sollicitus; sint sane commoda, si quis volet, aut opportunitates, nos latino et recepto utemur vocabulo, ubi res sunt expositæ ac declaratæ; ita, *bona* nuncupentur, contraria vero *mala*: Naturam atque origines concordia et discordia primo volumine explicavimus; tum quantopere voluntatem nostram a recto discordia deflexerit, et abduxerit, altero; nunc quorum sint operum auctores atque effectrices docebimus, ut appareat initiis et originibus earum non esse dissimiles actiones. Quemadmodum a Deo nata est concordia patre ac auctore bonorum omnium, a diabolo vero discordia principe atque opifice omnium malorum, sic nullum est nec boni genus, quod a concordia non proficiscatur, nec mali, quod non a discordia: incipiam a postremis bonorum, quæ tamen multi, judiciorum pravitate prima ponunt: opes hominum aut constant fixis possessionibus, ut agris atque ædificiis, aut iis quæ moveri loco possunt, ut metallis, gemmis, vestitu, suppellectili, servis, pecore; bellum tamquam vehementissima quædam pro-

Vitæ peregrinatio.

Virtus vitæ viaticum.

Opes.

Xx 2

ccl-

cella, quæcunque fiunt obvia, proruit, nihilque integrum aut erectum prætermittit; omnia desecat prosternitque, ut messor duabus falcibus armatus, ferro et igni; dissipantur greges et armenta fugatis custodibus, aguntur, jugulantur; nemo se audet præsentis periculo objicere, ut areret, ut sementem faciat, et alia exerceat opera, quæ colendis sunt agris necessaria; quòd si per occasionem jam hoc sit factum antequàm miles in regionem se proruat, tum tempestate illa excitata proculcantur agri, aut immaturi demetuntur, nam hæc est latrocinii hujus ars, in horam vivere, nihil reservare, nec de suis quidem cogitare utilitatibus ut quot ferro subjicere non valeant, fame doment non aliter quàm belluas immanes.

Narrant in Insubria et illa Gallia circumpadana, in qua jam tot annos Europa bellum continenter gerit, esse magnos fertilissimorum agrorum tractus, in quibus nihil aciem remoretur, omnia dejecta et deturbata, non villam stare, non parietem, ac ne arborem quidem, ubi et amœnissimæ solebant villæ conspici, et fundi fructuosissimi, et silvæ et nemora ad usum ac delicias parata, ut regioni illi nulla in orbe posset alia comparari: at collectis jam ex agris et reconditis, credo, parcitur: quæ habere in potestate sua nequeunt, dant operam ut quacunque via corrumpant; quæ sunt nacti profundunt; quæ relicturi sunt efficiunt ne cui usui esse possint; quæ sit omnium vitæ utilium in castris dilapidatio ac dilaceratio, si adsit copia, facile potest conijcere quisquis cogitet quale hominum genus sint milites; plus alimentorum, et vestiarii, exercitus unus absomit hominum viginti millium, quàm togatorum centum millia; celebrantur Lugduni in Gallia, et Antuerpiæ Belgicæ, et Medinæ in Hispania Campestri, conventus negotiatorum frequentissimus, per annos singulos bini, Lugduni quaterni; non intenduntur alimentorum præcia tanta turba affluente; faciant aliquâ iter copiarum decem millium hominum, ibi famem diutinam relinquunt, caritatem vero indubitatam ad multos annos: testari potest hoc Flandria magno suo incommodo, etiam post annum decimum sextum. Inter hosticum et pacatum exercitum hoc tantum interest, quòd in hostico rapere palam putant licere, et non uti,

sed

sed corrumpere, pulchrum ac militare censent; in pacato palam petunt, clam surripiunt, corrumpere flamma aut ferro non licet, profundere ac dilacerare licet, quamquam sunt pacata, in quibus se milites insolentius ac intolerabilius quàm in hostico gerunt; ut in Italia, quum dispositus per hiberna exercitus, aut etiam nonnunquam æstiva, *prudenti* cujusque militis *judicio* relinquitur quid et quatenus sit ab hospite suo exacturus: *discretionem* vocant castrensi vocabulo.

Discretio
militaris.

Reputare potest quisque, quid facturi sunt, quorum *judicio* res permittitur, quum *judicium* nullum habeant nisi perverissimum et sceleratissimum; integro esset opus volumine, et quidem justo, si explicare tentarem minimam eorum partem, quæ in *discretionem* milites designant nequitiae, flagitiorum, importunitatis, procacitatis, insolentiae, scelerum. Ardentibus bello nationibus terrestres viæ obsidentur latronibus, maritimi egressus piratis; ut gentium inter se commercia exerceri nequeant, quibus maxime ubique opes comparantur; nemo fere audet domo egredi, non dico ex sua natione et regno, sed nec ex urbe sæpenumero, ne ex ædibus quidem; nam ut sunt quædam lignorum genera, quæ quum ardent, accensas scintillas procul jaculantur, ita bellum quoquo versum latrones mittit, et qui in solitudine et locis desertis, et qui in regiis viis, et qui in ipsis civitatum visceribus grassentur; nec soli hostes ab hostibus intercipiuntur, sed ab armato milite nec mediis ac neutris, nec ipsis etiam amicis, atque adeo civibus, parcitur inermibus, non ut clam latrocinii more ac consuetudine spoliarentur, sed ut publice expilentur vexenturque, haud secus quàm hostes: hoc funesto bello, quod tam diu Europam afflixit concursu duorum potentissimorum Principum Caroli Cæsaris, et Francisci Galliarum Regis, Lusitani neutri partium accesserunt, nec ideo tamen continuerunt ab eis manus Galli: nuper capta Roma, nec Germanus miles Germano incolæ pepercit, nec Hispano Hispanus: Quid potest expulsa justitia esse tutum, quæ sola præstat tutam imbecillitatem inter vires? Nec fides commerciorum in bello constat, quum perditio et decoctori confugere ad arma liceat, tamquam ad asylum, nec jus ac leges exercentur, alienatis omnino

Belli scin-
tillæ.

men-

Ironia.

mentibus ac sensibus, et a civitatis in belli curam conversis, injecta illis manu a terrore: quid, quod nec libenter quisquam ad eos fert sua mercimonia, quos odit; aut si adfert, parum sincere ac bona fide contrahit, studet enim fallere aut in re, aut in precio; nec fides est unquam inter inimicos integra, quæ quum præcipua esse inter contrahentes debeat, hæc si absit, facile est intellectu qualis contractus relinquatur. Nec soli agri, et qui ex eis percipiuntur fructus, qui sane sunt quàm maximi, et in hominum vita præcipui ac prope soli, tanta concussi calamitate vastati ac desolati horrent, sed urbes etiam veteres, beneque fundatæ atque institutæ, quæ constructæ fuerant pace, bello funditus extirpantur, ut non aliter videantur pax et discordia inter se distare quàm mors et vita, ut omnia pace oriantur, stent, et vivant, discordia cadant ac extinguantur.

Sunt qui jucundissimum dicant esse spectaculum ardere ædificia, homines, quibus pro lusu et deliciis est crudelitas! Si ignis splendore capiuntur, quid puerilius? sin jactura et damnis hostium, quid immanius? sin casu et ruina eorum quæ bene stabant, quid insanius, quum possent esse aliquando tua, et tibi in tempore contra hostes magno esse usui atque adjumento? Fuit Princeps quidam apud Illyretes, qui quum vicinæ regioni bellum faceret, duas illorum fortissimas ac munitissimas arces manu captas diruit; potius est deinde natione illa universa; ab Leletanis bellum illi paullo post extitit, qui victam illam regionem, duobus propugnaculis desertam, statim occuparunt, et inde totum illius regnum; quæ omnia facile retinisset, si arces illas duas conservasset quas belli furore cæcus ac amens dejecerat: equidem vesaniam illam animorum non satis queo intelligere, qua duo Reges impelluntur ut eam ipsam ditionem, de qua certant, expilent, diruant, vexent, vastent, funditus excindant: hocine est velle eam regere? ea est caritas, qua adducuntur ut eam sibi asserant, immo in libertatem ab iniquo possessore, (egregia et mira repetendi ratio) perdere, quæ conaris recuperare? aperte ostendis non esse tua, quæ sic tractas: Quanto mulier illa Thebana verius ac sapientius!

Ne-

—*Neve quas regere expetis,
Evertite Thebas, quis tenet mentem furor!
Petendo patriam perdis, ut fiat tua,
Vis esse nullam; quin, tuæ causæ nocet
Ipsam hoc quod, armis vertis infestis, solum,
Segetesque adustas sternis, et totos fugam
Edis per agros; nemo sic vastat sua;
Quæ corripit igne, quæ meti gladio jubes,
Aliena credis: Rex sit e vobis uter,
Manente regno, querite. (1)*

Quid, quod etiam si non sis ipse aliquando futurus earum rerum dominus, par est tamen cogitare te posse illa aliquando ad filium aut heredem tuum devenire: Rex ille Epirotes patrem suum solebat execrari, quod Chaoniam esset depopulatus, quam postea filius cum uxore dotis nomine accepisset: at vero nec spes est heredis illa quandoque futura; at eorum qui aliquandiu erunt amici, at erunt hominum: Octavus Henricus, Britanniarum Rex, Morinum Gallis ademit, incensum est a militibus, eodem anno Rex sororem suam Mariam Ludovico Galliarum Regi dedit nuptum, pax coit, et magna inter utranque gentem amoris signa ostensa, nec Principes se oderant mutuo, redditum est Gallo Morinum, hoc est, urbis cadaver; quàm maluisset Britannus integram vel servasse sibi, vel amico et affini reddidisse! quanto id fecisset majore cum gratia, et alterum sibi devinxisset tanto beneficio, ut quum Tornacum Nerviorum Franciscus restituit! Sylla inter ceteras suas felicitates numerabat, quod Athenas, quas sibi licebat evertere, conservasset: multa sunt, ob quæ præfervide in illo juvenili ardore, et insolentia blandientis fortunæ, ab Alexandro Macedone perpetrata, vehementer illum paullo post doluisse, memoriæ est proditum; sed nihil insignius aut notabilius, quàm quod Persidem evertisset, cum propter urbis pulchritudinem ac magnificentiam, tum vero quod Persis aliis gravius fuisset nempe iis qui animo essent adhuc ini-

(1) Seneca in Thebaide vers. 556. act. 4.

inimico, aliis venerabilius et plenius majestate, quum Alexandrum aspicerent in solio tot Regum sedentem, et inde Asiæ populis jura reddentem: ?Nullum ne tandem inter hominem et belluam oportet esse discrimen? ?quin quemadmodum fera præsentis animi concitationi obtemperat, nec futura prospicit, sic nec homo ipse? Et profecto feræ irritatæ, ac a nobis sauciæ, non ita se et suum sanguinem de nobis vindicarent, ut homo de homine: deplorans Lucanus bella Romanorum civilia, inter cetera illud ceu vaticinabundus posuit: (1)

*Hæc facient dextræ quidquid non expleat ætas
Ulla, nec humanum reparat genus omnibus annis;
Ut vacet a ferro gentes Mars iste futuras
Obruat, et populos ævi venientis in orbem
Erepto natale feret; tunc omne Latinum
Fabula nomen erit, Gabios, Vejosque, coramque
Pulvere vix tectæ poterunt monstrare ruinae,
Albanosque lares, Laurentinosque penates,
Rus vacuum, quod non habitet nisi nocte coactus
Invitus, questusque Numam jussisse senator;
Non ætas, hæc carpsit edax, monimenta que rerum
Patria, destituit crimen civile; videmus
Tot vacuas urbes; ?generis quo turba redacta est
Humani? toto populi qui nascimur orbe,
Nec muros implere viris, nec possumus agros;
Urbs nos una capit, stat tectis putris aditis
In nullos ruitura domus;*

et alia de funesto illo bello lamentabilia: Magnis est Italia stragibus divexata et afflicta inter illa arma, multum effudit sanguinis, exhausta est, ac pæne deleta; sed ætas nostra pudendum esse ducit a majoribus malefaciendo superari: ?quid afflictius, quid magis lacerum, perditum, deformatum excogitari potest, quam nunc est regina illa nationum Italia? tot villæ, tot vici,
tot

(1) Pharsalla lib. 7. vers. 396.

tot oppida, tot urbes solo æquatæ, expilatæ opes, constupratæ matronæ ac virgines, conculcatæ leges, expulsæ, quasi ex suo domicilio, litteræ ac humanitas, sacra polluta, torti, cruciati, necati, senes, pueri, feminae, tot mortales contrucidati, nec generis, nec conditionis, nec sexus, nec ætatis respectus ullus: videre mihi videor serpentem illum immanem, quem ad Italiæ vastitatem Hannibali per quietem oblatum tradunt rerum scriptores, ingenti fragore proruentem quidquid staret: hic est verus et expressus ille Hannibalis draco, quem per hosce novem annos sensit Italia: exposita est materia sævitæ Germanis, Gallis, Hispanis; nec ipsi idem Italiæ filii, ac alumni, mitius eam tractant, aut crudelitate alienis nationibus concedunt; ipsi, carnifices illos in ejus viscera immittunt, ipsi, arcessunt, manu ducunt, ostendunt qua possit jugulari; ipsi, suo ferro, suis ipsorum manibus, sævius eam dilaniant, quam exteri, ut acerbiores sunt cuique in suos inimicitia quam in extraneos, aut ignotos: video mirari multos quum audiunt minus esse pecuniæ post bellum, alios magis quod absumentæ sint in bello pecuniæ, ut post bellum nusquam appareant, nam ut non negent diruta esse ædificia, incensas segetes, corruptas fruges, occisa pecora, certe aurum, argentum, gemmas, immortalia esse sciunt; hæc requirunt, et perdita esse adduci non possunt ut credant.

Verum enimvero opes non solis constant metallis, aut gemmis; sunt in eis ea, quæ paullo ante commemoravi, ædificia, vestitus, alimenta, pecora, domesticum instrumentum: his abundantibus, quidquid adest pecuniæ, velut in summo existit, et proinde magnum censetur, quum jam non ad necessitatem paratum videatur, sed propemodum ad ornamentum; itaque multi, quum reliqua abunde suppetunt quibus ad vitam quotidiano usu indigemus, etiam si pecuniæ exiguus adsit numerus, divites tamen et sunt, et existimantur; illis vero consumptis quæ pecunia ceu instrumento parari est necesse, ad reparandam jacturam quisque pecuniæ quærendæ se accingit maximo studio, quacunque possit arte, via, ratione; quo fit, ut pecunia, quæ prius erat apud paucos magna quod alii non perinde indigerent, tracta, et dissecta, et sparsa inter plurimos, videatur

Cur post bellum minus est pecuniæ.

perexigua, et tecta illo gurgite necessitatis nulla fere appareat; ita paupertas est post bellum mille aurei numi, quum ante bellum centum facerent divitem, hæc enim non possessione divitiarum censentur, sed usibus, ac necessitate: quid, quod et re vera non solum augentur necessitates, verum etiam minuitur pecunia; nam belli furore excitato, et animis perterrefactis, quum non ignoretur prædam potissimum peti, defodiuntur aurum, argentum, gemmæ, et alia, propter quæ miles se intrepide morti objicit; hinc vel cæde illorum, qui metalla absconderant, vel fuga facta, vel iis casu aliquo submotis, remanet aurum illud reconditum, nec eruitur, quum supersit nemo defossionis conscius. Sunt qui, ut se quàm celerrime periculo eximant, se et sua omnia in navem conjiciunt, et quum raptim per trepidationem omnia parentur, minus potest prospici quæ sunt navigationi necessaria; ita sæpissime fit naufragium vel vitio nauticorum armorum, vel quod in pavore illo malunt ventis adversis, et irato mari, et asperrimis scopulis, quàm hostium cæco se ac inhumano furori committere; nec minus periculis adeunt raptores ut cum præda illo evadant, ubi cupiunt ea frui; itaque ut illos in tempestates et ventorum rabiem agit metus, ita milites sua cupiditas; idcirco et homines et metalla mari atque arenis demersa occultantur: Jam in ruinis ac incendiis urbium, quantum metallorum obruitur! Corinthiaca vasa, tantæ olim apud Romanos æstimationis ac nominis, ex diversis putantur metallis fuisse conflata, quæ Corinthi conflagratio miscuisset incensæ a Mummio Achaico Romano duce: jam in ipso prælio multum cum corporibus mortuis sepelitur, quum eo interdum loci miles, dumtaxat tenuior, id quod æris haberet recondat, quem victor dedignetur scrutari, præsertim ampliore præda occupatus.

Hinc in plerisque campis, ubi olim magnæ et memorabiles acies concurrerunt, longa deinde annorum evolutio numos omnis materiæ profert, ac ostendit; quod reliquum vel urbibus vel castris fit, milites diripiunt: ergo in bello divites, sine quæstu quod paratum erat expendunt, et prædæ sunt hostibus, atque etiam nonnunquam suis civibus, et suo ipsorum Principi;

æet

æet quantumcunque habent pecuniæ, ea quid aliud est turbulentis temporibus, quàm certissima materia sollicitudinis et periculi? nam omnes insidiæ in bello, et discordia, tenduntur pecuniæ; pauperes jacentibus artibus, interclusis com meatibus, exhausto benignitatis fonte, non habent unde miseram animam sustentent; contrahunt se divites, et tolerant quomodocunque possunt, ut pecuniæ parcant, quum omnia sint quàm in pace cariora, et quærendi occasio sublata; quare dimittunt famulos, et se ad minorem numerum et ipsis sustentatu faciliorem redigunt, nihil dant ne sibi ipsis desit, non mutant malignâ et suspectâ omnium fide, non emunt, nam omnia tunc putant supervacanea præter ea, quæ sunt quotidie vitæ necessaria, et sine quibus ne diem quidem possent unum producere: quid tenuibus relinquitur, qui se manuum labore sustentabant, nisi ut boni aut invalidi mendicent, aut vitam durissime ac difficillime exigant, fame eos cibos ingerere in ventrem cogente, quos aliàs nequivissent sine nausea attingere aut etiam intueri, mali vero et valentes ad latrocinium egestate impellantur, aut manus sanguine cruentent, quod interdum multi faciunt, qui a sanguine et maleficiis, quum suo ingenio abhorrent, tum etiam educatione ac moribus? Inter hæc, in publica et communi cunctorum depauperatione, immo egestate, soli augentur, et ditescunt, cruce digniores quàm vita aut pecunia; tametsi nec hi diu opes illas possident; ubi est præda urbis Romæ nuper captæ, quam dicunt fuisse ingentem, immensam, innumerabilem? non possent hodie quinquaginta numerorum aureorum millia ostendi; milites certe qui expugnationi interfuerunt, quique se in illas immerserunt manubrias, miseros, nudos, egestes videas, scilicet juxta vetus verbum, *Male parta, male dilabuntur*.

Celeriter vitiis omnia absumuntur, alea, scortis, effusissimo rerum omnium ac perditissimo luxu, vestitu sumtuosissimo, profusissimis atque intempestivis conviviiis, in quos demum usus miles per sanguinis sui dispendium, per vitæ præsentissimum discrimen, pecuniam quæsit; nam ut continenter et sobrie vivat, nulli sequenda sunt castra; soluti ac immodici sumtus et ducum et militum dexterarum armant; sed illis sumtuum ac luxu-

Yy 2

ria

riæ voraginibus, quid esse satis posset? his nec prædæ captarum urbium sufficiunt, nec quod quotidie ex hostico et ex pacato rapiunt, nec stipendia, et donativa Principum, quibus duobus stipendiis et donativis vel ad mediocre exercitum incredibili pecunia est opus: Marcus Crassus, is quem Parthi occiderunt, solitus erat dicere *Neminem debere appellari divitem, nisi qui exercitum alere posset suis fructibus*, quo significabat ejusmodi pecuniam oportere esse immensam: Populus Romanus, inquit Cicero, ex tantis vectigalibus jam pridem vix potest contingere: ceterum quanta sit Charybdis exercitus, immo vero oceanus, nihil necesse est Principibus nostri temporis planum facere; ipsi hoc disciplinæ genus alios possent edocere experimento artis per varias et ingentes molestias capto, ut mirer nondum eos tanto teneri odio, ut quovis citius confugiant, et quomodoque pacem et concordiam componant, quàm belligerentur: habent hodie duo Principes quod ante centum annos habuerunt viginti, qui et opera magnificentissima extruxerunt, et ornaverunt loca sacra et profana, et locupletarunt honestissimorum officiorum atque artium collegia, et sodalitia, et aluerunt numerosissimas familias, et amplissimis sunt congiariis multos prosecuti, et vectigalibus erant contenti modicis, et indictiones extra ordinem excogitabant nullas, denique in summa rerum omnium copia atque abundantia lætissime vitam traduxerunt sibi et suis populis felices.

Confert mihi nunc hos tam late imperantes cum illis Regulis; non ædificant, immo diruunt; non locupletant sodalitia, immo spoliant; alunt paucos et magna ex parte inutiles, ne quid dicam pejus; ab omnibus auferunt, nemini dant, nisi maligne ac sordide, ut plus illi soliti essent dare auri, quàm isti argenti; vectigalia sunt gravissima, indictiones, mutationes aliæ quotidie super alias; nullus modus aut finis; semper mæsti, queruli, famelici cum tantum edant, sitis inextinguibilis quum continenter hauriant, ut non injuria his dici possit quod Scythæ illi ad Alexandrum, *Quid tibi divitiis opus est, quæ te esurire cogunt? primus omnium satietate parasti famem, ut quo plura haberes, hoc acrius quæ non habes concupisceres*: Quid dicemus esse

cau-

causæ tam absonæ dissimilitudinis? quid aliud, nisi quod illis quietis in concordia nihil non erat satis, qui omnia desideriiis sanis ac naturalibus determinabant? bellum aqua est intercus, ut potus ipse sitim lacessat; quid tam magnum aut tam præclarum bello acquiritur, quod non pluris ita paratum constet? quod si parum quærat, et ut crebrius contingit, nihil, nullæ sunt tantæ et tam admirabiles opes, quas bellum paucis aliquot annis gestum non exhauriat: Quid si amittatur aliquid de ditione? hoc vero jam non est aureo hamo piscari, quod Augustus dicebat, sed, amissis multis aureis hamis, nihil cepisse, et perdidisse digitos et manus, nam quid aliud sunt regni civitates et populi, quàm Regis, hoc est, capitis membra?

Quæ mala de discordia sunt dicta, contraria sunt de concordia bona cogitanda: rustici in villis, atque agris suis, occasionibus atque opportunitatibus tuto operantur; arant, serunt, metunt, colligunt anni proventum, recondunt, convehunt in urbem; et quantulumcunque, quia commode dispensatur, est satis, nam si modus et ordo adsit, nihil est tantulum quod non sufficiat, sin desit, nihil tam amplum aut numerosum quod non deficiat; si quibus est adhuc rebus opus ad usum, eæ compensantur commercio, importantur ab aliis nationibus tuto nempe viis terra ac mari purgatis, apertis, liberis; *et libenter* ut ad amicos; *et fideliter*, ut inter benevolos; ita ut etiam ex Britannia usque, et ex Flandria, atque etiam ex Cymbria, et Dacia, Sicilia ac Venetiis frumento succurratur, nam Sicilia Italiæ uber ac nutrix, nonnunquam a septentrione enutritur; id vero fit armis positis perfacile, quæ quum sumta sunt atque exercentur, non solum Britannia, vel Bethicæ, vel Vasconibus Hispaniæ amicis ac junctis fœdere, subvenire nequit, sed nec proximæ Flandriæ, aut invicem hæc Britannia: ornantur regiones oppidis ac urbibus, urbes ædificiis, agri viris ac villis, nemora arboribus, arva frugibus, prata florum varietate amœnissima, stant humana opera, et ad spectandum grata, et ad utendum aptissima, ut jam non tota ad possidentes perveniat utilitas, non parva etiam ad conspicientes pertinet; quidquid vero quis possidet, tuto ac secure habet, non modo in arca aurum, argentum,

gem-

gemmas, vestes, sed etiam in codice nomina, fides enim quæ sub tutela est legum, viget in vi ac vigore legum; et quantumlacunque pecunia maxima est in pace, quia satis, nempe remissis omnium utilium precii, et constante artibus omnibus suo honore et premio; desides vero aut malefici vel esuriunt, vel dant pœnas, vel (quod est illis mortis instar) ad meliorem se se frugem ac mentem recipiunt: hic est ille pacis fructus, de quo per Isaiam Dominus loquitur: *Et sedebit populus meus in pulchritudine pacis, et in tabernaculis fiducia, et in requie opulenta.*

De privata discordia.

Quid porro in privatis discordiis? num alio modo procedit res, quàm in publicis? Incitati enim animi, et ab ira et odio occupati ac oppressi, vel suis cavendis periculis intenti, vel alienis construendis, non satis operam iis artibus ac muniis queunt navare, unde vitæ alimenta et subsidia colliguntur, nec in administratione rei familiaris munera diligentis obire patrisfamilia ac frugi: ergo lucra interciduntur; quod vero erat aliis temporibus paratum, temere ac dissolute prodigitur, accimus enim ad persequendas inimicitias perditos homines, profusos, voragines, Scyllas et Charybdes luxus et voluptatum, quæ ipsum quoque oceanum facile exorberent; nam boni et moderati amici, si quos habemus, auctores sunt nobis concordia, et inimicitiis commodare assiduam suam operam nec volunt, nec possunt: interea quot elabuntur e manibus occasiones augenda rei? idcirco negotiatores, quorum ars et finis est studiosissime pecuniam facere, ejusque rei omnium sunt callentissimi, rarissime, et non nisi multum detrectantes, inimicitias suscipiunt, susceptas vero levissime exercent, et, quàm licet citissime, abjiciunt ac deponunt; qui non eo sit animo, qui non ita se comparet, ac vivat, eum mercaturæ faciendæ parum idoneum existimant; vident enim homines in sua arte acuti ac peringeniosi, nihil esse opibus perniciosius, quàm discordiam, nihil utilius, quàm concordiam, quàm patientiam earum, quas injurias vulgo nominant; ut non absurde patientia dici possit fortunæ mater, non solum in mercatura, et artibus diurni quæstus, verum etiam in regia, inter nobiles, inter ignobiles, inter ipsos quoque armatos milites, inter piratas, ac latrones.

Patientia mater fortunæ.

Opi-

Opibus accedunt amici, *jucundissima* (ut est in prisco verbo) *possessio*, quibus tamen in discordia, pendente præ sollicitudine aut metu animo, frui non possumus, hoc est, remoto ac separato ab iis, quæ sunt in amicitia usu dulcissima, quæ constare et exerere vim suam nequeunt, nisi præsentis cogitatione, et in id quod agit intenta; at discordia cogitatio propter vehementiam affectus, totam ad se mentem volentem nolentem revocat, et hoc cogit agere quod ille præscribit: quid, quod eos multis periculis objectamus, vel ut nos tueantur, vel ut uliscamur inimicos, de quo est versiculus ille Græcus, *Periant amici, dum una inimici intereant*, dictum hominis inhumani ac desperati, quanto humanius ac sapientius Scipio Africanus, *Malle se civem unum servare, quàm occidere hostes decem?* Sed quum tantum nos in discordia amicis egeamus, tantaque illorum sentiamus adjumenta, ex ipso suo ipsorum beneficio incipiunt nobis venire in suspicionem ut non tam amicos arbitremur habere nos, quàm dominos; interdum plane ita est ut amici, intellectis nostris necessitatibus, et quantopere suas manus spectemus, sustollant se, atque insolescant, et minus se in dies commodos nobis ac obsequentes præbeant; interdum nobis vanæ ob animum ejus rei imagines obversantur, ut quod nunquam illis in mentem venerit, nos venisse credamus; non refert quid in re sit, ipsæ nostræ suspiciones multum de amicitia auctoritate, benevolentia, suavitate detrahunt, et incipimus non satis amicis confidere, nec ex animo, quemadmodum par erat; sed quum nobis finxerimus minus illos amare quàm antea, egeamus tamen illis, jam non cum illis agimus aperte ac simpliciter, nec vera amicitia fiducia, sed regimus ac fucamus omnia, et in locum simplicis fidei succedit simulata benevolentia, et adulatoria suavitas; et quibus in concordia paribus utimur, ac ea de causa jucundissimis ac suavissimis (nihil est enim in vita dulcius, quàm amici pares) illis nos in discordia summittimus, nec retinere nomen suum potest amicitia, sublatis iis, quibus potissimum constat; amore, æqualitate, simplicitate, fiducia; ita et nos paullatim amicorum odium alte bibimus, et illi nostris his cogitibus, neque enim clam esse et occultari tam possunt sedulo quin pro-

Amici.

promicent sæpe foras et se prodant, avertuntur quum vident amissam esse fiduciam sui, quæ est multo unicuique gratissima: ergo vel in totum discedunt, vel si restincto amore pergunt tum nobis dare operam, tum demum fiunt, quod suspicabamur, domini ex amicis.

Mercenarii.

Mercenarii vero, atque etiam interdum servi, occasionem se nactos putant, qua dominis suis dominantur, et tantum eos premunt in discordia, quantum se ab illis pacatis temporibus pressos esse interpretantur, ac judicant; hoc alii consulta faciunt malitia, alii inconsulta naturæ pravitate; quo fit, ut quod jus domini, aut vires magistratus, aut Principis potentia, ac opes, magnæ sunt in pace, in discordia, sublata parentum reverentia, prope sint nullæ, quoniam ministris est nobis aut subditis utendum insolentissimis, hoc est, nequissimis dominis: Augustus Cæsar exercitum prætorianum Romæ constituit, qui ad Principis custodiam excubaret, paratus etiam Italiæ subitis casibus; nullum Principis illius institutum æque infelicitate cecidit reipublicæ; his cohortibus (erant enim triginta) insecuti deinceps Principes turpissime serviverunt, et hi milites maximorum in imperio motuum ac malorum origo atque auctores fuerunt, nec imperii custodes, sed prædones se ac dilaceratores præstiterunt, ut non immerito Plutarchus ille Cheronæus dicat, *Mutationes illas Cæsarum post Neronis mortem brevi tempore tam crebras (sesquianno enim quatuor fuerunt Principes) non tam imperandi cupiditati principali assignandas esse, quàm luxui et cupiditatibus militaribus*: nullum regnum per orbem, nulla dominatio, tyrannidis paucorum, multorum potestas, æque fuit instabile, ut Romana monarchia, occisis eodem anno, eodem mense, Cæsariibus ab ipsis eisdem militibus qui elegerant, etiam proposito venali imperio, tamquam veste vel annulo in auctione, addicturi pluri licenti.

Quid, quod cogebant Principes sæve ac impotenter habere suos populos, et omnia juris et legum cura, militariter in castris insanire, quo se militibus approbarent, gratique essent illis ob vitæ similitudinem, alioqui non habituri imperium diuturnum? Et his bellis proximis, quàm serviliter Gallus Helvetio

sc

se submitit, Carolus desperatissimæ ac perditissimæ Germaniæ atque Hispaniæ fæci! Et qui Principes nobilissimi, et præclarissimi noluerunt paullum alter alteri velut levi lateris declinatione cedere, coacti sunt impurissimos dominos toto corpore perferre, et eis propter bellum adulari quos in pace crucifixissent; quin et prætermisissimis viris gravibus, prudentibus, etiam amicis hominibus, istis, quos oderunt, coguntur cum magno suo dolore benefacere: sic Cajus Cæsar turpissimos ac probrosissimos homines in curiam induxit; maluisset quidem honestiores, sed per illos dicebat suam se dignitatem recuperasse; ut ostenderet invitum quidem se facere, sed tamen non posse excusare, aut prætermittere: quid, quod morosi homines, et difficiles, et insatiabili aviditate, quidquid agunt, tantopere imputant, ut compensari non credant etiam dimidia Principis ditione; nec solum quæ agunt, sed etiam sæpe quæ non agunt, in rationem referunt actorum; libelli in scriniis Othonis Principis reperti sunt a Vitellio centum viginti postulantium præmium pro cæde Galbæ, quem unus occiderat; eos omnes Vitellius rerum potitus, ut Tacitus et Plutarchus tradunt, conquiri jussit, et interfici: Alexander multos mundos esse concupiscebat, nam purpuratorum suorum unusquisque hunc totum expetebat; infinita erat Alexandri cupiditas sibi et suis, suorum cujusque non minor sibi ipsi: quid sibi de tanto imperio Julius Cæsar, cujus modo memini, præter victoriæ nomen reservavit? Atqui is a suis occisus, quibus quum maxima et plurima dedisset, spes tamen altissimas non impleverat: nec minus intractabiles se præbent et Principibus subditi, et Magistratibus privati, belli et dissidii tempore, quàm milites, sive externi sint hostes, sive intus tumultuetur discordia; neque enim audent impurissimo cuique, et facinorosissimo, et maxime factioso, resistere: quum et aer, et aquæ, pestilenti sunt aliquo vitio contaminatæ, corpus, quod in illis semper necesse est versari ac vivere, difficile servatur incorruptum et sanum; at quum in ipsis ossibus medullisque affixa hæret lues, et sæva morbis vis totum corpus pervasit, potest fortassis remedium extrinsecus aliquod adhiberi, intus vero nemo est qui prospiciat, oppressa mente, et omnibus corporis

Nulla obedientia in discordia.

sensibus tanta et tam tumultuosa morbi concitatione: talis est imago externæ discordiæ et intestinæ.

Vinculum cœtuum et congregationum humanarum est justitia, et leges ex justitia profectæ, ac derivatæ, ceu anima quedam civitatis; harum ope ac beneficio et Magistratus habent in sua manu rempublicam, et Principes regnant; at legibus inter tam irritatos animos nec respectus ullus, nec reverentia: (1)

Pellitur e medio sapientia, ut inquit Ennius, rei geritur res:

nec Magistratus, qui sunt leges loquentes, tueri jus suum, et retinere legum justitiæque majestatem possunt, aliorum cogitationibus conversis cura majoris mali; quæ remissio Magistratum permagnam malefaciendi fenestram pravis et procacibus aperit; egestas vero etiam non malis necessitatem facit; itaque tot designantur quotidie flagitia et facinora, ut nec animadverti possit in omnia, nec expediat, ne intelligant mali quanto major civitatis pars conspirarit in nefas; sublato enim respectu legum, et consensu parendi, quid aliud est Magistratus aut Rex, quamlibet magnus, nisi homo unus non alio fortior aut præstabilior? Quid, quod Magistratibus, inter se concordibus, dicto audientes sunt cives, et milites ducibus, discordibus vero, ansam se nactos gaudent contumaciæ, ut est multitudo ad licentiam pejorum proclivior, cum sciant huic futurum gratum, si illi repugnent; et dum collegam inimicum præsidio volumus nudare, aut acti suspicionibus sinistrequæ dicat, aut faciat, interpretamur, nosmetipsos ope omni spoliatos atque exarmatos injuriæ objicimus illorum, qui occasiones captant lædendi nostri: Sublato Maximino Cæsare barbarissimæ crudelitatis, senatus duos jussit imperare Maximum et Balbinum, senes viros, et graves, concordēs initio, postea ex suspicionibus discordes: prætoriani, quod ab illis haberentur paulo severius, tollere eos statuerunt, nactique ex eorum dissensionibus occasionem, facto agmine irruerunt in palatium, idque medio die, quumque prior impeteretur Maximus, accivit

Ger-

(1) Fragmenta lib. 8. vers. 7.

Germanos satellites, qui non procul pro salute Principum excubabant; Balbinus ratus vocari contra se, vetuit ne irent; ita Principes omni propugnatione destituti, vivi capti sunt, atque in proxima castra cum irrisione ac ludibrio abducti, et antequam re intellecta defendi a Germanis possent, crudeliter interfecti.

Nec sine civium concordia caritatem pietatemque exhibemus patriæ debitam; alii enim cæco aliorum odio malunt turbari ac inverti omnia, quam bene geri auspicio, ductu, consilio eorum, quos odere; et quemadmodum multi per certissimam manifestissimamque suam ruinam non dubitant eos, quibus sunt irati, impetere, et perire volunt modo lædant, ita eadem affectus impotentia per casum et ruinam patriæ odia sua explent, et inimicos ulciscuntur: ergo, quod in primis est salutare reipublicæ omittitur; in medium consulere, trahentibus ad se factionibus totam rempublicam inter raptantium manus divulsam ac dilaceratam, quod Romæ factum est per civiles dissensiones, et fit in quacunque civitate sunt dissidia et partes: ideo nunquam satis laudari potest illorum Principum virorum moderatio, qui occasiones omnes fugiebant inimicitiarum, ne per similtates suas detrimenta ulla respública acciperet; ut Scipio Africanus major, qui cessit urbe, ne certamina sua cum tribuno plebis, aut legibus, aut communi libertati essent gravia, aut discordiam in civitate, partesque, ac factiones crearent; Thebanus quoque Epaminondas civium suorum injurias patientissimus tulit, ne illarum ultionem cum aliqua patriæ jactura conjungeret. In pace vero et concordia vigent leges, quarum spiritus, vita, motus, actio, est parentium obsequentia; et alii alios non secus quam se ipsos juvant, intelligunt enim se velut in eadem vehi navi, ut quacunque re adjuva sit navis, omnibus sit in commune profuturum; in discordia tantum abest ut manus quis ad juvandum patriam admoveat, ut quando suæ parum sunt ad nocendum validæ, fortiores accessat: rabies nostra per hosce annos effecit ut ad eam rem non egeamus exemplis procul petitis: nosmetipsi documento sumus nobis in orbe christiano, hoc est, in magna quadam

Principum
virorum mo-
deratio.

republica atque adeo patria; nam omnes, qui veteri illi parenti Adæ renuntiavimus, et in sanguine Christi antiquis sumus maculis abluti et perpurcati, unicū agnoscimus Patrem Christum illum, qui in similitudinem carnis peccati, sed tamen cœlestis homo secundum Deum, formatus est, ut jam non modo unius civitatis ecclesiæ simus cives, sed etiam majori vinculo colligati, nempe unius omnium Patris filii, immo vero ejusdem capitis et corporis membra, ut nec manus nocere possit pedi suo cum sua utilitate, aut oculus auri: atqui nos connexionis hujus et velut harmoniæ obliti, alii in alios non solum viribus nostris, quoad licet, sævimus, sed communem hostem adducimus prius in perniciem inimici, mox in nostram ipsorum, qui accersivimus.

Quid prodest doctrina Filii Dei, et animorum sublatio ad Patrem cœlestem, si, cum his omnibus, vita, moribus sententia, pietate ab iis, qui nudam desertamque sequebantur naturam, superamur? Consultat in cœtu procerum Cneus Pompejus, quo se post cladem Pharsalicam ad reparandas vires conferat; refert ad eos de Parthica fuga, quod ii, veteres Romanorum hostes, libenter sint quemcunque Romanum ducem adversus Romanas vires adjuturi: quanta in patriam pietate ea est a Principibus viris sententia refutata? ut Cæsarianos in consilio dixisses, non Pompejanos, sedere: inter quos Lentulus illa censuit, quæ versibus est postea Lucanus persequutus, *Se non commissurum ut civium dissensionibus peregrini se et barbari admiscerent, nec passurum ut clarissimus Romanus sanguis Parthico telo effunderetur; Se quidem et Pompejanum, et victum, Cæsarem odisse hostem victorem, sed non tamen eo animorum et contentionis insanie evertum, ut perire Cæsarem velit manu Parthorum; quod si in Pharsalica acie de civili bello esset actum, et consumptis alterius partis viribus secundum Cæsarem dii pronuntiassent, iret sane victor ad Parthos; Cæsarem quidem, inquit, victum, reum, sordidatum, ex vinculis causam dicentem, et videre cupio, et visurum me de benignitate Deum spero, sed certe de Partis triumphantem lætissimus spectarem: sic ille, cui reliquum est concilium gestu et vocibus assensum: Quis non miretur constitisse victis, dejectis e tanta dignitate, mœstis,*

af-

afflictis, perditis, vel ad intuendum verum honestumque, mentem ac judicium, vel ad ea sequenda, temperamentum doloris! Sed omnia et animorum magnitudo facile regebat, et vincebat patriæ caritas: O Romani proceres! vestra ista in patriam flagrantissima pietas; quàm jure merita est, id quod et consecuta, ut patriæ vestræ principatum universo orbi imponeretis?

Quid Otho? quemadmodum apud Cheronensem Plutarchum loquitur; post Bebriacense prælium inter ipsum et Vitellium, quum magnæ adhuc ipsi restarent vires, cedere tamen Vitellio, et sibi mortem asciscere decrevisset, *Non est (inquit) milites nobis cum Hannibale, aut Pyrrho, aut Cymbris pro Italia certamen, sed bellum cum Romanis hominibus gerentes, utrique injuria patriam afficimus, sive victores sive victi, quippe quod victori est utile, patriæ est damnosum; credite hoc, gloriosius mori possum, quàm imperare; neque enim video quid tantum Romano Populo victor profuturus sim, quantum, me ipsum devovens concordie ac paci, ne alterum Italia diem huic similem videat: O verba pulcherrima! Quis hæc loquitur? Deciusne aliquis, aut Fabius, aut Æmylius, aut Marcellus, aut in illa vetere republica aliquis, cum benefacere prope in naturam verterat? nullus horum, sed Otho, iis temporibus, quibus vix verba manebant eadem quæ prius, nedum facta, homo delicatus et mollis; sed vidit tamen hæc facile, simul primum oculos a deliciis ad vim veri et recti potuit convertere: quid Astiages Medorum Rex? quum prodicione Harpagi a Cyro ex filia nepote esset victus, et ad victorem nepotem adductus, Harpagum ibi vidisset crudelitatem sibi exprobrantem, quæsitivit: an ipse auctor fuisset et Cyro suscipiendi belli, et Medis desciscendi? quod quum Harpagus etiam gloriabundus asseverasset; *Næ, inquit senex, aut stultum te esse hominem, aut impium oportet; illud, quod alterum quàm te malueris esse Regem, hoc vero, quod Medos, cives et populares tuos, nihil de te male meritos, regno privatos ac libertate, Persarum servituti subjecisti: nos vero ita sumus angustis animis, ut nullam iracundiæ dilatationem capiant, ita teneris, ut subito levissimi odii flammâ penitus conflagent, nec ullum temperamentum aut moderationem moribus atque insti-**

institutione comparavimus; idè cæci, amentesque, in mutuam exitium ruimus; a dæmonibus suppetias peteremus, si qua daretur, nedum a Turca, quem ipsi, videntes volentesque, potentissimum in nos facimus, et vires nostras imminuimus: bellis Peloponnesiacis, quæ per tot annos magnas Græciæ clades attulerunt, commissis inter se duobus nationis illius potentissimis populis Attico et Lacedæmonio, victis ad Ægos flumen Atheniense, et urbe fame atque obsidione pressa, et coacta ditionem facere, conditionesque ac leges a victoribus accipere; Thebani, et alii Lacedæmonum socii, vehementer efflagitabant ac contendebant ut Athenæ diruerentur; Lacedæmonii vero negarunt se alterum Græciæ oculum eruturos, et sublaturus Athenas, a quibus bello Persico Græcia esset in extremo discrimine fortiter adjuta; itaque impium videbatur Græciam communem patriam tanto præsidio orbare.

At quoties christianæ nationes ac provinciæ aliæ aliis auxilio fuerunt in subitis casibus et magnis periculis? et essent adhuc contra communem hostem, si non alienarentur tanta discordia, immo non proderentur Turcæ? ita non modo illas perdimus, sed nos etiam magno et præsentissimo præsidio nudamus; proximi enim sunt incendio, ac periculo, qui junctos habent limites cum Turca, et vicinas ditiones; remotiores christiani per illos, qui tamquam in finibus pro communi salute excubant, sunt tuti, ut Germani per Pannonios, Galli per Italos; primis illis absumentis, si quis ex reductoribus tutum se se fore arbitratur, is nec incendiî naturam animadvertit, et res non modo veteris memoriæ, verum etiam nostræ, aut ignorat, aut non recordatur, ut in vita, et ætate, et civitate sua appareat eum peregrinari: Quibus tandem terminis contentus fuit his ducentis annis Turca? Utrum iis, quos non solum humana industria gentium ac nationum fecit? An iis quos natura? non magnis est amnibus illius cursus prohibitus, non altissimis montibus retardatus, non ipso mari impeditus; ardens illa imperii cupiditas omnia quantumvis difficilia evicit, superavit, transgressa est, aperientibus illi viam christianorum inter se armis ac odiis, dum quisque sui improvidus, modo inimicum

fe-

feriat, tegere ac tueri se postmittit, et publicam communemque causam privata affectione deserit ac prodit: habemus a Gadibus ad Istrum quidquid utrunque mare interpatet fortissimam ac potentissimam Europam, in qua per concordiam non Turcæ tantum pares, sed cuncta essemus superiores Asia, quod et gentium ingenia atque animi declarant, et rerum gestarum monumenta docent; nunquam enim vel mediocres Europæ vires Asia sustinuit, quemadmodum alibi est a me in opere hujus argumenti peculiari disputatum; sed si nos ita pergamus agere, uti cœpimus, multos cogemus illud exclamare: (1)

—En quo discordia civēs

Perduxit miseros:

et ingentibus nostris malis demonstrabimus vim illius priscae sententiæ: *Discordia maxime res dilabuntur.*

Res omnes humanæ, ut hominum vires, atque ipsi homines, infirmæ per se sunt atque imbecilles; si tamen multi ad eas juvandas confirmandasque consentiant, robur atque incrementa accipiunt, sin manus subducant, redeunt quo nutu ac ingenio feruntur suo ad solitam sibi infirmitatem, non secus, quam qui navigium vi et contentione lacertorum per adversum flumen ducunt, si paullum modo brachia remittant, illos, ut Vergilius inquit, (2)

—In præceps prono rapit abveus amni.

Scylurum fuisse quendam Regem Scytharum perhibent, qui quum moriens octoginta filios, quos relinquebat, ad concordiam adhortaretur, inter reliqua adferri fascem sagittarum jussit, et sigillatim unicuique totum præberi, ut frangeret; id quum nemo posset præstare, separatim tradidisse singulis singulas sagittas, quas nullo negotio omnes confregetunt; tum patrem adjecisse, *Talem esse concordiam fratrum qualis esset fascis, discordiam singulis telorum similem, ut concordia invictos, discordia fragiles et injuriæ obnoxios reddat*: idem in fabulis narrant de Agri-

Res humanæ discordia dilabuntur.

(1) Virgilius Ecloga. 1. vers. 72.

(2) Georg. 1. vers. 203.

Agricola sene moribundo: Quintus Sertorius, ad ostendendam concordiam vim, gracilis et strigosi equi caudam jussit a validissimo juvene cunctam revelli, quod quum ille efficere nulla vi posset, imbecillus senex fortissimi equi caudam pilatim denudavit: hoc est quod sapiens ille Hebræus monet: *Fasciculum triplicem difficile frangi*: et alio loco idem: *Frater qui adjuvatur a fratre, quasi civitas firma*: quod Antisthenes Cynicæ sectæ Philosophus æmulatus, dicere erat solitus: *Fratrum concordiam convictum quovis esse muro fortiorem*. Fortassis supervacaneum videri possit, si eas orationes, quas multi ad filios habuerunt, quibus eos ad concordiam exhortarentur, huc adducerem, ut Cyri apud Xenophontem, Philippi apud Titum Livium, Micipsæ apud Sallustium: sunt quidem illa graviter ac sapienter dicta, tantopere, ut etiam vaticinia, magis quam sententiæ prudentium, existimari possint; nam illi ipsi fratres capitaliter postmodum dissenserunt, et ea illis exitio discordia fuit; sed nemo est in communi hominum usu ac vita, qui multis exemplis non didicerit, quam illud divinum sit oraculum: *Concordia parvæ res crescunt, discordia maximæ dilabuntur*: testantur hoc et privatæ domus, et civitates, et populi, et sodalicia, et collegia, et academiæ, et artes, ac disciplinæ omnes, et ingentia regna, atque imperia, quæ omnia et ad magnitudinem illam concordia evexit, et ad ruinam miserumque interitum discordia impexit: sic Assyrii, Mædi, Persæ, Græci, postremo Romani, surrexerunt, et ad fastigia illa ditionis sunt evecti; sic postea ceciderunt.

Quomodo
surgunt et
cadunt reg-
na.

Crevit Roma quamdiu publicæ utilitatis respectus privatas affectiones superabat, et homines reliquâ discordes, atque inter se inimici, tamen ita in manu sua affectus habebant, ut quantamcunque animi commotionem pro republica sedarent, illasque velut pectorum tempestates intuitus patriæ serenaret: innumeri hoc clarissimi viri mente ac sententiis suis declararunt, Bruti, Publicolæ, Camilli, Fabricii, Fabii, Scipiones, Lepidi, Flacci, Salinatores, Nerones, Sempronii; hi enim omnes privatos dolores publicis utilitatibus condonarunt, videlicet non ignorabant se non aliter inter tot victas nationes, quam consensu

et

et concordia in rempublicam stare, perituros eo die, quo de re communi et publica dissensissent, ac utilitates patriæ privatis simultatibus perturbassent: ergo a talibus viris aucta est et felicissime gesta respublica, quæ per Syllas, Marios, Cæsares, Pompejos, Antonios, concussa, et fracta, et prope sublata ac delata est, qui privatas inimicitias per extrema patriæ discrimina persequabantur: id Romanæ urbis, immo cujuscunque reipublicæ et nationis futurum exitium, Sallustius, ex iis quæ jam tum videbat, ad Cajum Cæsarem prædixit: *Ego, inquit, sic existimo, quoniam orta omnia intereunt, qua tempestate urbi Romæ fatum excidii adventarit, cives cum civibus manus conserturos; ita desessos et exangues Regi aut nationi prædæ futuros; aliter, non orbis terrarum, neque cunctæ gentes conglobatæ, movere aut contundere queant hoc imperium*. Cretam insulam studiosissimam olim fuisse armorum, rerum scriptores memoriæ prodiderunt; eandem et sæpe externis impetitam armis et nationes alias invasisse atque inter se civilibus odiis ac dissensionibus agitatum fuisse, sed eâ tamen homines illos prudentiâ valuisse, ut quantumcunque inter ipsos arderent simultates, externis armis procul apparentibus, ad communem patriæ custodiam salutemque consentirent; unde natum est *syncretismi* vetus proverbium, de iis qui ad propulsandum externum malum ab interno verterentur; quod fecisse Gudracos Mallosque in rebus Alexandri refert Curtius; atque id consilium Cretas reliquis gentibus præstitit invictos. At Græciæ opes florentissimæ sub Macedonum servitutem discordia redegit, et validissimæ nationi imposuit regnum Macedonicum ignobile ac obscurum, prius Græciæ ipsius angulum, ac velut accessionem; nam victores Athenienses magnam Græciæ partem imperio suo adjunxerunt, hi a Lacedæmoniis sunt victi, Thebani Lacedæmonios vicerunt, et Phocenses, quos, non contenti cladibus bello illatis, quum jure et legibus gravissima accusatione apud commune Græciæ totius concilium Thebani victores premerent, mulctaque esset Phocensibus, quantam solvendo non erant, dicta, gens in desperationem acta bellum in Thebanos concitavit, quod Græciam totam involvit: cui bello admistus Philippus occasionem invenit jugum imponendi ei na-

Syncretis-
mus.

tioni, cui omnia superiora bella pro libertate fuerant gesta.

Nos vero non solum ad hæc exempla surdi, quod vix esset tolerabile, sed ad nostra quoque mala providenda cæci, perire volumus ut alterum perdamus; nec difficile id perficimus, ut pronum ac proclive est nocere; idque magis, quo propinquius est ac familiarius, quod lædit, novit enim qua promptum est plurimum nocere, et exigua in internis damna graviora sunt, quàm permulto in externis majora: nec video expeditiorem ullam ac certiozem ad perdendum christianum orbem viam, quàm si quisque ab alio divulsus, ac dissidens, sibi vivat, suum negotium agat, aliena vel negligens, vel (quod est atrocius) infestans et urgens ad interitum: Quam rabiem, quanta arte inter nostros Principes diabolus accendit! Quid aliud memoriã patrum et nostrã, ut antiquas clades taceam, abstraxit nobis, et quasi uno ex corpore præcipua avulsit membra, Thraciam, Pontum, insulas Ægei maris, Eubœam, Græciam totam, Macedoniam, Bulgariam, Rhodum, maximam christiani nominis et pulcherrimam partem? His accedit omnibus, quod sicut in concordia, aliena sunt nostra, ita in discordia, nec nostra ipsorum vere habemus: quid aliud dici ex rebus potest nostrum, præter usum? aut quid efficit, ut meum hoc vocetur, illud tuum, nisi usus? neque enim domini rerum sumus, ut nobis illæ pro nostro arbitratu pareant, ac serviant; hujusmodi in tota rerum natura dominus est solus Deus, nos vero usufructuarii sumus: ergo per concordiam, terræ ac maria omnibus patent, nempe tuta, cunctusque christianus orbis (id quod esse fas jusque est) velut una fit communis omnium civitas et patria; in discordia et a nostris ipsorum excludimur: bis fuit Carolus in Britannia, semel Henricus Gravelingæ Flandricæ, sine exercitu, sine manu, sine comitatu, inermes, ac pæne soli, simplicius et incautius in aliena uterque ditioe quàm in sua, nec referebat essent domi, an foris, tam erat Caroli Anglia, quàm Henrici Belgica et Hispania, si quid uterque in alterius regno factum cuperet, unica vel litterarum vel mandatorum significatione impetrabat: quid erat aliud utrunque utrobique regnare? Nunc, malo aliquo rerum humanarum fato, rebus tur-

In discordia, nostra non sunt nostra: in concordia, etiã aliena sunt nostra.

ba-

batis, neuter ditionem alterius non modo non adire, sed nec auderet intueri: vias omnes sternit ac patefacit concordia; in discordia clausa et obstructa sunt omnia; nihil est tutum; nec solitudo et deserti prosunt loci; nec artes et ingenii calliditas; nec majestas nominis; nec numerosi exercitus quin omnia vis et jacula discordiæ penetrent et contundant; nihil est infirmius quàm quantacunque potentia in discordia; nusquam magis ludit fortuna.

Cyrus cum tanta manu, et post cursum illum victoriarum, victus et cæsus est a muliere; nec Marcellum juvit perpetuo invicta felicitas, quin ab Hannibale occideretur, quem ille primus vinci posse docuerat; nec ipsi Hannibali exercitus Italiæ victor; nec Pyrrho strenuæ copiæ et peritia rei militaris; Demetrius Macedoniæ Rex, qui *Polioretæm* se se cognominabat, egregiam artem, ut Seneca dicit, *quassandarum urbium professus*, ad extremum captus est a Seleuco, et in custodia ægritudine animi absumtus; captus est Asdrubal pænus, e suis ipsius castris Syracusanorum impetu abductus, et quidem obsessorum; captus est ab Anglis Joannes Franciæ Rex, qui numerosissimis suis copiis paucitatem hostium ita contempserat, ut, certis conditionibus dedentes se illi, recusarit: plena est horum exemplorum historia; et ne vetera tantum exempla consecemur, nec Franciscum tantus exercitus est tutatus, nec Clementem Pontificem tota ipsa Roma nec sacrosanctum dignitatis nomen, ut nemo tantas se habere vires in bello credat, quin ei vertens sit fortuna metuenda; ideo enim Martem Mavortem nominarunt, quasi res magnas subito vertentem: quid, quod bellicis temporibus, nec Rex tuto in suo regno versatur nisi circumdatus semper septusque armis, hoc est, carcere, ut non sine causa utrunque custodia nominet; metuit enim et ab exteris insidias et a suis, sive is est animorum in discordia terror, sive jure habet quos per occasionem temporum cavere debeat; nam proceres in pace dicto sunt audientes, propterea quod stat a Principe multitudo, et licet eos, si quid male egerint, legibus ac moribus interrogare; nec facile ab amicis, si deficiant, recipiuntur, in bello vero vindicant iras suas, occupatis in unam

Principes dejecti ex alto

Polioretæ civitatum destructor.

Mars, Mavors, quasi magna vertens.

eam curam omnibus, Principe ad multa, nolit velit, connivente; tum habent quò confugiant, si non putent se in ea ditione incolumes mansuros: milites ipsi, ad tutelam et custodiam regni, hostesque a finibus arcendos, ac propulsandos, asciti et rogati sacramento, militarem insolentiam in regni perniciem Regisque ipsius Imperatoris sui, in cujus verba jurarunt, convertunt: Quoties Prætoriani milites, quoties regiones absentes, quoties illæ ipsæ, quas suus Imperator ductabat, arma pro salute ducis, ac capite, cum jurejurando sumpta, in ipsum eundem verterunt? occisus est a suis Cajus Cecinna, quòd exercitum in naves contra Syllam ducturus imponderet; exustus L. Fimbria, quòd ignaviam exprobrasset; interfecti Galba, Pertinax, Alexander Severus, Maximinus, Magnus, Balbinus, et alii pæne innumeri, non aliqua sua culpa, sed militari insolentia atque insania.

Quid dicam proditones, et defectiones exercituum exiguò ære venditas, quas nostra vidit. ætas? Quid non habebunt venale milites, qui animas habent venales? Vis tu non vendi te eo precio ab istis, quo illi suas ipsorum animas vitasque vendiderunt? At manent aliquandiu in fide, non nundinantur defectionem et fugam, scilicet, non audent majore metu retrahente, aut non plus aliunde sperant, quàm abs te consequuntur: nuper vidimus ab insaniente exautoratorum manu Regem in Gallia creatum, quem illi militari vocabulo *ceruleum*, credo, de cultus colore nominabant, magno sane Galliarum terrore, periculo non parvo: sed nec habet Rex ditionem in sua potestate, nec quod potissimum maximeque est regiarum dignitatis, legibus et æquitati potest adesse; quin multa, invitum quidem et gemens, sed patitur tamen contra leges, contra jus ac fas, in bello perpetrari nec possit animadvertere, exuri, expilari, dirui, cædi subditos et subditorum fortunas a suis ipsius militibus, sine quibus quòd Regium nomen ac dignitatem tueri ac conservare in bello non valeret, multa illis nefaria ac impia permittit. Qui monarchiam ambiebat Romani populi, primum omnium prætorianos milites, et reliquas legiones, studebat illicefacere promissâ scelerum ac flagitiorum omnium impunitate:

quis-

quisquis id non præstaret, sciret sibi imperium non futurum diuturnum: Quid est minus, non dico Regis, sed nec liberi hominis, quàm ita servire, et tali hominum facti? Colligunt hinc iras Togati adversus Regem causam ejuscemodi malorum, et odia, quæ, aucta indictionibus, vectigalibus, quibus populum radit, exugit, deglutit ut infinitis bellorum sumptibus pecunia suppetat; ita animos a Principe alienant, ut non, quod fieri par erat, ament et venerentur tamquam communem parentem, sed ut Tyrannum oderint, ut hostem omnium execrentur, nihilque ad ultionem sit reliquum præter occasionem, successibus illius doleant, gaudeant adversis, nec ullum expectent nuncium lætorem, quàm sublatam esse de medio calamitatem publicam et regni pestem.

Hæc Principes, alii cautiores intelligunt et dissimulant, alii incautiores nec animadvertunt ipsi per se, ut qui in aulis degant semper clausi, et separati a sensu eorum quæ fiunt in populo, nec habent a quibus doceantur, stipati perpetuo turba assentientium, quæ Regi, odiosissimo atque invisissimo subditis, persuadet eum cuique civium suis liberis, et vita, esse cariorem, et publicas, atque ita altas execrationes, ut facile ad illius aures perveniant, dicunt esse faustas acclamationes, et voces bene precantis multitudinis; nec ei unquam, sic obsessio atque occupato, vacat quiete se huic cogitationi tradere, ut apud se ipsum cum animo suo reputet, quum hæc aut illa agat, sic vivat, sic regat suos, qualem esse de se in suorum mentibus existimationem par sit: hoc est regnum? Hoc potentia? an potius vel carcer teterrimus atque obscurissimus quum nulli se loco, nulli hominum concredat, vel miserabilis et in extremum adducta discrimen ignorantia, quæ cæca atque improvida inter præsentissimam semper versetur pestem? An ego hic exempla congeram eorum, qui diuturnitate potentiarum fundatas opes, odio et malevolentia suorum levissimis motibus everterunt? unum pro innumeris recensebo, verbis Æmilii Probi: *Dion*, inquit, *fretus non tam suis copiis, quàm odio Tyranni Dionysii, maximo animo duabus onerariis navibus, quinquaginta annorum imperium, minutum quingentis longis navibus, decem equitum, centumque pedi-*

tum

tum millibus, profectus oppugnatum, quod omnibus gentibus admirabile est visum, adeo facile perculit, ut post diem tertium quàm Siciliam attigerit, Syracusas introierit: ex quo intelligi potest nullum esse imperium tutum, nisi benevolentia munitum: idem Dion tyranni expulsor, quum se insolentius videretur gerere, non invenit qui se periclitantem et cum inimicis colluctantem, ne occideretur subveniret; immo fuit qui illis per fenestram gladium miserit, quo Dion jugulatus est. Nec sunt meliore conditione cives discordes, qui non aliter et in sua civitate ambulat, et tecto ac parietibus, et privatis penetibus clausi agunt, quàm in saltu aliquo latrociniis infami; famuli in concordia subditi, in discordia suspecti, ne nos prodant; uxor, liberi, parentes, domus, familia, possessiones, cultus, opes, quæ sunt cuique in concordia gratissima et maximas important ad vitam utilitates, in discordia fiunt gravia, acerba, invisæ, quippe augment metum eorum singula, ut undique circumspectanti nihil occurrat animo nisi materia formidinis, dum unus tam multis, et pro tam multis timet: in pace et concordia jucundum est gignere liberos ac tollere; quid aliud in discordia quàm tristis atque acerba timoris causa? (1)

*Et me, inquit ille apud Vergilium vir fortis ac pius,
quem dudum non ulla injecta movebant
Tela, neque adverso glomerati ex agmine Graji;
Nunc omnes terrent auræ, sonus excitat omnis
Suspensum, et pariter comitique onerique timentem.*

Numerantur in bonis honor et decus, in quo expetendo exitiabilis est hominum error; verus enim et germanus honor virtutem, ut umbra corpus, comitatur, neque est honor aliud quàm veneratio quædam virtutis, eorum qui recte de virtute judicant; hunc tamen homines imperiti qualicumque quorumcunque hominum laudatione censent, ut decus esse existiment cerdonem aut carrucarium approbasse: magnus quidem hic error, quis non videt? sed quanto ille perniciosior, quod laudem
eam

(1) Virg. Æneid. lib. 2. vers. 726.

eam tamquam rem pulchram et præcipue expetendam sic quærimus, sic captamus? atqui rudium hominum et vulgarij iudicia ex affectu nascuntur, non ex veri dispicientia; itaque favor fere solet adferre decus, odium vero ignominiam, quisque enim ita loquitur ut intrinsecus est affectus; res studiis et tamquam factione scinditur, ut prope omnia in vana et levi multitudine; Hispano omnia Hispanica probantur, Gallo Gallica: per triginta annos perniciosum christiano nomini Gallia cum Hispania gerit bellum pæne continens: ademit Hispanus Gallo Neapolim, Mediolanum, Navarram, Ruscinonem, tot illi clades attulit, tot exercitus obsidione occidit, Regem ad ultimum cepit, et tamen post hæc omnia Gallus domi triumphat, et se pro victore, et in sua natione, ac apud alias spectatrices gerit; ita loquitur, ita scribit, ut videatur totam Hispaniam a Pyreneis ad Gades victor proculcasse: non hic cano Hispaniæ encomium, aliis ego illam rebus laudatam vellem, non his armis et victoriis, hoc est, latrociniis et crudelitate, nec Hispaniam pro pejore haberem, si esset victa, nec Galliam pro potiore, si vicisset: quid aliud toto ago opere, quàm furores istos detestari, et si possim, utinam ita sim felix? ex hominum mentibus vel tollere penitus, vel certe, si qua detur, extenuare ac diminuere? nec multum refert laudes hominem de armis, an de inhumanitate, aut christianum de victoriis et cæde, an de defectione a Christo ad diabolum commendes: faceret Christus, ut aliis præstantioribus rebus, magisque christianis hominibus dignas, ego aliquando et Hispaniam quæ me genuit, et Galliam quæ aluit, florentes vigentesque et in certamen pulcherrimum adductas aspicerem! ut non sævitia et odiis contenderent ultra alteri majora damna et mala adferret, quod non est vel christianarum, vel vicinarum nationum, vel earum, inter quas per tantam annorum continuationem optime convenerat, sed certarent ultra eruditior, ultra prudentior, ac humanior, ultra esset sanctior et magis dedita pietati: O si id ego videam antequàm ex hac vita migro, quàm me opportunissimè natum esse tempore existimabam!

Quocirca huc spectant ea, quæ sunt mihi adhuc dicta, ut

ostenderem quàm exiguam laudis ac gloriæ celebritatem consequantur in discordia victores apud victam nationem; quid ad alias? an hæ sunt incorruptiores? majoribus interdum affectibus, quàm illæ ipsæ quæ contenderunt, infectæ, sicut in privatis certaminibus solet accidere, ut spectatores omnes confestim se nutu quodam naturæ alterutri parti ad favorem et benevolentiam applicent, et cohæreant: exemplis est parcendum, ne discordiam, quam perditam atque extinctam cupimus, magis irriterimus: nec posteriorum iudicium erit sincerius, nam hæ affectiones, et partes, filiis cum hereditate a parentibus tamquam per manus traduntur; qui mediû sunt, et ceu neutrarum partium, apud eos victum esse invitum, est ignominia, victorem esse, crudelitati; ita enim sumus a natura facti et compositi, ut inferiorem partim misereamur, partim despiciamus, prout est nostrum ingenium, et ingenii mores, superiori infensi, etiam quem admiramur: sed fac aliquos apud populum illum nasciturum rectius de tuis rebus gestis locuturos; id verum continget tibi, quum jam ad te non magis, quàm ad statuatam aliquam tuam pertinebit; majoribus eris vel gaudiis vel mœroribus implicatus, quàm ut ullus ad te istarum vocum sensus vel cura pertingat: finge vero te omnino propagandi nominis studiosum ut maxime bello vincas, quid de te loquentur posterî? Non omnes nationes bellum probant, ut multæ in Asia et Africa; et rem, qualis est, talem esse arbitrantur, inhumanam, atrocem, sævam, vix belluis, nedum hominibus, congruentem; et assecuti sunt per naturam sine malitia, quod nos naturâ, et philosophiâ, et ipso Christo magistro non assequimur propter malitiam; quid in istis ipsis nationibus, in quibus bellorum victoria pulchra existimatur, quàm multi sunt, qui vel ingeniorum, vel sapientiæ ope, vel numine quodam ac beneficio Dei, victoriam abominantur ut tetram ac execrandam? Opifices ac operarii, quæ est maxima humani generis pars, de bello vel non loquuntur suis rebus occupati et intenti ut aliis non vacet attendere, vel detestantur rem sibi damnosissimam atque exitiabilem; interdum, quod sunt partes aliquæ a deo remotæ, ut ad illas non nisi sero, et ægre, et perlevis possit fa-

fama rerum gestarum penetrare, quod de Caucaso monte, et Euphrate amne, scribit Cicero, quos transcendere Romanorum fama, et tam incredibiles gestæ res nequiverunt.

Sed nostra ipsa memoria, et his ipsis annis in quibus vivimus, quàm sero, quàm negligenter audivimus Sulthanum, tantum Principem, a Turcarum Rege captum fuisse ac spoliatum imperio, et rem jam decennem, nondum tamen omnes sciunt: quid in hac ipsa Europa, in mediterraneis Hispaniæ, et illa interiore Gallæcia, Franciæ Rex jam erat solutus, quum auditum est captum fuisse, et narratum non aliter, quàm si dixissent magnam imbrium ac nivium vim Valentia aut Hispali cecidisse: at qui loquuntur, quàm interdum aliter narrant multa, mentiente famâ, et quàm exiguo tempore, partim quòd admiratio rerum priorum majoribus aliis insequentibus rebus excutitur tamquam clavo clavus, partim quòd, considentibus affectibus, flaccescit et admiratio et dulcedo narrationis: alii, nihil admirari aut extollere, ex Horatii consilio pro sapientia usurpant; alii res paullo notiores, aut etiam non admodum recentes narrare absurdum ac putidum esse arbitrantur; ita fit, ut brevi tempore totus ille excitatus hominum sermo de victoria, qui tanto fuerat labore ac sollicitudine, tantis impensis, tanta rerum optimarum quæsitus jactura, propter quem nos et opes, et ditionem nostram, et pietatem, et totum fere humanum genus in periculum adduxeramus, vel negligatur ab intentis in res alias, vel non se longe diffundat, vel brevi tempore conticescat amissa gratia novitatis; et loquor de magnis bellis ac victoriis, nam discordiæ illæ et factiunculæ in civitatibus, tametsi nec leviorie rabie susceptæ, nec minoribus animis exercitæ, tamen ignobiles sunt penitus, incognitæ non modo extra urbis mœnia, sed sæpe extra viciniam, in qua exercentur. Illi vero ita se periculis pro vano hoc et conficto honoris nomine objiciunt, ac si gladiatores in orbis totius amphitheatro depugnant; ut illorum insaniam nescias ridendam ne magis habeas, velut puerilem, quòd inanes quasdam et commentitias res tanti fecerint, an deplorandam, quòd se optimarum in vita rerum et scientia et fructu fraudaverunt, dum hac una nobilitari

exoptant, et de universa sua et suorum existimatione agi censent, quam se mansuetudine amissuros, crudelitate retenturos arbitrantur, quam vere excitant motus in simpulo puerili quidem opere, sed scelerato animo, non minus, quam magni et savi Reges: O quam pudendum est unius cerdonis vel naturæ judicio tantum tribui, conscientiae animi nostri tam parum, ut meliorem facias hominem sortis extremæ, quam te vel generosum, vel eruditum, vel etiam principem virum! Quod si tantum deferimus hominis unius judicio, quanto plus est Angelis spectatoribus, et ipsi summo, et sapientissimo Deo deferendum, mundi præsidii, et conscio etiam illorum in nobis, quæ ipsi nos ignoramus!

Res, ex quibus gloria peritur vane

Jam expendamus res ipsas, ex quibus gloria captatur: *Vicisti*: quod tandem est tuum decus, quod ipse possis tibi velut jure tuo vindicare? te triginta bellatorum millibus comitarum abegisse imbellem pecus, combussisse agros, diruisse villas, vastasse regionem, cepisse, diu sedendo, urbem, aut oppidum, fame, siti, et aliis multis malis pressum, et confectum? Adde etiam, si placet, concursu acierum, altera triginta armatorum millia superasse: si qua est laus, cur non totus exercitus ad eam vocatur? cur non sæpe gregarius aliquis miles, qui primo concursu magnum ad victoriam momentum attulit? cur tu unus Princeps tibi uni adscribis ac usurpas quod est tam multorum? Non injuria Clytus ille, quem Alexander occidit, in extrema illa cœna, Græcorum morem ac patrium institutum damnavit, qui in trophæis non militum nomina, sed unius ducis adscriberent: fortassis tolerabilius hoc fuerit, quam omnia attribui ei, qui per legatos sedens inter omne voluptatum genus, procul non a jactu modo ut ajunt, sed ab auditione ipsius belli, hostium acies dicitur toto campo constravisse, quum cæsi, et sepulti, et putrefacti sint prius, quam nuncius ad eum magnis quidem itineribus perferatur, nonnunquam re in vetustatem jam, et propemodum oblivionem ubi contigerit, adducta: quid quum fortissimas legiones non militum hastæ et lacerti, sed vel res muta straverit, vel casus aliquis domuerit, si ingens aliqua bombardæ multos in prælio mortales discerpserit, ut inde victoria

pa-

paretur, cujus est ea laus? cujus gloria et decus militare? an bombardæ, ut illi trophæum statuatur, non duci? an ne ejus, qui incenderit, quod puer potest fecisse? an ne possidentis, quum possit esse vel feminæ, vel viri ignavissimi? An non apparet sic extolli commendarique victorem prælii, quemadmodum illi olim in Græcia incredibilibus celebrabantur laudibus, quorum equi aut currus olympia vicissent, quumque illi, vel femina, vel senex vir, fractus morbis, contusus doloribus et asperissimo cruciatu, movere se e lecto in Sicilia vel Asia non valeret, præco interea omnis generis laudes de celeritate et fortitudine in senem claudum, atque extremæ et perditæ valetudinis, omni clamore ac contentione vocis congregabat, non sine risu eorum, qui illum nossent, qui sic laudaretur? Ita vincit, vel feminæ, vel infantis vagientis, vel ludentis pueri, vel adolescentis, juvenis, senis, voluptatibus immersi, aut certe rebus aliis et negotiis domi dediti, exercitus, classis, bellica instrumenta; victor nominatur, et laus ad illum redit, quia titulum obrinet possidentis: jam ne intelligis, quam ficta, quam vana, quam falsa sit res, quam ex iniquis et stultis judiciis, quæ, operæ experti, operæ mercedem attribuit, et præmium defert ad eum, in quo nihil est meriti?

Quid in casibus? Fabius Maximus Samnitium validissimas acies errore eorum fudit, quod acclamatum esset in exercitu adventare a Samnitium tergo collegam P. Decium: sol et ventus Romanis adversi multum ad victoriam Hannibali profuerunt: Quoties, formido et trepidatio legiones omnes uno homine fugiente invasit, qui traxit secum viros fortissimos et cuncti exercitus robur; casus equi unius equitatum avertit; una hasta, in hastas hostium transversa injecta, ordines turbavit: Cujus erit ea laus? cui statuatur trophæum? non forti exercitui, sed forti fortunæ: Quid, quum fame, aut siti, aut peste, aut quo morbo alio, maximæ militum copiæ absumuntur, validissima præsidia in potestatem hostium coguntur venire? Tempestas numerosam et fortem classem confregit? ruina arcem diruit? una scintilla casu in pulverem bombardicum insiliens arceam cum toto præsidio incendit? cujus erit hæc fama? quis

Casus belli.

Bbb 2

ob

ob victoriam celebrabitur? Nihilominus qui feliciores fuerunt, ad se se trahunt laudem, perinde ac si fortitudine vinceret qui vincit casu: sed ex omnibus honor et decus captatur, quum illud crebrius usu veniat, ut ignaviori et pejori soleat sors potius et casus secundum ventum aspirare: Quis possit dicendo exponere quanta sit in his rebus stultitia, sed inhumana tamen atque immanis? Utrique se non raro pro victoribus habent, et gerunt, et trophæa in sua quisque regione de altero statuit, ut bellis Peloponnesiacis Athenienses et Lacedæmonii; quæ signa victoriæ, ad diuturnitatem impressa, dici non potest quantum incitant utrorumque animos, et veteres jam ac prope oblitteratas inimicitias revocant et exacerbant, unde multa et olim nuper ea sola de causa reparata esse bella novimus; quam puto fuisse causam cur antiquis militaribus legibus sancitum fuerit, ne renovari atque instaurari collapsa liceret trophæa, videlicet, ne tam diu inimicitiarum et notæ et irritamenta perseverarent: pro trophæis sunt modo signa militaria divis apud templa affixa; O miserum, cujus tot laborum et periculorum fructum situm esse in una aut altera lintei ulna putas, quibus nihil est magis caducum, aut quod celerius corrumpatur ac pereat! Ubi sunt tot Græcorum, tot Romanorum trophæorum millia, arcus, obelisci, et alia signa victoriæ, etiam diis sacra et pæne gentium jure inviolabilia? Quàm cito lintea illa discinduntur! quàm pauci aspiciunt, quàm nullus fere animadvertit, aut quærit causam! nam interdum apud gentem victam non pauciora est videre, quàm apud victricem.

Illud vero jam non humanum, sed vel belluinum ex stupore ac inconsiderantia, vel diabolicum ex impia malitia, quod Christo, et Martyribus ejus, insignia nostræ crudelitatis appendimus, manifestissima argumenta nos et Dei jussis, et ejusdem ac Martyrum exemplis, minime auscultare: veteres olim ad Martem bellorum deum, et Jovem in cujus manu credebant esse victoriam, rei bene gestæ signa deferebant, indicium grati animi, quod illis referebant acceptum, quorum beneficio crederetur evenisse: Quàm ineptus fuisset, qui Veneri, aut Gratiis, aut Nymphis arma de hostibus manu capta appendisset, deabus

man-

Trophæa antiquis militaribus legibus vetitum renovari.

Non loquitur de victoriis adversus Infideles, et veræ religionis inimicos, nec de bello defensivo.

mansuetis et a bello alienis! Quid si Deum aliquem habuissent, qui semper ad amorem, ad pacem, ad concordiam, ad patientiam esset adhortatus, a discordia, a bellis et cædibus homines præceptis suis avertisset? Quàm eum duces, aut militem, impium et nefarium censuissent, qui illi ipsi Deo bellorum prædam impartiretur, et eam rem quemadmodum expiari oporteret, pontifices consultarent! Nos vero ejusmodi pugnarum Christo et Martyribus offerimus testimonia, quibus illi maluerunt vinci quàm omnino pugnare, et qui vita, et verbis nihil docuerunt aliud quàm sibi tales dissensiones maxime displicere, per eas non ad Deum illum patrem concordia et mansuetudinis perveniri, sed ad diabolum caput et principem dissidii, odii, pugnae, ac cædis: longe aliud est ignis et gladii et pugnarum genus, quod ille cœlestis magister, et Dei unicus naturæ Filius, ad immittendum e cælo in terram venit, ut omnia caritate conflagraret, ut vir ab uxore, pater a filio, hic a patre separaretur ad sequendum Christum, certarent omnes pietate in Deum, et beneficentia inter se: hæc est christiana pugna, id est, hominis perfectissima; at qualiscunque hominis, modo hominis, illa sunt, ingenio, prudentia, ratione, moderatione, temperantia, contendere, ac conniti, ne quis te superet: sic Socrates pugnavit instructus solius naturæ armis: sic Cato, de quo Sallustius scribit: *Catoni, studium modestiæ, decoris, sed maxime severitatis, erat; non divitiis cum divite, neque factione cum factioso, sed cum strenuo virtute, cum modesto pudore, cum innocente abstinentia certabat.*

Humanæ pugnae.

Hæc demum est vera victoria vincens; nam in aliis contentionibus necesse est prius vincare ab ira, ab immanitate, antequam inimicum vincas; prius te fatearis inferiorem, et fuisse sub inimico, quum te læderet; nam qui superior est, nunquam attingitur damno, velut numen quoddam extra humanas injurias et damna positum; sed quid nobis alienis exemplis est opus, qui tot domesticis abundemus, Christi in primis, et Martyrum illius? quorum si gloriosissimas et fructuosissimas victorias admitamur, ac celebramus, illorum nos pugnas imitari fas jusque est, ut ad decoris quoque et gloriæ participatum admit-

ta-

tamur: cedo, et ecquid se Dei Filius atque ipsa eadem veritas vicisse profiteretur? non castellum aliquod, aut frigidum ac inane oppidum, non infirmos, et brevi perituros mortales: *Ego* (inquit) *vici mundum confidite*: Quanta ostenditur fiducia atque alacritatis causa! sub eo Imperatore tirocinium militiae sumus fassuri, sub eo discemus nunquam vinci, sed vincere, qui solus ipse mundum devicerit: Quod si solus tantas et tam validas acies disjecit, fudit, constravit, et quid censemus illius milites ac manum praesente illo facturos? *Nimirum aderit adjutor pugnae, laudator victoriae, coronabit suos*, ut inquit horum castrorum miles Cyprianus, *et ipse coronabitur vicissim per illos*: haec sunt hominum, haec christianorum praelia, et contra hos hostes; haec hominum; nam nec vires eorum, quantumcunque augeantur; tauri, aut elephantis robori, nec animi securitas par erit leoninae, nisi quis ab hominis ingenio ac natura in desperatam aliquam feritatem et rabiem degeneret: Quid, quod vires corporis in parte sunt bruta, et vilissima animositas in ea parte animi, quae a bellis nihil differt, ut victoriae harum partium laus plane sit cum bestiis communis? Quid an non hoc testantur exempla omnia et similitudines de bellica fortitudine ac robore, quae omnia ex bellis, ex rebus prorsus insanis, petuntur? conferuntur viri pugnaces leonibus, conferuntur apris, ursis; eorum impetus, ventis, undis concitatis, tempestatibus, fulmini; pleni sunt harum rerum Homerus, Vergilius, Pindarus, et alii, qui tanto spiritu, ardore, facundia, bella et pugnas cecinerunt; Quanto melius si res mites, humanas, et hominibus profuturas nae illis humanum genus plurimum deberet, quibus nunc perparum debet.

Itaque illa sit verae humanae laudis victoria, quum ingenio, judicio, ratione, mente, consilio, sapientia, virtute superamus, quae hominum sunt propria, non et cum feris communia: Num etiam in gloria ponendum erit, bis millies mille hominum Caesarem suis victoriis occidisse, et tantam injuriam, sicut Plinius dicit, *factam humano generi*? Alexandrum Macedonem Seneca *furiosum juvenem* appellat; Lucanus,

*Terrarum fatale malum, fulmenque quod omnes
Percuteret pariter populos, et sidus iniquum
Gentibus:* (1)

nec possunt victi laudare, a quo tot incommodis et malis sunt affecti; nec tui victores, a quo sunt exhausti; ita pro tanta gloriae spe, animo jam praecipua ac devorata, vel execrationes reportas, vel querelas malevolentia ac odio intinctas et concinnatas: jam, et quis possit illum vere ac ex animo revereri, quem incitatum et prope furentem aspicit, unde colligit pravissimi cordis multa argumenta, levitatis, imbecillitatis, imprudentia? Si imprudens in inimicitias devenit, indicium est temeritatis; sin ultro eas appetit, acerbæ ac immitis naturæ; diffugiunt amici, exhorrent atque abominantur proximi tantam pectoris illius savitiam, et non secus devitant, quam acutissimas spinas, aut animal veneno armatum, cujus non est tam pestis praesentanea, quam hominis rixosi, et ad discordiam proclivis; adde feditatem oris, et confusionem verborum, *ut nescias* (inquit Seneca) *detestabile magis id sit vitium, an deforme*: idem ad alios est puerile, ad alios saevum et formidabile; nam quibus noceri potest, ii terrentur, et periculo, quoad valent, se subducunt; quibus non potest, ii non aliter irati motus et feroces minas rident, quam ferae in cavea tumultuantis, aut tragædi grandia loquentis sub persona Herculis, vel Ajacis; nam et quid est contemptibilius, quam ferox et elatus animus sine viribus? Equidem nihil magis miror, quam esse doctum aut prudentem illum virum, cui haec sunt cognita, qui non a se primum omnium impetret, exigat, extorqueat, ne cui irascatur, ne de illa tranquillissima animi quiete deturbetur inimicitias susceptis, et discordia exercenda, quae quum cuicumque est homini turpis ac probrosa, tum doctos, et eos qui pro sapientibus habentur, maxime dedecet, ut quae omne auctoritatis pondus detrahit, et relinquit sapientiae praecipua fidei inania, quum vident tam alienam esse vitam a professione et dictis magnificis; quem rixantem

et.

(1) Pharsalia. Lib. 10. vers. 34.

et jurgantem videmus, minoris multo facimus, quàm antea; dumque convicium facit, et ipse accipit, eo ille inquinatur; atque ex pugna nigri ac dehonestati recedunt sive victores sive victi: id tanto magis et certius, quòd nulla est rixa, in qua non adversarius aliquid pro se adferat, et contra te, quod tibi suspicionem aliquam aspergat culpæ, ut est nemo sic undique integer ac inculpatus, ut in eo nulla possit hæere nota maledicti.

Quid, quòd nec est tam vilis atque abjectus ullus, tam in commune odiosus omnibus, qui non habeat qui sibi ex affectu faveant, nulla consideratione rationis et causæ; quandoquidem nec Vatinius illi, cujus odium proverbio locum dedit, defuere qui illum foverent, qui adjuvarent, eveherent ad magnos Populi Romani honores, nam et Tribunus fuit plebis, et Prætor: contrà, nullus est adeo apud omnes gratosus carusque, cujus non sint aliqui malevoli ac inimici, qui convicia in illum et libenter audiant, et facile propter odium credant etiam ab homine fæcis extremæ, ut qui Clodium amplectebantur in invidiam Ciceronis, et Vatinium adversus Marcum Catonem: Quis credat, quàm levi verisimilitudine criminis, hominum voluntates commutantur! quàm ideo brevis est a decore ad ignominiam, a gloria ad infamiam transitus! quàm celeriter maledictum mittitur! quantas momento temporis vires colligit! quàm cito hæret! quàm ægre, quàm tarde eluitur, ac perpurgatur! Sunt nonnulli, qui quod convicium non ignorant esse vanissimum, auditum tamen mandant memoriæ, et insigni malitia per occasionem abutuntur si quando illos volunt premere, in quos est jactum: inter homines eruditos elevata tantopere auctoritate litterarum, sprete et conculcata per eorum discordiam sapientiæ majestate, audent irrumpere in verita imperiti, ingerunt se doctorum pugnis, arbitros faciunt certaminis, et sequestros pacis; quanto artium ac disciplinarum omnium detrimento! Lutetiæ in comitiis rectoris, quòd inter Philosophos non conveniret, essetque ad pugnos et fustes progressum, vidi non semel profanum Magistratum comitia illa moderantem, hominem, quantum mihi quidem tum est visum,

non

non hebetem, aut indoctum, deridentem Magistrorum et immodestiam in suffragando, et in loquendo imperitiam: æquum fuit, ut qui se regere nesciebant, ab iis regerentur, quos illis et natura, et jus, ac leges, et ratio, ac dignitas professionis subjecerant. Sunt quidam, qui dum satisfacere huic honoris stultæ existimationi vindicandâ injuriâ affectant, majore se probro ac dedecore involvunt, sicut captæ aviculæ, quæ dum retibus se ac laqueis, temerariis agitationibus conantur explicare, arctius innodant atque irretiunt; ut ille in Hispania, qui ostenso ab inimico fuste, pro accepto se fustuarium habere est professus, in quas se implicuit miserias, dum injuriam, quam non acceperat, ulciscitur! ut gravissime Seneca dixerit, *Multos altius injurias sibi dimisisse, dum vindicant.*

Quanto ille acutius et prudentius, qui cum alapam accepisset, clam dedisse se simulavit: ita dum uterque et datam a se, et acceptam ab altero contendit, res est plausibili risu extincta; qui dederat, contentus fuit conscientia, qui acceperat, simulatione. Convicium, vel patientia exceptum non hæret, vel ratione sine ira dilutum amittit vires, ita autem in argumentum sumitur conscientia; at vero qui convicium gladio regerit, tam honorem suum lædit, quàm inimicum de quo se ulciscitur, relinquit enim in animo cujusque suspicandum quod cuique libet, ita nec illis satisfacit, nec, quum id reputat, sibi ipse: christiani hominis verum ac solidum decus situm est in testimonio suæ conscientia, et approbatione illius Agonothetæ Dei, qui spectator et arbiter est nostrorum et operum et cogitatum: *Non qui se ipsum commendat, inquit sanctus Apostolus, is probatus est, sed quem Deus commendat:* magnum est, juxta vetus proverbium, *Athletam placuisse Herculi:* nullus erat in gymnasio tam ambitiosus juvenis, aut captator auræ popularis, qui non se uni Herculi maluisset approbari, quàm universo, quamlibet numero, consessui: quòd si in quo nos exercemus, tantum illius tribuimus oculis qui plurimum in ea arte valet, ut orator Ciceronis aut Demosthenis, Apellis pictor, Medicus Galeni, quid nos sentire de spectatore nostro Deo fas est? Quam omnia quæcunque vel dicimus, vel facimus, vel etiam cogita-

mus, quandoquidem sancta illa et omnipotens Majestas rebus est omnibus præsens, ad illius voluntatem atque approbationem ita sunt accurate dirigenda, ut collimemus! Illinc ergo honor christiani hominis, non ex stultis, incertis, caducis hominis unius aut alterius sermunculis: hanc ipsam virtutem postea honor consequetur, etiam minime abs te quæsitus, immo vel rejectus interdum ac repulsus; est enim honor virtutis umbra, itaque sapienter Socrates suos admonebat compendiarium esse ad laudem et summum decus viam per virtutem, si talis quisque esset, qualis vellet existimari; umbram qui cupit retinere, non illam, sed corpus ejus apprehendit: Quanta est ad omnes spectantes reverentia animi in sua pace tranquilli, et nostra ista fastigia supergressi, atque ea despicientis, quæ nos suspicimus, atque admiramur?

Colligantur omnia omnium et veterum et recentium dum gesta bellorum, non ea æque laudant homines, et cum dulci quadam benevolentia in animos recipiunt, ac si quid ab illis audiunt clementer, mansuete, humaniter esse factum; illa caritatem in tam antea vita functos, illa plausus, et favorem, et gratam sui memoriam excitant, illorum et nos libenter et sæpe recordamur, quos Deo simillimos esse arbitramur, non victoriis et cædibus, sed summa moderatione in summa potentia, ut tam parum libere sibi per mansuetudinem imperaverint, quibus tam multum per opes ac potentiam licebat: Quàm favorabilis et omnium sermone celebrata est illa laus: *Noluisse nocere quum posset*: quum illud, etiam qui nihil damni accepimus, tamen *nocuisse* execremur! Virtus nemini unquam nocuit, prodest etiam sublata ex oculis, et occultis actionibus sepulcro est superstes ad juvandum: Utrum vero, Alexander Macedo majorem nactus est gloriam, aut in animos legentium libentius admittitur Darium, Porum, et totam Asiam vincens, an quum clementissimè se atque humanissimè adversus matrem, uxorem, et liberos Darii gerit, qua mansuetudine animi id consecutus est, ut vetula Sysigambis, post filium, et nurum, et tantas amissas opes, durare sustinuerit in vita, non sustinuerit post Alexandrum? Quin etiam nunc ob eam ipsam causam bonorum

Prin-

Principum numero non prorsus eximitur, inter quos non magis reponitur ob victorias, quàm Lysander, vel Hannibal, vel Severus. Etiam in privatis hominibus, et in tenuitate rerum, ex vitæ constantia, ac perpetuo quodam tenore, intelligitur non pacem illam ex ignavia esse aut segnitie animi profectam, sed ex vitæ instituto atque animi altitudine; et fama hæc virtutis, ut splendor tamquam ex quodam ortus sole, non se unius domus aut civitatis angulo cohibet, concluditque, sed quoquo versura radios emittit, ut etiam in abditissima et maxime recondita penetret: Quanta plures sunt humiles ac egeni homines, constantia pacis ac virtutum, ampliorem consecuti famam, et veriolem gloriam, quàm magni Reges hominum strage et bellicis victoriis!

Si tamquam ad censem multitudo vocaretur, quæ prodirent philosophorum apud gentes examina, quæ prophetarum apud Judæos, quanta Divorum in nostra religione? Nec est quòd quisquam miretur, quum in virtute lauderetur homo, in bello bellua; bellica laus opinionibus hominum constat, virtutis vero gloria natura; itaque videas laudari ac celebrari bellaces illos Hannibales, Alexandros, Cæsares a perpaucis, Socrates vero, Platonem, Senecas, Paulos, Petros, Augustinos, Ambrosios vel latronibus esse venerabiles ac sacrosanctos; videlicet, illorum arma et bellicæ artes bonis nocuerunt, horum studia et actiones omnibus in commune sunt usui, bonos meliores reddunt, malos utcunque inhihent, et interdum ad virtutem exemplo sui flectunt aut bene monendo; in magnis ducibus ardorem quandam animorum igne volucrem, ut ille dicit, laudant, in sapientibus, et sanctis viris, velut Numen quoddam illis clausum pectoribus adoramus: Quanta veneratione mens nostra unius ejusmodi occursum viri imbuitur, ut ei non parère velut Numini cœlitus delapso nefas habeatur, et illi nonnunquam a nobis impetrent, quod nec leges civitatum et minaces illis pœnæ additæ, nec Principum potentia ferro et præsentem morte armata! *Tumultuantes conciones*, quas, nec præconum voces silentia indicentium, nec lictores et fascis magistratum, nec magistratus ipsi et minæ carceris, nec immissus in turbam

Ccc 2

mi-

miles sedavit, quemadmodum eleganter Virgilius inquit, (1)

—*Pietate gravem, ac meritis si forte virum quem
Conspexere, silent, arrectisque auribus astant;
Ille regit dictis animos, et pectora mulcet:*

idcirco imperiosius esse imperium quieti et tranquilli animi experimur, quàm præfervidi ac turbulenti: (2)

—*Peragit tranquilla potestas
Quod violenta nequit, mandataque fortius urget
Imperiosa quies.*

Quid de diurnitate loquar? Ingentes victorias, clades, ultiones, non solum qui passi sunt conantur hominum memoriæ eximere, quia conjunctas esse cum aliqua sua ignominia arbitrantur, verum etiam iidem ipsi, qui fecerunt, confundi ejusce rei notas, et deleri recordationem cupiunt, vel ad tollendam suspicionem suæ crudelitatis, vel ad sarctam et reconciliatam amicitiam solidandam, ne tanta sævarum supersint inimicitarum vestigia; et alioqui sine hominum cura hæc omnia tempus consumit; utique est e re hominum penitus aboleri, at exempla mansuetudinis, tolerantia, modestia, moderationis, quàm omnes extendi ac propagari cupimus, consignamus litteris, exprimimus picturis, narramus alii aliis! et quia libenter; ideo crebro tradunt parentes filiis, magistri discipulis, ad imitationem virtutis, ut ejusmodi factorum memoriam necesse sit esse immortalem, et esse, hominum generi conducit: eundem de istis, qui per bella, et discordias, magnitudines falsas quærunt, audire pervelim, num sit aliquid in mundo majus, quàm proxime ad Divinæ naturæ sanctitatem, majestatemque accedere? At huc mansuetudine, clementia, et pace pervenitur; nihil est enim mitius Numine, et cujus potentia vim ac magnitudinem ingenia nostra non capiunt, hunc potissimum constat de clementia esse admirabilem: Quænam est ista insana feritas, existimare dejecti ac degeneris esse animi, parcere,

aut

(1) *Aeneid. lib. 1. v. 155.*

(2) *Claud. de Mallii Theod. Cons. Paneg. v. 2; 8.*

aut pacem petere? Ergo vilis et degener Deus, qui toties a nobis offensus, et sanctis suis legibus violatis, ad pacem et amicitiam vocat? *Convertimini ad me*, clamat idem ipse, *et ego convertar ad vos*: An non inter ipsos quoque homines, quo quisque est excelsiore animo, hoc eum ad ignoscendum proniorem experimur, minusque injuriarum persequentem? quod in generosis feris videmus contingere, quippe leones, et ursi, et elephantum, minus injurias suas sentiunt, minus persequuntur, quum contra, timida animalcula instent, et sæviant in prostratum: An vero humaniorem existimari inhonoratiorem oportet, et sapientia in stultitiæ est numero collocanda? plane ostendimus nos diaboli discipulos id solum habere in precio, quod illi maxime placet.

Apud Indos narrant nostri Nautæ esse quasdam gentes, quæ inter bona vitæ hujus, solam numerent concordiam, et duobus dissidentibus tam esse honestum qui prior occupet pacem, quam is inter nos est probro atque ignominia obnoxius; quanto illi sapientius solo naturæ magisterio, quàm nos tot litteris et libris et cælesti philosophia ad scelus abutentes! Indos ergo similiores fecit Deo natura, quàm nos institutio? Est ne aliquid magis in tanta potentia beneficium, quàm Deus, qui infinitas illas suas vires nunquam ad nocendum ostentat, semper juvando, et beneficiis immensam esse suam potentiam declarat? Contra, nostri homuli ad principatum, et res administrandas evecti, nocendo patefacere volunt quantum possunt, quum alioqui nihil sit facilius etiam infirmissimo quàm lædere: vera magnitudo beneficiis ostenditur, nam prodesse, hoc demum est posse: quum Lacedæmone nuntiatum esse Olynthum esse a Philippo eversam, Ægesipolis Cleombroti filius sapienter subjecit, *Atqui talem ille urbem nunquam condet*, nimirum significans non protinus Philippum magnum aut potentem debere censerì, quòd Olynthum bene conditam et constitutam delevisset, sed si alteram urbem illius similem construeret ædificiis, fundaret legibus; nam civitatis statum subvertere, et urbem excindere seditiosus potest civis, pistor, vel nauta, de fæce vulgi, ut his proximis ostensum est Hispaniæ motibus; at condere, erigere, fundare, consti-

tue-

tuere, hoc demum est magni viri et præcellentis: hæc quidem, quæ sunt a nobis adhuc dicta, extra hominem natura posuit; accedamus propius. Sunt in homine partes duæ, corpus et anima, corpus velut ægrum non potest sine continuis medicamentis vivere; clausis terra et mari itineribus, ut quibus nobis opus est nequeant importari, et domi vero depopulato agro, ac exciso, non possumus iis rebus ali, quæ salubritati sunt corporum necessariæ, quid si obsideamur, et deliberatum atque obfirmatum sit deditionem non nisi in rebus extremis ac deploratis facere? ibi cibos in corpus ingerimus tetros, et solo nomine abominandos; quoties legimus clausos tolerasse se equis, canibus, felibus? quoties muribus? quum Athenæ obsidione premerentur a Demetrio, qui se Poliorceten cognominabat, tam dira fuit fames, ut ob murem forte e tecto delapsum mortuum, pater et filius ferro dimicarint, et quidem Philosophi: nuper in Gothallonia muribus se bellis Gallicis aluerunt, quibus quærendis etiam domus diruebantur.

Nec res est obsidentibus commodior, vastato ab eisdem agro, conculcata in herba segete, corruptis frugibus, vel clausa hostium armis regione, vel quum in hostico habentur stativa, et obsessores odio vicinarum gentium laborant; itaque in castris ea est vita, quam ne canes quidem perferrent, quantumcunque vincti; quin, abrumpere omnia, quæcunque remorantur, conarentur, ut diffugerent; esuriendum est unum atque alterum diem, aut se tolerandum cibo exiguo, atque eo foedisimo et aversando, et quem nemo intueri sustineat apertis naribus, qualem etiam sus obesissimus fastidiret, et eo loci, ubi etiam si delicatissimas habeas epulas, salubres esse corpori non queant, in cæno, inter sanicem, et tabum, inter cadavera: Carolo, Burgundiæ Duci, nocte, qua ad montem Hericum vicit, trepido adhuc, nec satis victoriæ suæ fidenti, mensa est humi apposita, et tria aut quatuor cadavera subducta ex eo loci, ut esset ubi Princeps sederet victor; tum unus aut alter fascis allatus straminis; ibi fessus e labore prælii, et saucius, et parum securus, sumsit eam cœnam, qualem conjicere quisque potest illo et loco et tempore et rerum motu potuisse apparari: sæpe-

nu-

numero non cibo vescimur, sed quacunque materia in ventrem ingesta; ut quum Cæsar ad Dirrhachium obsideret Cn. Pompejum, inopiâ commeatum, Cæsariani milites, quidquid terræ affixum invenerunt, pro alimento sunt usi: in exercitu Marci Antonii, triumviri, quem contra Parthos ductabat, absumto quod habebant frumento, et hordeaceis panibus argento repensis, tam foeda fames exercitum invasit, ut quidquid in agro radicibus hærebat, evulserint ad esum; inciderunt in herbam, quæ alienatos homines, et mente captos ejecta bili enecabat; qua peste plurimi sunt desiderati: quoties ventum est ad lora madefacta? quoties ad humana corpora decimo quoque in sortem vocato, ut in exercitu Cambysis quem in Æthiopiam ducebat? Bellisario Justiniani Duce cum Ostrogothis in Italia bellante, tanta fuit annonæ penuria, ut se hominum corporibus coacti sint tolerare.

Nec unicum est malum cibi inopia, sitis quoque infestat, sicut in reliquiis Pompejanis, quas Cato per Africæ deserta transtulit in regnum Jubæ; in mari, et fames et sitis est atrocior, quod celerrime omnia corrumpuntur, nec est effugium inter undas, ut saltem fuga liceat præsentem urgentemque perniciem evadere: Et istis, sic pastis, detrahitur (credo) labor, aut habentur mollius corpora tam maligne alita? perferenda Centurionum, atque aliorum ducum, et verba superbissima, et verbera gravissima, cubandum humi, sub dio, interdium, nocte, in æstu, in pluvia, sæpe in fossa aqua plena, tranandi vorticosissimi fluvii, cædenda robustissima silva, luctandum cum dumetis et vepretis densissimis et cum natura ipsa rerum, portandum vallum, ducenda fossa, aggerenda saxa, aut arena, construendum, diruendum, laboriosissimè, et inter volitantes sagittas, et bombardarum glandes, bajulanda impedimenta humeris et dorso ut mulis, nec ea appellatione carent qui re id præstant, *mulæ* nominantur *Mariani*, instituto Caji Marii; et hæc illis patiendâ, qui in castra tamquam in asilum quoddam quietis et otii, odio laboris ac arrium bonarum confugerunt, itaque illud sunt nacti justissimum desidiæ præmium: prætereo cæli injurias, æstus, calores, imbres, et in mari tempestates quibus maximæ sunt sæpe classes jactatæ

ac

Corpus nostrum ægritudinibus obnoxium.

ac elisæ: ex quo verbo venit mihi in mentem loci cujusdam Senecæ in Naturalibus quæstionibus, quem equidem propter sententiæ gravitatem, et gratiam verborum, non gravabor adscribere.

Quæ nos, inquit, dementia exagitat, et in mutuum compellit exitium? vela ventis damus bellum paraturi, et periclitamur periculi causa; incertam fortunam experimur, vim tempestatum nulla ope humana superabilem, mortem sine spe sepulture; non erat tanti, si ad pacem per ista veheremur; nunc quum evaserimus tot scopulos latentes, et insidias vadiosi maris, cum effugerimus procellosos desuper montes, per quos præceps in navigantes ventus impingitur, cum involuto nubilo dies, et nimbis ac tonitruis horrendas noctes, cum turbinibus divulsa navigia, quis erit hujus laboris ac metus fructus? quis nos fessos tot malis portus excipiet? Bellum scilicet, et obvius in littore hostis, et trucidandæ gentes tracturæque magna ex parte victorem, et antiquarum urbium flamma; quid in arma cogimus populos? quid exercitus scribimus directuros aciem in mediis fluctibus? quid maria inquietamus? parum, videlicet, ad mortes nostras terra late patet; nimis delicate fortuna nos tractat; nimis dura dedit nobis corpora, felicem valetudinem; non depopulatur nos casus incurrens; emetiri cuique annos suos ex commodo licet, et ad senectutem decurrere; itaque eamus in pelagus, et vocemus in nos fata cessantia: Miseri! quid queritis? et mortem, quæ ubique superest? Petit illa nos et ex lectulo, sed innocentes petat; occupabit nos in nostra domo, sed occupet nullum molientes malum: sic Seneca. Hinc in castris, ciborum, et victus rationi certissima parata est lues; nihil est quod vetera ponam exempla; nunquam dissolutus est sine gravi aliquo et detestabili morbo exercitus, sæpe etiam novo et inaudito, videlicet, λοιμός μετά λιμόν, ut est in Græco proverbio; fieri aliter nequit quominus affligatur tantâ inediâ, et ejusmodi alimentis valetudo, et corrupta morbo tot corpora contagiem suam in vicina transmittant, et ut sunt cibi insoliti atque a natura corporum nostrorum abhorrentes, ita morbi quoque fœdi, abominabiles, et nunquam antea cogniti; vel ipsa tam diuturna inedia, quum reditur ad priorem et consuetam victus rationem, morbum generat, et sæpissimè præsentaneam perniciem ac interitum adfert,

ut

ut Perpiniaci soluta obsidione, quum liberi jam, et in campos egressi, cibum ac potum largius sumerent, plurimi subito vitalium compressu expirabant; et processisset longius ea pestis, ni diætâ occursum fuisset a medicis. Sed recedamus paullisper a bello et castris.

In ipsis urbis tectis, et sub toga, fervor ille iræ, et æstus cordis ultionem expetentis, concutit velut tormento quodam animos et corpora; nam dum in hoc tamquam corporis carcere animæ nostræ inclusæ detinentur, permagna est illis cum corporibus connexio ac colligatio, ut impetus, et commotiones vehementes, non illum solum in quo fiunt afflicent, sed etiam utrunque: hinc et affectus alii atque alii in animum ex corporis habitu dimanant, ut ex animi affectionibus morbi in corpus, atque etiam hominis interitus consequatur: sic obiit L. Sylla Puteolis, dum in Granium quendam Puteolanum ardentius excandescit: de lætitia, de mœrore, de metu, infinita sunt exempla, nec de ira pauciora: nec corpus curamus, dum in æstu illo ex anxietate obliti nostri, vel ultionis cupidine anhelamus, vel metuentes nos contrahimus: (1)

Oblitusve sui est Ithacus discrimine tanto:

nec ulli nos loco, nec homini, nec cibo credimus: ergo, quod sumitur, qui potest esse in tanta perturbatione mentis vel salubre vel jucundum? Jam, vita ipsa, et libertas, et salus, semper est sub ictu, sive in castris, sive in urbe, quia inimicis perpetuo pendet utrinque hamus, occasione suæ intentus, et impetunt mutuo fuste, saxo, ferro, funda, arcu, scorpione, bombardâ, cuniculo, veneno; addunt his tot artes, astutias, fraudes; nec in acie inter volitantes glandes, aut ingentes bombardarum globos, licet vel leviter commutato loco præsentem mortem declinare; cadendum est tibi vel a bombardâ icto, vel a socio, quem tua es dilaceratione in idem fatum tracturus: Extra aciem vero quis evitabit tam intenta et vigilantia ad nocendum ingenia, tanto periculosiora quanto magis vicina? ad-

Tom. V.

Ddd

vo-

(1) Virg. Æneid. lib. 3. vers. 629.

Alias tonitribus.

Morbus post famem.

vocantur omnes nervi ingenii et rationis, excogitantur tot artes, et lædendi viæ; bene ageretur cum humano genere, si tam intentam curam, et continuum in bonis artibus laborem collocaret: didicerunt jam homines, et usu continuo, et aucta in dies rabie odiorum, ita habere viles hominum animas, ut a cane, et ab homine offensus, magis dubitet canem occidere, quàm hominem.

Milites primi in acie.

Quid ego furorem illorum commemorem, qui dum instruuntur ad concursum acies, ingentis cujusdam muneris loco a ducibus suis petunt, ut primi collocentur, hoc est, primi oppetant mortem? ita meritorum suorum et laborum omnium abunde relatam esse sibi gratiam præ se ferunt: non est hæc fortitudo, sed stultæ gloriæ cupido inconsulta: Miserum! quid laudabunt? cadaver jam non sentiens? quid refert sive laudent illud, sive equum tuum? at quinam homines laudabunt? ii quos ipse non ignoras esse stultissimos et insipientissimos, ut veræ virtuti testimonium non possint reddere quia nec judicant, nec si judicent, quibus sit verbis opus, extollant; et illis ipsis fortasse non licebit te laudare occupatis majore malo; aut factum aliquod, quod ad victoriam majus attulerit momentum, tuum illud primum obscurabit, et face lucerna obruetur; aut non erunt qui laudent, cæso exercitu, aut certe consciis virtutis tuæ, sic enim libet nominare, illorum vocabulis, qui viros bonos nominant iracundos, superbos, crudeliter animosos, et sævitiam virtutem. Sed fac loqui: Quàm loquentur diu? postredie non meminerint scortis et alexæ suæ intenti. Quanto aliter in concordia! affluit copia rerum omnium beatissima, et eorum quæ intus in agro proveniunt, et quæ foris importantur, quum sunt omnia salubria ex se, tum vero fiunt salubriora et ex cælo a contagiis puro, et ex cujusque animi tranquillitate et quiete: videre est maciem et pallorem invidentium, aut discordium, quorum corda offensæ dolore, aut vindictæ cura, et cupiditate, coquuntur; quàm foras affectus promicat, et signa sui in facie et toto corpore sparsa imprimit! contra, iis quibus intus pax est, lætitia in aspectu ipso intelligitur, de quo sunt illa viri sapientis in sacris parabolis: *Melior est buccella panis cum*
gau-

gaudio, quàm domus plena victimis cum jurgio: *Animus gaudens atatem floridam facit, spiritus tristis excicat ossa*: profecto non minorem excitat in animo discordia tempestatem, quàm quum venti velut agmine facto, ut inquit Poëta, (1)

*Qua data porta ruunt, totumque a sedibus imis
Una Eurusque Notusque ruunt, creberque procellis
Africus, et vastos volvunt ad littora fluctus.*

Non possum aptiore similitudine motus in animo discordiæ ob oculos proponere: ita cunctæ pariter tempestates et perturbationes, partim a superbia excitatæ, dum nocere parat partim a sollicitudine, dum ne noceatur sibi, vitat et cavet, tumultuantur, ut venti illi in angusto, et *qua data porta ruunt*: nec aliud existimanda est cuspis illa qua Æolus montem impulit, quàm mucro discordiæ: quòd si huic immani ac sævæ cupiditati vires sint additæ, tum fit illud, quod alibi Poëta idem canit: (2)

*Ipse pater, media nimborum in nocte, coruscã
Fulmina molitur dextrã; quo maxima motu
Terra tremit: fugere feræ, et mortalia corda
Per gentes humilis stravit pavor:*

nullus, discordia nuntiata, relinquatur affectus in animo quietus aut otiosus: videre mihi videor illum, quem Romani Gallicum aut Italicum tumultum nominabant, in quo nullæ valebant vacationes, nec stipendiorum emeritorum, nec ætatis, nec dignitatis, quin omnes etiam viri consulares irent ad saga: prima omnium consurgit ira, tanta interdum, ut ex ea in furorem brevissimus ac facillimus sit gradus, quemadmodum in Hercule et Ajace; nec Ennius injuria, *initium furoris dixit esse iram*, tum invidia, affectus teter, ac rabidus; hinc mæror, spes, lætitia, metus; quippe, *neesse est metuat multos, quem multi metunt*, ut ille dicit: quales sint tyrannorum metus ac terrores, idem ipsi declararunt; ut doctus Varro et ingeniosus Dionysius Syra-

Tumulus quem Romani Gallicum aut Italicum nominabant.

Ddd 2

cu-

(1) Virg. Æneid. lib. 1. vers. 87.

(2) Virg. Georg. lib. 1. vers. 328.

cusanus, qui amicis opes suas, et fortunas, et regiam dignitatem laudantem, ut specimen ejusmodi vitæ sumeret, collocari jussit in lecto ornatissimo, et regio more atque apparatu convivium instrui, e lacunari vero supra cervicem illius acutum gladium suspendi de seta equina: et quamquam non omnes sunt fortunâ tyranni aut Reges, omnes tamen qui inimicitias exercent, et metum faciunt, in eadem sunt pavoris et formidinis conditione; neque enim solus ille Dionysius filias habebat suspectas, aut solus Pheræus Alexander uxorem; in quamlibet humili recto et tenui fortuna trepidandum, metuendum, expavescendum est discordi: et quemadmodum nec amicis, nec notis, aut propinquis fidimus, ita nec tutos nos esse arbitramur a rebus conjunctissimis, quæque vel idem sint nobiscum, liberis, et uxore, videlicet, non ignari, quot mariti sint ab uxoribus, quot parentes a filiis proditi et venditi, quodque magis mirandum sit, filii a parentibus, dum vel iræ ac discordiæ suæ serviunt, vel manus suas alienæ discordiæ accommodant. Nulla est in animo unquam pax, aut quies, sed curæ irrequietæ, et anxia sollicitudo, omnia semper tumultu plena, et panicis terroribus; nam sicut per nebulam intuentibus omnia videntur esse majora quàm re vera sint, ita per iram, aut metum, et discordiam judicantes, omnia graviora esse, et atrociora censeant, verba, facta, gestus; omnia in pejus interpretantur, stimulata mente odii ac simultatum cæstro.

Itaque voces et sonitus omnes anxii et suspensi captant, ostii strepitum, felis vocem, soricis stridorem, impetum esse irruentis inimici suspicantur, arborum umbras armatos hostes, et fugiunt non inimicos, sed suam ipsorum mentem hæc sibi confingentem ex terrore; nec ulla est tam levis per noctem commotio aut sonitus, qui non male quietos somnos interrumpat, ut non solum inquieta sit vigilia, sed somnus ipse nomen illud suum quietis jucundissimum amittat; nulla mortis mentio, quæ ipsos non exanimet, gladium, venenum, arcum, bombardam, vel si nominetur, imminere sibi, ac supra caput instare suspicantur. Avertit ea cogitatio animum, ut nunquam adsit rebus præsentibus; itaque nec tempus anni vernum, et illa camporum

amœ-

amœnitas, atque avium concentus, nec ulla alia harmonia, nec convivia, nec amicorum colloquia suavia esse possunt, animo, id est, lætitiæ et suavitatis fonte corrupto ac venenato; seque omnibus privat voluptatibus, quum intus calamitates cuncta obsideant, ut nullum cibi genus gratum esse potest ei, cujus palatum febre et bilioso est humore depravatum: Est ne hoc vivere, an torqueri, nec finem invenire tormentorum? Hæc sunt furæ illæ ac intemperæ animorum, quas poëtæ ardentibus facibus consceleratum hominum mentes persequi non tam finxerunt, quàm imagine quadam quid homines paterentur, ostenderunt; nec dissimilia sunt apud vita functos scelerum, et malæ actæ vitæ supplicia: at in concordia nihil non est gratum, et dulce, tali conditura cibus omnibus infusa, etiam hibernæ tempestates, quoniam intus est serenitas quæ tempestatem illam procul ab animo ejicit ac depellit, etiam inconditi atque absurdi soni, quoniam interior harmonia effecit, ne absona illa exaudiantur, etiam cum iis, qui nos odio prosequuntur congressus et confabulationes, quoniam amor, qui animum occupavit, exterius odium non aliter colliquefacit quàm ignis ceram: hoc vidit vir ille prudentissimus, qui in lite decem ducatorum millium causam adversario cessit, quod diceret pecuniam, præsertim tantam, ob voluptates modo quæri, at, sibi plus paratum iri voluptatum, cessione illa, et renuntiatione controversiæ, quàm pecunia victa lite; *Nec mihi nec adversario tam sum*, inquit, *hostis, ut pecuniæ illius spe tam duram acerbamque utrique nostrum fabricet vitam*: instrumentum vitæ est pecunia; at homines miseri, qui sequuntur lites, prius moriuntur quàm vivant, et quum vita sit deinceps incerta, ipsi eam in præsens certâ morte mercantur: denique ut inferorum imago est discordia ad vivum expressa, ita concordia cœlestis vitæ, et gustus quidam sempiternæ illius beatitudinis.

Ingeniorum nullus esse per discordiam potest cultus; artes illæ cellulariæ, et quæ manus operi admoliuntur, jaceant necesse est sublato quæstu, hoc est, earum honore ac precio, commeatibus interclusis, quum aliud nec emitur, nec habetur in precio, nisi quod quotidianis et inevitabilibus necessitatibus ser-

viat;

Furæ arden-
tibus faci-
bus perse-
quêtes cons-
celeratos ho-
mines.

Cultus inge-
niorum nul-
lus per dis-
cordiam.

viat; nec est, qui vel eas artes, vel has magis ingenuas tradat, aut percipiat, in bello demersis omnium animis, ac cogitationibus in cura belli et sollicitudine eventus; nec est unde alantur eruditionem traditurus, et accepturus, in publica omnium egestate, aut certe parsimonia, quum nullæ sint tantæ opes, quæ bello vel mediocri sufficiant; sed qualiscunque occuparit animum discordia, sive publici belli, sive civilium factionum, sive privatarum et inermium simultatum, nec docere præceptorem sinit, nec auditorem addiscere, nec patrem de institutione filii prudenter consultare: *Quomodo philosophabor*, inquit Græcus ille, *in quem semper incumbit servitutis, paupertatis, mortis metus?* Nec foris exaudiri sapientis hominis vox potest, quum armis universa perstrepat, et tumultu sint plena: (1)

Sed carmina tantum, inquit Poëta,
Nostra valent, Lycida, vela inter Martia; quantum
Chaonias dicunt, aquila veniente palumbas:

nec intus potest aliquid audiri, atque intelligi, quum major adhuc in animo agitetur tempestas, et vastiores clamores omnia confundant, tumultuante illic discordia, quibus obtunditur mens ne quid exaudiat aliud recte ac sapienter dictum; Quam multi, magnis et præstantibus ingeniis præditi, longissime in artes ac sapientiam potuissent progredi, nisi avocati essent discordiis, retracti cura inimicitiarum, qua publice, qua privatim! multa sunt utriusque rei exempla, sed de publicis dissidiis notiora etiam in Principibus viris Alcibiade, Alexandro, Julio Cæsare, Germanico Drusi filio: jam vero quemadmodum omnia concedunt in mores victoris, et voluntas regentis est pro lege, et vita pro exemplo, ita ubi furor omnia occupavit, non solum ea facit sui juris, sed sapientiam, modum, moderationem derisui esse, et haberi pro insania: ergo contempta, despectaque omni sapientia, et mentium cultu, libri proculcati et pro nihilo habiti, tamquam vilis præda, et sarcina inutilis, vel ferro, vel discerptione, vel igne sunt absumpti; hinc tanta biblio-

thecis clades, et tot desiderantur magnorum auctorum monumenta, quibus amissis, dici non potest quantam studia et artes omnes plagam acceperint, ut bellis Gothicis, Alanicis, Agarenicis, nec exigua, ut credi par est, librorum jactura nunc Roma capta et direpta.

Pace opus est, quiete, concordia, ut ingenia excolantur, et vigeant artes; *quiescendo*, sicut est apud Aristolem, *paratur sapientia*; non motibus et perturbationibus animi, haud aliter quam in turbulenta aqua nihil videtur, quæ clara perspicuaque, dum quiescit, et pisciculos et calculos in immo ostendit: in Pop. Rom. quamdiu ille vicinis bellis et proximo terrore est concussus, nullæ omnino fuerunt litteræ, videlicet usque ad finem belli Punico secundi; liberatus, et defunctus propinquis bellis, respiravit ejus animus, et vacavit ei litteras atque humanitatem, hoc est, unicum pastum suum requirere; quidquid enim fuit litterarum in illa gente, id totum a domita Carthagine usque ad Antoninos floruit; et nuper nascentes in Italia litteræ, quasque longo postliminio domum revertentes, secedere nunc et latere sunt coactæ, concussa et discerpta tot nationum bellis Italia: Hispania mea a prima sua origine in regulos, et proinde in continua bella dissecta, rudis atque agrestis litteris, et omni pæne humanitatis cultu caruit; pace vero per Romanos parta, et divulgata illis partibus in unum velut corpus redactis, litteræ, atque eruditio fuit tanta, ut certare cum ipsa Roma posset, sive cognitione rerum, sive ingeniorum acumine, quod satis abundeque testantur monumenta litterarum, quæ sunt ante Gothorum adventum ab Hispanis conscripta; post Gothos et Agarenos nunquam Hispania de manibus arma posuit, ideo tam rara illic eruditio, et si qua erat, sordida et de fæce hausta; nunc vero, ubi sublatis perpetuis hostibus, qui octingentos prope annos in visceribus illius, tamquam gravissimus quidam morbus, hæserant, arma abs se in alias nationes convertit, partaque est aliqua domi quies, incipit ad pristinum illud decus aspirare, et ornamenta illa ingeniorum, tamdiu amissa, per veras ac solidas disciplinas requirere: hoc idem Galliæ contigit, hoc Germaniæ, et ceteris nationibus ac provinciis; quippe, nulla
ars,

(1) Virg. Eclog. 9. vers. 11.

ars, nulla disciplina ex illis præstantibus, et quæ, in animis sitæ, animorum vi atque actione exercentur, vel percipi potest recte, vel ad alios perferri, eo devincto atque impedito quo uno constant, nempe, animi ac mentis lumine atque acie; utique nec viles illæ, et quas manuum operationibus tuemur, colligatis manibus, et externis sensibus vel extinctis penitus, vel vitiatis.

Quòd si quis morbus pictoris, aut celatoris, aut agricolæ manus invadat et constringat, regere digitorum articulos ut non queat, si musici aures, quomodo artem illam tuebitur ac præstabit, quam profitetur? Eundem ad modum res se in ingenuis habet artibus, et studiis totius philosophiæ; si enim vis illa et quasi mentis oculus, odii atque iracundiæ pulvere ac nebula obductus est, penetrare ad recti verique dispicientiam ut non valeat, nec percipere poterit illam inventorum a maximis ingeniis subtilitatem, nec tradere: ita, videmus a præclaris ingeniis, quum in eruendam veritatem alicujus rei altissimæ obrutæ ac reconditæ incumbunt, quæri loca quietissima, et ab omni turba ac strepitu remota, eligi tranquillitatem, et silentium illud noctis perpetuum: sed quid juvabit pacata esse procul omnia, si proximus vicinus, si etiam contubernalis ebrius, vociferetur, et clamoribus inconditis, atque absurdis, omnia repleat, ac confundat? si curæ inturbent, si quiritetur ira, si pungat, si sollicitet, si vexet, atque infestet odium? Percur- rat quis per artes ac disciplinas omnes, inveniet unamquamque quietem animi exigere, sine qua defungi officio non possit: in Grammatica, illa rerum et verborum cognitio, illa reconditorum ac difficilium, apud Poëtas, Oratores, historicos, locorum inquisitio, atque intelligentia, vacantem aliis curis animum requirunt: Quid carmen pangendum? an non Poëtas, vel divino quodam afflatu instinctos, in nemora, et loca, silentio, ac solitudine venerabilia, mittit, in quibus sacræ habitant Musæ?

Carmina, inquit Ovidius, proveniunt animo deducta sereno:

Carmina, secessus scribentis et otia quærent:

Horatius queritur sibi occupato in tantis turbis et clamorosa civitate non liceret carmen componere: ideo Poëtæ grande aliquid man-

mandaturi chartis, degeneres recedere optant curas, et se terris ac nubilis eripi: Dialectica purum atque exactum iudicium postulat, minimeque affectionibus vel detortum, vel obscuratum, nihilque disputantibus æque obesse, docet Aristoteles, ut ira incendi: Orator, vel odio tumens, vel ira inflammatus, quid dicet ingenio et eruditis auribus dignum? effundet furore plenos clamores, et tumultu omnia replebit; et quum nulla sit ars, quæ ita prudentia nitatur, ut oratoria, nullam ab affectibus, ab odio, ab inimicitiiis, ab animi commota atque effervescenti iracundia, longius convenit abesse, quæ omnia si mentem occuparint, procul inde prudentiam omnem abigent, atque expellent, sine qua, oratoria insania est, non res gravissima ac præstantissima.

Mathematicæ artes, in sacros se se mentis recessus, et venerandum silentium recipiunt, ut vel in medio prælio, et urbis oppugnatione, quum jam hostis murum et portas tenet, jam faces ædificiis admoveat, pax et quies sit in animo mathematici, qualem in Archimede fuisse accepimus, quum Syracusæ a Marcello caperentur: Quid? ea philosophia, vel quæ est de contemplatione naturæ, vel de moribus, potest ne a concitatis et concussis animis percipi ac teneri? Qui naturæ rerum cognitioni erant dediti, non solum publicis rebus omnibus, et privatis, renuntiabant, verum etiam suo ipsorum corpori, ut non modo vanitatem injuriarum ullam, sed nec morbos, nec incommoda sentirent, vix etiam dolores acerbissimos, ut posuisse hinc sensus omnes corporis viderentur, dum se in peregrinationem naturæ dabant, et per cælos ac elementa vagabantur; sic Thales, sic Pythagoras, Democritus, et alii fere vitam ediderunt ea mente atque instituto ingeniorum et actionum: jam, ea quæ mores et hominum animos ad pulcherrimum habitum componit, quum tota ad quietem quandam et dulcissimum pectoris contentum pertineat, quomodo in agitato et perturbato inimicitiiis corde sedem et domicilium ponet? Quis philosophiam hanc vel assecutus est in Græciæ populis primus, vel tradidit, nisi ille Socrates hac ipsa de causa sapientissimus nominatus et habitus? in cujus animo incredibilis erat altitudo ad despicientiam injuriarum, tanta et tam pertinax quies, ut eodem oris

habitu et ingredi domum sit solitus et domo egredi; ita affectus suos omnes rexit, habuitque in manu et potestate sua, ut prope caruisse illis sit creditus: Juris prudentia ex hac ipsa est disciplina genita: Quid aliud sunt jurisconsulti, quam (sicut Ulpianus ex Celso dicit) sacerdotes boni, æqui, antistites justitiæ, præsidēs legum patroni juris? Si norma hæc, quam rectissimam esse convenit, inflectatur, si inficiatur venenis fons concordia, si ipsi, inimicitis et odio imbuantur, pacis et benevolentia tutoris, quid reliquum erit miseris civibus spei quum amissus sit unicus ex tempestatibus portus justitiæ, et tam publicæ quietis, quam privata, si ipsi qui injuriarum depulsionem profitentur ac promittunt, paratos ad faciendam gerunt animos? Quomodo quid rectum sit, metietur, ac judicabit, detortus depravatusque gnomon? et jam Lesbia erit regula, non ad prudentem salutis omnium moderationem ac temperamentum, sed ad obsequium animi et servitutem affectus, quo nihil perversius cogitari potest, aut iniquius.

Quod si tales esse et magistros et studiosos aliarum artium oportet, quæ omnes sunt humanæ, qualem esse illum divina sapientia vel professorem vel certe administrum (nam profiteri arrogans videri posset) illum, ut inquit Paulus, dispensatorem mysteriorum Dei fas est? scilicet æmulatorem Christi, Apostolis similem: lampas est Christi pax fulgentissima, qua gressus ad illa sacrosancta adita regimus, nunquam perventuri ad intima, nisi ope ac subsidio illius mitissimi Spiritus, per quem Apostoli pervenerunt: *Spiritus* (inquit) *sanctus, quem mittet pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, et suggeret vobis omnia, quæcunque dixerō vobis*: supervacaneo profecto futuro tanto Dei beneficio et tam singulari munere, si id humanæ præstare poterant vires, quod Divinus Spiritus promittebat: aliæ quidem humanæ artes exhiberi, ac percipi possunt humano spiritu purgato, et naturæ efficientia ac luce illustrato, divina hæc sine Divino Spiritu non potest; magister est artis quisque suæ et conservator optimus; humanus tuebitur humana, divinus divina: cursus ipse rerum perduxit nos ad religionem, id est, ad summum felicitatis hominum, et quæ nos, ut magnis auctoribus

Lesbia norma plumbea flexibilis.

Religio, summum felicitatis hominum, et quæ nos a ferarum conditione sola separat.

placuit, a ferarum conditione sola separet; quid enim homo esset, sublata pietate ac religione erga numen, nisi agreste quoddam brutum capite in terram dejecto, nec patriam, nec originem suam respectans, deditum affectibus, mancipatum voluptatibus? religio illum extollit, et tam erigit mentem in animo, quam natura in corporis constitutione ac forma caput erectum atque excelsum finxit: hæc una ad beatitudinem reducit, quam quia philosophi veteres non tenuerunt, ideo in beatitudinis inquisitione tam multa posuerunt absurda, et tam varia, non quod fuerunt hæreses in illo hominum genere, sed quod scribentes aut disputantes; videlicet, unicum est in scopo album, extra id vero, vastum est atque infinitum spatium: nec ea vita modo functos beatos efficit, sed hinc etiamnum carcere hoc clausos magnis arrhabonibus pigneratur; idcirco in divinis oraculis pii homines, beati jam nunc nominantur: *Beati*, inquit sanctus Propheta, *immaculati in via, qui ambulant in lege Domini: beati, qui scrutantur testimonia ejus, in toto corde exquirunt eum*: et Dominus noster in evangelio: *Beati eritis, quum vos oderint homines propter me: beati pacifici, beati mites, beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam*.

Porro, vera et sancta christiana pietas duobus est velut capitibus universa comprehensa, iisque amoris, caritatis, pacis, concordia, amore proximi quem vides, et amore Dei quem non vides: in his duobus, legem ac prophetas omnes sitos esse, ac conclusos, veritas ipsa pronuntiat: *Plenitudo legis*, inquit Paulus, *id est, custodia atque observatio legis, dilectio*: idem paullo ante de hominum dilectione ita loquitur: *Qui diligit proximum, legem implevit, nam, non adulteraberis, non occides, non falsum testimonium dices, non concupisces, et si quod est aliud mandatum, in hoc verbo clauditur diliges proximum, sicut te ipsum: dilectio proximi, malum non operatur*: Quæ porro potest esse proximi caritas in discordia, quum oderis, et affectui tuo serviens, abjicis ea, quæ ex amore nata, amore etiam conservantur? ea sunt humanitas, mansuetudo, clementia, et illud humanæ societatis vinculum justitia; spoliis immerentes, non hostes solum, hoc est, hostis tui subditos, sed tuos etiam ipsius, quum et inimico, cui scis

Humanitas, mansuetudo, clementia, justitia quæ est humanæ societatis vinculum.

te odiosum atque invisum esse, religio te jubeat subvenire, et nudum vestire, et pascere esurientem; contrà, discordia expilat, diruit, incendit, opprimit, violat virgines, stuprat matronas; miles numo emptus illos jugulat, a quibus nunquam erat læsus, immo quos antea nunquam viderat, nec audierat quidem nomen: Quid opus est vetera commemorare exempla quorum nullus est modus aut finis, quum recentibus abundemus tanto cum dolore nostro? ea ipsa nos moveant quæ oculis quotidie usurpamus: honestos homines videmus in hac Belgica complures, et olim bene locupletes, ostiatim stipem poscere, comitatos uxoribus, onustos liberorum gregibus, belli procellâ fortunis omnibus deturbatos, iis indutos pannis, quibus aliquando non essent dignati culinæ instrumenta, aut etiam pavimentum verrere, eo se pane tolerantibus, iis epulis, quas antea nec sustinuissemus intueri: plures sunt hujusmodi in Francia; in Italia vero nihil est aliud videre, in urbibus, in oppidis, in viis, in agro, in locis desertis: quid? feminæ et nuptæ et innuptæ, quanto cum pudore petunt quo se sustentent! qui pudor paullatim terendo deteritur, atque excutitur funditus: patriciæ virgines vulgando corpore se alunt, sub parentibus primoribus sui populi honestissime ac sanctissime educatæ atque institutæ, sed ad eam calamitatem ictu belli detrusæ, in quo miror esse ullum tam saxeam, qui possit cohibere lacrimas: quis credat hæc aliquando narrari Regibus, eos tamen in suo furore persistere? adduci non possum, ut credam adeo illos esse inhumanos.

In pugna atque in victoria parcitur fere bellorum causæ et origini malorum, mulctantur insontes, et qui nihil peccavere: Cæsar Octavius importunitate L. Antonii lacessitus, ut volebat videri non invitatus cepit arma; Antonium Perusiæ inclusit, presumpque, obsidione et fame terribissima coegit deditorem facere; ipsi fonti et auctori discordiæ ignovit simul cum sceleratis ac nefariis militibus, oppidum vero diruit, et miseros atque innoxios cives, fame prius contusos et profligatos, plerosque occidit, alios fortunis et possessionibus deturbatos in egestatem et acerba mala ejecit: Quam illud est ex quorundam Regum cras-

sissima stoliditate, quod apud Libanium Menelaus pro concione Trojanorum Helenam repetens, dicit! *Hactenus quidem*, inquit, *facti culpa uno Paride concluditur, post hanc vero concionem, si Helena non reddatur, liquido intelligetur vos in illius facinus consentire, et penes utrosque futurum crimen; itaque et de illo sceleris auctore, et de vobis approbatoribus nos pœnas sumemus*: Quasi vero in manu sit populi, quoties velit pravis Principum consultis obsistere? Si id privati homines nullo vitæ usu dicerent, et disputarent resistere tam multos uni posse; si velint; quod non faciant conjecturam esse non facultatem illos deficere, sed voluntatem; minus mirarer; at Principes et Principum consultores id dicere atque asseverare, homines illo ingenio, illa eruditione, et rerum usu, quantum in eo esse convenit qui consilium dat rectori populorum ac gentium, id eos sentire, id confirmare, quis non miretur? quis ferat? num non de se ipsis possunt conjecturam sumere? an populus eorum voluntates expendit, aut expensas si damnat, prohibere potest quominus statuta et decreta exequantur? quam multa populus ignorat! alia, quæ cognoscit et improbat, tamen tacet, aut mussat, et quamquam paratum cernit periculum, tamen videns et prudens perfert, et rapitur tamquam in torrente, quod voluntas Principis inclinatur, non quod sua, ne in pejus malum incurrat seditionem ac civilem discordiam: Si Principes non insanirent, ejusmodi homines agi, spoliari, rapi, premi, cædi ducerent dignos?

Ajunt non posse ad hostem perveniri, nisi per hos: Utrum ergo censent justius, mulcta et malis innoxios afficere ut noxium puniant, an noxio ignoscere ne immerentes lædant? Humanitate, æquitate, ratione, natura, Deo in consilium adhibitis, hoc dicent; sed quia, his omnibus repudiatis ac exclusis, crudelitatem, furorem, cacodæmones asciscunt, prius illud exequuntur; olim Augustus Alexandrinis pepercit propter amicum suum Arrium, propter unum tam multis; et hoc fit a magnis et sapientibus viris, quum tamen salvus et tutus sit futurus ille; isti sævi et crudeles unum quærunt per tot millium perniciem ac pestem, incertum an meritis ille dabit pœnas, quum interea isti innoxii atque immerentes plectantur: equidem non

video, quæ excusatio satis esse possit hujusmodi consiliis et factis: jam, æquitatis non exigua pars aut de postremis est, satisfacere quemque suo muneri; at nullus est in officio, qui illud rite queat obire, cui sit odio serviendum, cui cogitandum de inimicitis, cui ultio procuranda, sive is sit privatus aliquis, seu magistratus; nec Rex a bello occupatus prorsus et possessus, potest munia exequi vel Regis, vel quod idem est, patris; non vacat audire singulos, non, cognoscere causas, non, querelas, quæ ad illum tamquam ad communem parentem deferuntur, non etiam, ipsis civitatibus aut populis, opem illius implorantibus, prospicere ac subvenire; nec delire illa vetula, cui quum respondisset Cæsar Adrianus, non vacare sibi auscultare, *ne ergo vacet imperare*: ejecta justitia, quem nodum esse humanarum congregationum nemo ignorat, id, quod in societate proximum et conjunctum est cum ipsa justitia, adimitur, libertas, qua efficitur ut homo homini hominis sit loco, non pecoris; nec decurrere potes fluviis fonte arefacto; leges nullæ sunt sine præsidio justitiæ, *silent leges inter arma*, quemadmodum ait Ennius, *nec se sinunt expectari*: C. Marius, quum civitate Romana contra leges quosdam donaret victor, objecta ei postmodum lege, negavit *se illam inter arma exaudivisse*.

Libertas est qua efficitur ut homo homini hominis sit loco. Leges sunt nullæ sine præsidio justitiæ.

Et quum leges boni tutelam ac securitatem, malis terrorem adferant, pœnas et supplicia minentur, discordia, in diversum mutatis rebus, pavorem bonis, impunitatem malis et securitatem præbet: (1)

*Tunc data libertas odiis, resolutaque legum
Frenis ira ruit, non uni cuncta dabantur,
Sed fecit sibi quisque nefas, semel omnia victor
Fusserat:*

et idem: (2)

—*Servilia solvit
Agmina, conflato sævas ergastula ferro
Exeruerè manus, nulli gestanda dabantur.*

Sig-

(1) Lucanus Pharsalia. lib. 2. vers. 245.

(2) Lib. 2. vers. 94.

*Signa ducis, nisi qui scelerum jam fecerat usum,
Attuleratque in castra nefas.*

ut inquit Lucanus: In tanto hominum odio, quis potest mentem ad Dei amorem ac pietatem attollere? Joannes ille Christo intimus, et arcanorum particeps, aperte testatur, *Si quis dixerit diligere se Deum quum oderit fratrem, hunc mendacem esse*; nec conceditur, Deum colere semper, aut munienti se et caventi ab altero, aut tendenti alteri insidias; nec de Deo possumus cogitare, aliter affecto animo quam ipse est Deus, nempe tranquillus et pacatus, turbato enim sanctæ omnes cogitationes magno turbine, et ingenti quodam excutiuntur tormento; itaque, neglecto Dei respectu, omnia, quæ in illius erant gratiam colenda ac veneranda, contemnuntur, profanantur templa, contaminantur sacra, nulla sacramentorum et præsentis Numinis verecundia: gentem novi, apud quam multi in hoc solum eunt ad templa, ut in consessu, et in significatione pacis, experiantur quantum sibi defertur: ibi de loco, de pace, rixæ, et pugna, et plagæ, ac vulnera, atque etiam cædes; in concordia quærunt discordiam; ex pace illis bellum oritur: Anton adorantem mysterium Corporis Christi Galeatium Ducem Mediolanensem inimici confecerunt, ut memoriâ patrum Julianum medicem, qui Clementem hunc genuit?

Amor Dei,
et pietas.

Quid addam aliud, quod animus vel cogitare reformidat, et tacebitur in honorem sæculi prioris, et posteritatis causa? et miramur hanc esse christiano nomine malorum continuationem ac seriem, quam nos ipsi, qui mirantur, nostris ipsorum manibus accersimus et fabricamur? Perjuria et blasphemix ad argumentum militaris fortitudinis jam pertinent; Episcopus ille in Hispania, dux militum, id est, utroque armatus gladio, et ductator spiritualium et corporalium copiarum, militem, qui raro et verecunde jurabat, graviter increpavit quod parum viriliter blasphemaret: commotus animus, et aliquo affectu incertus, non dubitat falsum jurare, dum sibi indulget, et scelera ex continuatione in usum ac mores transierunt, ut non solum permittantur et tolerentur, sed pulchra etiam existimentur esse

Falsum jus-
jurandum.

ac laudabilia: *Peccator, quum in profundum peccatorum venerit, contemnit: O consuetudo peccandi, exclamat Cicero, quantam habes jucunditatem in improbis et audacibus, quum pœna abfuit, et licentia consecuta est!* Ea fiunt Deo, Christo, Divæ Virgini, ab irritatis animis convicia, quæ puderet nos lenoni aut meretrici facere: Quis, acutus rerum æstimator, possit Principes eos existimare pilum unum habere christiani hominis, qui, modo odii sui acerbiter exatent, ista non dubitant perferre, et talium scelerum non solum impunitatem dare, verum etiam occasionem, causam, incitamentum? hæc in pietate sunt sita? Quid ego de iudicio et prudentia dicam? iis ne quos propter stipem aut rem levissimam pejerare vides, et fœdissimum convicium in Christum et Divos omnes jacere, credis commendasque in discordia regnum, salutem, vitam tuam, securusque conquiescis uno illorum iurejurando fretus se non prodituros nec deserturos tua signa, quos vides singulis momentis pejerantes et fidem fallentes? *Occiso Galba, inquit Plutarchus, Otho Senatam iurejurando adexit in sua verba;* tamquam alii ipsi essent senatores, aut aliorum deorum cultores, ita jurarunt id, quod Otho ipse et senatus, quum pro Galba jurassent, non tamen præstiterunt. Nec solum ab impuro milite proculcatur quidquid est sanctum ac pium, sed a crasso ac stolido purpurato, qui totum in aula diem otiosus desidat, aut recumbit, irridetur aperte pietas et Dei reverentia, vel obliquis et tectis dictis illuditur; si quis inter belli furores de pietate, de caritate proximi, de respectu ullo Dei verba faciat, non solum deses atque inerts nobilitas totum sermonem frigidissimis ac impiis facetiis excludit, verum etiam consiliarii, graves corpore et vestitu, atque etiam opinione et aliorum et sua de incredibili sua sapientia, magno fastidio rejiciunt; quos eo persuasionis evexit auctoritas, ut satis esse putent si nutu repudient sententiam, aut si dicant non esse ita.

Alii, si quid est mansuetius ac christianius monitum, id monachis in monasterio convenire, non Regi in aula et regno, cavillantur; tum de administrando bello et populis regendis sic disserunt, quomodo nec apud Hannibalem, aut

aut

aut aliquem tyrannum ex gentilitate illa, permissum esset agi ac deliberari; quasi vero nihil interesse oporteat inter Principem christianum, et paganum, aut solos monachos christianam præstare pietatem fas sit, alii omnes, et Reges in primis, soluti sint legibus; suis quidem quisque est solutus, non majoris aut potioris se: videre est hoc inter ipsos homulos; non alligant comitem suæ leges, tenent et constringunt ducis in cujus est clientela; dux solutus est in ditione sua, subditusque vinciturque sub Rege suo; quod si omnes legibus tenentur potentioris, homines infirmi hominum infirmiorum, quis legibus sempiternis illius et præpotentis Dei eximetur, ad quem reliquus universus mundus comparatus, minus est, quàm nihil ad magnum aliquid, et admirandum? Tu ergo, diaria formicula, contra Dei æternam omnipotentiam assurgis, et stultissimum animalculum in divinam sapientiam cavillaris, ac dicta dicis? Sunt qui animi rabie atque impotentia excæcati, res sacras prave interpretentur et intelligant, tantum ne cum iis consentiant opinione, a quibus dissentiant voluntate; interea, quæ sunt veræ pietatis, odiosis utrinque altercationibus ac litibus obscurantur, et tamquam in confrictu duarum molarum atteruntur: non abs re nostri proverbio dicunt: *Pugnantibus molitoribus, va farina!* His temporibus tantam pietas accepit plagam, quantam nemo bonus sine lacrimis queat recordari, quum inter doctos, utrorumque importunitate, res vocatæ sint in dubium et controversiam, quas semel firmatas et constitutas, immotas deinceps manere oportebat, et ex doctorum rixis incipiunt in animis multorum non solum illa refrigescere, quæ velut appendices et infirmorum adminicula, veræ illi et solidæ pietati per probos ac cordatos viros erant addita, sed, quod omnium est acerbissimum, miserimum, deflendum, *Summa quoque Pietatis luxari ac nutare.*

Nec occurri potest tanto malo, aut medicina ulla adhiberi, quum in commune consultari non queat; quippe, Principum discordiæ regiones claudunt ne congregari et in unum convenire possint corpora, et doctorum odia animos disjungunt ne inter se ad communem deliberationem mentes cocant, ut nec

Quantâ plagam accepit pietas his temporibus.

loqui utrinque de alteris sit jam tutum; et quemadmodum in castris Cn. Pompeji scriptores tradunt fuisse Domitium, Appium, et aliquot alios, qui medios, et neutrarum partium cives, hostium numero habendos censerent, ita apud alterutros de pace, de reconciliatione mentionem facere, suspicione non caret favoris partium adversarum, quasi concordiam nemo optare possit, nisi pro inimicis faciens: An non liquido potest intelligi suâ utrosque sponte ad odium venisse, non necessitate aliqua impulsos ad dissentendum? De re loqui maxime christiana, immo pæne unice christiana, rem optare, suadere, procurare, quam unam commendavit, præcepit Christus, alienum erit a christianitate? Nulla alteri in alteros ostendunt signa benévoleutiæ, omnia hostilia, omnia sunt acerba, omnia capitalia; vi, et ferro, et crudelitate pugnatur, tamquam de fundo dejectendus sit injustus occupator, non prava opinio; de sensu, de imperio, de fortunis, de vita dimicatur, non de dogmatibus et mansuetissima religione: sic agere, expeditissima est via ad depellenda corpora ab agris ac civitatibus, non mentes ab erroribus: Quis sine gravissimo dolore recenseat quæ christianum nomen inter bella Principum et dissensiones opinionum amisit? Ætate Divi Hieronymi, quum Constantinus Augustus, professus religionem nostram, jussit templa deorum dirui, hoc est, anno a passo Christo plus paullo trecentis, unica erat per totum Romanum imperium christiana pietas; nam præterquam quòd Princeps sequebatur meliora, jam ex se multo antea gentilis superstitio frigebat, atque ibat pessum; itaque colebat Christum quidquid inter Gades et Euphratem amnem, id est, Romani imperii terminos per Europam atque Africam se pandit; paullatim vero in eas angustias sumus redacti, ut vix sextam illius terrarum tractus possideamus partem; amisimus Africam totam a Tinge ad Nillum, Ægyptum, Arabias duas, Palastinam, Syriam, Asiam, Pontum, et fere illam, Pauli laboribus meliore philosophia imbutam, atque institutam, Græciam: in angulo hoc, quem nobis fecimus reliquum, tumultuamur, belligeramur, insanimus: itaque pauxillum hoc, tantæ fortunæ reliquias, ægre tuemur, retenturi ne simus? nescio quid magni

mali animus præsentat; nam quæ potest esse ulla in posterum boni spes, aut quid superest in solatium tot malorum, si hostes in exitium nostrum conspirant, et vires in commune conferunt ad mutuam auxilium, nos contra, in communi discrimine conspiramus ut deseramus ac perdamus invicem, immo vero, qua clam, qua aperte, alii alios in extremum discrimen deturbemus, et adjuvemus exitium?

An non fuit Julianus quidam comes in Hispania, qui Roderico Regi offensus, Agarenos per Bethicam, cui præerat, in Hispaniam introduxit, ubi hæserunt usque ad nostram memoriam? et calamitas illa orbem fere christianum esset pervagata et vastasset, si Hispaniæ, ut reguli Agarenorum multi, ita unus contigisset: Rhodum non prodidit eques quidam illius instituti? Constantinopolitanæ cladis quinam fuerint causa nolo commemorare, nec, recentia quidem vulnera, a quibus sit per hosce annos accitus et sollicitatus Turca, ut christianorum arma, inter se conserta, suis opprimeret: hos putamus unquam vel per somnium de Christo, aut humana anima, de morte, ac vita cogitasse? Ergo et nos sanctum Dei nomen contemnimus ac conculcamus, et propter nos male audit a Paganis, qui, quum vident tanto nos aliter quàm habeamus in legis præscripto vivere, vana esse quæcunque dicimus, et fictam nos agere fabulam, suspicantur; itaque a religione nostra longius propter nos discedentes, in errore suo magis confirmantur, in quo vident se humanius ac ad naturam rationemque congruentius vivere, quàm nos inter divina oracula, et præcepta cœlestis philosophiæ. Concordia et patientia et caritate mutua adductus est ad Christum mundus, quum homines viderent sectatoribus Christi non modo bene inter se convenire, verum etiam cum exteris, illos inimicis etiam suis et persecutoribus bene velle, et a quibus magnis essent affecti injuriis, beneficia reponere pro dolore: Tantum aberat, ut contumeliæ vel damni meminissent! Qui essent tandem tam saxeo pectore, tam rigido et ferreo corde, quos non permovissent hæc exempla animi excelsi, ac plane cœlestis, et humanis rebus omnibus altioris? In concordia, et Principum armis positis, et opinionum, modestiâ et

ratione dominantibus, non stomacho aut cupiditate ulla, medicina adhiberi tantis malis posset; neque enim aliud tam firmavit nostram religionem, quàm christianorum concordia, tam infirmavit, quàm dissensio; scilicet, legi caritatis, et quid aptius aut congruentius inveniri potest, quàm consensus, pax, concordia, unanimitas? quid inimicius aut magis noxium, quàm ulla penitus dissensio? quod prævidens Paulus graviter increpat Corinthios, et per hos ecclesias deinde omnes, quòd lites et controversiæ, etiamsi a primo in speciem leves, inter illos existerent; sed nihil est in discordia tam minutum aut negligendum, quod caritati non officiat, quodque non paullatim ex quamlibet levi motu aut tenui flatu, velut in stupam ardens scintilla incidens, magnam mox flammam et grande incendium suscitet.

Idem, et quanta sollicitudine, quàm accuratis et anxiiis verbis, concordiam christianis commendat, scribens Philippensibus *Si qua est exortatio, si quod ex amore solatium, si qua spiritus communio, si qua viscera, et commiseratio, implete gaudium meum, ut idem sentiatis, eandem habentes caritatem, unanimes, unum idemque sapientes, nihil per contentionem aut gloriam inanem, sed demisse de se ipso sentiat quisque, quemvis sibi alium antepone, ne quis sua ipsius querat commoda, sed aliorum: et quemadmodum via est ad beatitudinem religio, et ipsa etiam beatitas, sic nihil est dulcius aut suavius, quàm amicitia et concordia, quam qui e vita tollit, Solem (ut inquit Cicero) e mundo tollit: nihil est beatius, quàm amare, etiam si non redameris; nihil acerbius aut miserius, quàm non amare, etiam si ameris; neque enim alienus te affectus vel miserum faciet, vel felicem, sed tuus ipsius; nihil tantam infert toto animo lætitiã, quàm amor, nihil tantas tenebras et tempestates, quàm odium: ipsum benefacere, quod ex amore proficiscitur, quàm ex se juvat? quàm pulchrum est? quàm beatum, ut Paulus inquit, et quidem ex verbis Domini? quantas habet vires? ut dare et benefacere crebro velit, qui semel dulcedinem illam gustarit, unde prisco dicto, *Largitionem fundum ferunt non habere*: hæc sunt in discordia mala, hæc bona in concordia; quis hominem a tantis bonis in tanta mala traduxit? genius aliquis hos-*

hostis sævissimus, Deus iratus, immo idem ipse, qui nocet sibi, dum alteri vult nocere, et ad aliena incerta mala per certa sua vadit: cedo, et est tanti discordia, et illa ultionis dulcedo inhumana, ut tot incommoda, tot mala propter eam accersantur; tot commodis, tot bonis præteritis ac relictis?

Utriusque rei, et concordie et discordie, vestigia auctorum sunt et actionum similia; concordia hominum genus congregavit, civitates condidit, auxit, conservat; invexit artes vitæ utiles, opes, cultum ingeniorum; effecit maximo ingenio viros sapientia, eruditione, virtute; ex discordia relinquuntur dispersi ac dispartiti homines, pleni terrore ac formidine, nulli se loco, nulli hominum credentes, ut pes ab spina recens læsus vestigium secure non figit, dissipati conventus et congregationes sublatis legibus, rupto concordie fœdere; ædificia, villæ, urbes dirutæ, quidquid solo affixum erat evulsum, fames, pestis, inopia rerum omnium, imperitia, inertia, pessimi mores, et ex militibus exautoratis, peritissimi ac strenui latrones; quæ metamorphosis ex illis est, quas naturæ scrutatores dicunt esse inter res confines, et quibus sit aliquis velut pons communis; undecumque vero redeant milites, advehunt secum domum quidquid in illa erat gente morborum ac vitiorum, tum animi, tum corporis, nam ut secta cæpa quidquid circa se nacta est pravi ac vitiosi, vel humoris vel spiritus, ad se attrahit, nihil boni aut salutaris; ita milites quocumque sunt ingressi, nunquam illinc rectos et bene constitutos mores, si qui sunt, educunt, sed morbos, pestes, flagitia, vitia, quæ omnia in castra extemplo confluunt, tamquam in pronam aliquam et amplam cloacam: hæc sunt veteres querelæ virorum in Populo Romano sapientium, qui deflebant cives suos a Sicilia, Græcia, atque Asia esse corruptos, illinc malos mores, et a sanctis illis antiquis vehementer abhorrentes, in civitatem suam milites cum armis et victoria reportasse: equidem nolim ætatem nostram nimis sæpe suggillare, sed nemo hodie ignorat qui morbi, qui mores, quæ opiniones et judicia de rebus, quæ scelera ab aliis ad alias nationes per exercitus, hoc est, per vias militares commigrarint: age vero, et quid est tanto tumultu, tot et alienis malis quæsitum

Quæ post concordiam et discordiam remanent.

Milites pessima quæque domum revehant.

et nostris? plerumque nihil præter luctum et impatientiæ querelas, dum uterque domum revertitur pauperior et pejor, perditis corruptisque tam suis, quàm hostium rebus: at interdum augetur ditio; sed incremento brevi amittendo, etiam nonnunquam cum scœnore, quum victus, advocata nova manu, fessos, et sua ipsorum victoria vexatos ac fractos, invadit.

Magnum
imperium
quid?

Sed fac remanere regnum amplius: Quid, quæso, aliud est magnum imperium moliri, quàm, ut ille dicit, *Materiam struere magnæ per vota ruinæ*? paullum modo si conniveas, de gradu excuteris: documento sunt tot Romani Principes, quorum alii, qui diligentia complecti ac tueri tam vastam ditionem statuerant, onere illo tantæ molis oppressi ac vix respirantes, ad privatam subinde vitam respectabant, atque ad ejus vel solam commemorationem animum cum læta quadam spe erigebant; quemadmodum Augustus Cæsar, qui toties sibi animo proponebat otium illud, quod acturus esset deposita illa persona tam gravi, tam intoleranda, odiorum atque ærumnarum referta: nec defuere, qui se penitus privatos facerent, hoc est, darent se ab illo fastigio præcipites, quum in immo molem et felicem vitam aspicerent: alios vero, quum se ad voluptates contulissent, illudque existimarent esse præmium ingentis potentiæ, ipsa immensæ molis volubilitas, quæ male sistit, in voragines inextricabiles deturbavit: exemplorum in his nullus est modus: taceo de Parthis, de Persis, de aliis magnis et amplissimis Regibus; exempla sunt per totum humanum genus similia, vel eadem potius; ut non injuria Rex ille sapientissimus oblato diademate acclamarit: *Nobilem magis, quàm jucundum pannum, quem, si quis sciret, quot labores, sollicitudines, calamitates, gemitus contegeret, ne humi quidem jacentem vellet tollere!* Quid vero gentibus ac nationibus est magna potentia, nisi occasio vitiorum et scelerum omnium capitalium ac nefandorum, quæ in magnam civitatem, ceu in sentinam quandam, ex universo orbe confluunt? Non enim flagitia et scelera inopiam aut paupertatem sequuntur, sed opes et regnum voluptatum: Quid excogitari potest sceleris genus, quod in urbe Roma jam Principe gentium non vigeret, quod non haberetur in precio, quod non

reg-

regnaret? Assentationes, factiones, perjuria, homicidia, circumscriptiones, fraudes, adulteria, stupra, et luxuriæ non dicendi modi, conjurationes, corrupta judicia, falsæ tabulæ, falsi testes, avaritia, arrogantia, invidentia, parricidia; hæc omnia ita illic erant frequentia, quotidiana, in magnis, in parvis, ut ex consuetudine jam sensum amisissent, nec alio habebantur loco, quàm esse, aut bibere, aut dormire: obduruerat et percalluerat civitatis incredibilis consensus ad scelera.

Quòd si una aliqua pestis satis est ad numerosam aliquam gentem delendam quum sæve ac diu grassatur, quid hæc tot et tam crudeles pestes, conglobatæ, velut agmine uno in civitatem irruentes? quantas dabunt strages? quid ex eo populo integrum aut intactum relinquent? Itaque, ut integritas, et continentia, et labor, et moderatio, et frugalitas, et bona fide cultæ amicitia, unamquaque gentem, in qua recipiuntur, gloriâ et potentiâ super ceteras extollunt, ita contraria his vitia diruunt, et exterpitus revellunt: Quoties Populi Romani prolapsos et corruptissimos mores Latini scriptores deplorarunt? quoties Græci scriptores Attici Populi ac Lacedæmonii? Locum unum attingam Isocratis, in quo paucis ille, et sane quàm graviter, mala ingentis fortunæ et ampli imperii connumerat: *Hoc, inquit, quod vocatis imperium, facile quivis intelliget nil esse aliud quàm calamitatem meram, quandoquidem ea est ejus vis ac natura, peiores ut illos reddat, a quibus possidetur; maximum sit hujus rei argumentum, quod et nos et civitatem Lacedæmoniorum tantopere corruperit; quam enim rempublicam illi octingentos per annos firmam atque stabilem perpetuo conservarant, eam ipsam principatus sensim collapsam penitus cunctam dissolvit, scilicet, pro antiquo ritu, pro more ac instituto majorum, quibus erat civitas illa regi solita, singulos quidem civium imbuunt seguitie, iniquitate, pravis animi cupidinibus, tum parandæ rei, tum injuriæ faciendæ: adversus vero ipsam rempublicam principatus idem suspicionem intulit sociis, cupiditatem hostibus prædæ tam opimæ quoquo modo potiundæ, fœderum vero, pactorum, et jurisjurandi eum contemptum, ut pro nibilo penitus ducerentur: sic Isocrates in oratione, quæ est de pace: quibus de causis et rationibus potentes omnes populos, sine exceptione in felicitatis cursu,*

vel

vel oppressos penitus videmus et excisos, vel vexatos et adductos in summum discrimen, certe ad extremum dissolutos et absumptos vitiis prius, et sceleribus exesos tamquam carie: nihil necesse habeo Athenas, Spartam, Thebas, ipsam Romam, et veterusta nomina meminisse, vicinis possumus exemplis admoneri quæ suppeditant Hispania, Gallia, Italia.

Accedit his, quod nec jucundum esse quantumcunque imperium potest, quomodo paratum sit cogitanti, quanta sævitia, quot cædibus, odiis, execrationibus, quot damnis et dispendiis bonorum, et in aliis et in se maximorum; quæ res est tanti, ut delectare possidentem queat reputantem quam sit malis artibus quæsita! Primum, nihil adeo refugit atque abhorret humanus animus, naturâ liber ac sui juris, quam speciem omnem vel captivitatis vel servitutis, nec unquam damnis, multatione, injuriis flectetur, qui nec beneficiis quidem violentis tenetur, elici tantum potest blande et quasi suavitate quadam evocari, integrâ prorsus libertate; quapropter infensissima et capitalia sunt eorum odia, qui vi ac metu ad parendum pertrahuntur: nec imprudenter Scythæ illi Alexandrum monet, *Caveat ne amicos sibi credat esse quos vicerit; inter dominum et servum nullam esse amicitiam*: his odiis querelæ et odia illorum quoque accedunt, a quibus es adjutus, dum compensare illorum non potes operas vel impensas, neque enim desideria militum opes explerent ullæ, nec civibus ex quantacunque victoria repræsentabis quod ademeris belli tempore; ita, finito bello, pro simplicibus hostibus nactus es binos, et illos, in quos armatus exercuisti sævitiam, et tuos, in quos non minus fuisti, sed sine armis, crudelis, interdum quoque armis, et terrore ostenso, ne insolens et intolerabile imperium recusarent: Suntne hi fructus victoriæ, ut post exhaustum regnum tuum, cui te parentis esse loco divi omnes ac homines jubent, reducas in illud decem milia pravorum militum, hoc est, totidem latrones, qui publicam quietem quotidie infestent ac interturbent, qui artes vexent, leges impugnent, virtutes infestent, et cæptos labefactari populorum mores corpore præcipitent toto? Quæ mala non ad unum aut alterum vel mensem vel annum durant, sed tam alte et in

Odia sociorum et militum.

animis, et in rebus ipsis infiguntur, ut extrahi sit longum et difficile; vestigia exercitus alicujus, per pacatum transeuntis, vident etiam filii, per hosticum vero abnepotes, bene impressa et distincta, quæ confundere non valuit tanta temporis diuturnitas qua omnia absumuntur; ea vero quoties spectantur, subit animos recordatio illa, qui fecerint; hinc odia et inimicitia sempiternæ, quæ toties instaurantur, quoties memoria illius calamitatis renovatur aspectu; utinam non haberemus tam vicina exempla!

Romani, quum multa et magna in Italia bella gererent, multas clades dedissent, multa ademissent, multa diruissent, intellexerunt inter tot vicina odia se non posse consistere, nisi insigni aliquo beneficio victos ad se illexissent: civitate sua omnes prope Italiæ populos donaverunt, ut Roma tamquam communis quædam esset omnium patria, et bellum non contra illos esset gestum, sed pro illis, nec minus esset victoria Italis omnibus, quam Romanis utilis, cladesque non esset ab alienis accepta, sed a se ipsis: hinc vetus illud manavit verbum, *Romanos ignoscendo et clementiâ crevisse*; nam iis deinceps usi sunt sociis fidelissimis, quibus bello victis captisque pepercissent; quod non modo in populis, ac nationibus, sed in singulis nostrum quotidie videmus contingere, ut qui amicitiam conservare studuit, vel silentio, vel obsequio, vel dissimulatione offensionis ac injuriæ, vel clementiâ et ignoscendo, postmodum benevolentissimum sit eum expertus, quem acerrimum inimicum sensit si omnia statuisset persequi summo jure, vel potius summa libidine, nec illum solum, sed alios multos sævitia irritatos ad propulsandum tamquam commune incommodum et incendium publicum: regnabat Augustus Cæsar Romæ, id est, in civitate nondum servire assueta; itaque multorum est insidiis petitus, quos vel recordatio extimulabat libertatis, vel præsentium rerum invidia, vel cupiditas ad eundem perveniendi locum, in quo illum videbant; de omnibus se ille severe vindicavit; nec tamen pœnæ deterrebant alios; animadvertit in Salvidenum, secutus est Lepidus triumviri filius, hoc summo extitit Lucius Murena, post Murenam Servilius Cæpio, mox Ig-

Romanorum consilium de clementia.

Augusti clementia.

natus: clara nomina audivistis, ut servos et de plebe homines taceam idem ausos.

Postremo Lucius Cinna sacrificantem Cæsarem adoriri statuerat, et ad aras ceu victimam quandam immolare; delatum est ad Cæsarem indicium; qui mœstus admodum, et anxius, quòd adversum se conjurationes nullis terminis cohiberentur, decrevit, quandoquidem nihil hactenus severitate profecerat, aliam viam tentare: Cinnæ ad se vocato, quæ comperisset, ostendit; tacenti, et manifesto, vitam, fortunas, dignitatem, et alia in civitate præclara dixit se donare, ut ex eo die inciperet inter eos amicitia; Cinnam deinde per totam vitam amicissimum fidelissimumque semper est expertus, a quo et heres est moriens relictus; nec ab ullo deinceps alio insidiis appetitus est; qua clementia, mirum dictu, quantopere et studia sibi publica adjunxerit, et dicto audientes habuerit quotquot erant in tanto imperio; nec ullorum erga se majorem caritatem sensit, quàm eorum, quos servarat, quos fecerat sibi ex hostibus amicos, Domitios, Messalas, Asinios, Cicerones, Coccejos, Sallustios, Duellios, denique, quantumcunque erat floris in tam florenti civitate; nempe, allicitur atque invitatur humanus animus bonitate, tolerantia; capitur generosa illa magnitudine, qua injuria occultatur, ne existat, ne extimulet eum, cui est facta; mancipium est clementiæ, amat, suspicit, adorat: ergo tanto illo beneficio parem se referre gratiam non arbitratur posse, nisi se illi cunctum dedat, ac devoveat: itaque, amici ex iis fiunt non modo caritate et constantia, sed nec obsequio et usu cuique veterum concedentes, et illorum quos nunquam inimicos habuimus, nam et amant amore ac bonitate adducti, et se plurimum debere intelligunt, ut quæ agant, non dare se amico existiment, quod alii amici faciunt, sed reddere: versiculus est quidam Græcus, quo significatur dulcissimum esse ulcisci se de eo qui læserit; at dulcedo ejusmodi quàm est brevis? quàm diluta? quanto odio, labore, molestia temperata? num ea est, cum hoc tanto fructu, cum tam incredibili ignoscentiæ ac reconciliationis voluptate, vel diuturnitate vel soliditate comparanda? Expletio est illa quædam affectus belluina;

hæc

hæc vero mera est et propria mentis atque animi delectatio: quem aliquando clementiæ pœnituit, ac reconciliationis? quem non discordiæ ac vindictæ? Quid, quod injuria injuriam irrat, ac producit, nec usquam sistitur, dum punitio semper atque ultio non eo nomine accipitur, sed injuriæ et maleficii: ergo punitio punitio imminet, ultio ex ultione nascitur, tamquam ex aqua glacies, rursus aqua ex glacie.

Neque vero illos modo, in quos benignos se ac clementes præbuerunt, tales reperiuntur quales dixi, verumetiam plurimorum sibi animos ad benevolentiam et venerationem adjungunt, qui omnes non secus ac Numini prospero et salutari favent et obsequuntur; sicut contrà, multorum etiam amicorum odia excitantur, exemplo crudelitatis in unum aliquem edito; quod si ad amicitiam intercludatur reditus, et pro injuria reponatur malefium, adducti in desperationem, quacunque datur, nocent: Severus Cæsar, Nigro victo, quum ejus exercitum illi se dedentem asperis modis et crudeliter, ut erat natura sævus, acciperet, complures ex veteranis militibus coegit trans Euphratem ad Parthos confugere; ii, quum barbaros disciplinam, et Romana militandi exercitia docuissent, effecerunt, ut illi in posterum molestissimum Romanis copiis negotium subinde exhiberent; contrà Cneus Pompejus, victo Sertorio, non modo contrariis militibus impunitatem proposuit, sed et litteras civium, in Sertorii scriniis deprehensas, quibus opem atque operam illi suam adversus Syllanas pollicebantur partes, non lectas bona fide inspectante exercitu combussit, ne illis spem omnem reconciliationis adimeret, neu hostes aperte fierent si esse crederentur; retulit Cajus Cæsar, pro Sertorio, et Mariana factione, bis Pompejo gratiam, semel ipsi eidem victo ad Pharsalum Thessaliæ, iterum in ejus socero Metello Scipione ad Thapsum Africæ, videlicet, ne si tot civium animi, mentes, consilia palàm fierent, acrius sibi esset, quàm quod gerebat, suscipiendum bellum; quin, Cæsar idem et civibus omnibus quicunque Pompeji essent partes ac voluntatem secuti, clementissimè ignovit, ut nullus toto illo bello perierit, nisi in acie armatus.

Nec tamen tanta clementia lenire ac mansuafacere potuit

iratos animos ac odio tumentes; nec in amicis quidem, et suarum partium militibus ingentibus ab se beneficiis affectis, fidem invenit, quam tantopere expetierat, quam in illorum pectoribus, tam sedulo studio, tot muneribus, atque humanitate, curarat confirmandam: Quid illi futurum arbitramur, si sævisset? sed quia multi se ab illo læsos existimabant, non defuit occasione suæ semper imminens ultio, et illæsos pertraxit in conspirationem læsorum dolor tamquam admonitu communis fortunæ: Tanto est facilius per damnum animos alienare, quam postea quocunque beneficio sarcire discissam gratiam, quocunque lenimento mollire animum tumentem, et quam ipse feceris plagam sanare! videlicet, in proclivi sunt damna et discordiæ, commoda vero et reconciliatio in arduo: scite Homerus, ut alia permulta, *Atam*, id est, offensam, et damnum, finxit celerrime per hominum capita discurrentem, *Litas* vero, id est, preces, ac reconciliationem, cunctabundas et claudas lentissime subsequi ut quod *Ata* disjecerit, ac diruerit, instaurent, sic enim ait, nam vertam latine utcunque, morè meo: (1)

Ata Homeri
et *Lita*.

*Hasque Litas genuit claudas Saturnia proles,
Deformesque strabis oculis, rugisque verendas,
Quæ a tergo comites Ate vestigia servant
Has valida et firmis pedibus prævertitur Ate
Per gentes gravibus genus hoc mortale ruinis
Concutiens, et damna ferens impune vagatur,
His lento passu cura est lenire dolores:*

Qui desiderantur post discordiam.

jam, quos desideramus post discordiam cives, socios, viros claros, graves, sapientes, utiles reipublicæ, ut ea jactura resarciri postea et compensari nullis omnino commodis valeat? quales necessarios et amicos, quos Principes bona regni sui parte vellent, fieri si posset, vitæ restitui? Nec in eo affectu soli sunt Principes, nos etiam privati homines eos interdum in dissidio amittimus, pro quorum vita et salute fortunas, sanguinem, vitam

(1) Vives ipse.

tam etiam nostram parati essemus impendere, ut illi pro nobis fecerunt: memini me Valentia de senibus nostris crebro audivisse, Alphonsum Aragoniæ Regem regno Neapolitano post tot labores potitum, non ita gaudere solitum quod factus esset voti compos, quam mœrere fratris in obsidione occisi morte, quem prope suâ ipsius vitâ, regno sine dubio multo habebat cariorem: Quales bellum hoc et Cæsari et Francisco amicos absumpsit? Cæsari Borbonium, Hugonem, Moncadam, Fieramoscam; Gallo Paliciam, Trimollam, Bonivetum, Lescutium, Spurium Sabaudia avunculum, Bayardum, Lautrecium, Vaudemonium destinatum Regem Neapolis; quanti unumquenque illorum redemptum nunc vellent? atque utinam hactenus modo *Atæ* huic permissum fuerit humanis capitibus insultare, nec pluris utriusque horum stet tam præfervida contentio! Nec aliter post discordiam videmus accidere, quam ut vel victus et victor pariter mœreant; vel lugeat victor, intereat victus; aut, quum mitissimum fuit bellum, lugeant ambo; certe utrunque ejus pœnitet; nec ullum fere tam felix fuit aut bellum aut dissidium, quod prudens victor, singula expendens, ac ad rationem et calculum revocans, non mallet nunquam fuisse susceptum: Nestor et Menelaus, quos sapientes Homerus finxit, eodem facit bellum ad Trojam gestum deplorantes, et illius nobilissimæ victoriae pigere ac pœnitere, quum recordantur quot illam damnis et calamitatibus, quanta malorum aliorum ex aliis renascentium serie, cujusmodi virorum jactura comparassent: Diomedes apud Vergilium, jam juvenili fervore refrigerato, jam annis gravior atque usu rerum ac prudentia edoctus meliora, non impetu illo, quo ad Trojam acies sternebat et congregiebatur cum divis, sed auditis, ille hæc placido sic reddidit ore.

Perit victus,
Lugeat victor,
vel uterque.

*Mitto ea, quæ muris bellando exhausta sub altis,
Quos Simois premit ille viros, infanda per orbem
Supplicia, et scelorum penas expendimus omnes,
Vel Priamo miseranda manus. (1)*

Nec

(1) Virg. Æneid. lib. 11. vers. 256.

*Nec mihi cum Teucris ullum post eruta bellum
Pergama, nec veterum memini latorve malorum: (1)*

denique fieri nullo potest modo, ut alteruter discedat sine damno, qui alteri exitium parat, inquit ille in Tragœdia, eum scire oportet sibi paratam pestem, ut participet partem; iratus enim, periculum dum facit, non videt, ita aperit aliquid, qua lædi possit vel ab imbecillimo, præsertim, quum nihil sit tam invalidum, cui non satis sit virium ac potentiæ ad lædendum naturæ nostræ infirmitatem, quæ se per se ipsam sine externis ullis frangeretur viribus; nempe, ex quo primum die est in lucem producta, multis obnoxia casibus, fulcitur et retinetur ingenti atque anxia cura, prona semper in interitum, quo illi quantumcunque arte ac diligentia conservetur, tandem cadendum est, ut minime sit ulla impulsio necessaria moli huic nutu ac pondere suo per præceptis ruenti.

(1) *Æneid. 12. vers. 279.*

LIBRI TERTII FINIS.

JOAN-

JOANNIS LUDOVICI VIVIS

VALENTINI

DE CONCORDIA

LIBER QUARTUS.

CAPUT I.

QUAE SIT AD VERAM CONCORDIAM VIA.

Superioribus libris, quantum a nobis ex tanta rerum multitudine, ac varietate, quæ etiam abit in infinitum, colligi potuit, satis et discordiæ sunt mala exposita, et concordia bona, ut neminem esse adeo naturæ suæ litium, et rixarum, et contentionis, et pugnarum amantem existimem, quin originem auctoremque tot malorum *dissensionem* fugiat, et tot bonorum commodorumque parentem ac nutricem *consensionem, concordiamque*, libens totoque animi studio consecratur; sed ab hoc mentis proposito firmo, nonnunquam, ac bene constituto, abducit nos affectus, vel impetu valens, vel diuturnitate gravis ac potens, nec secum ipse satis consentiens et concors: piratae et latrones, quorum ars atque exercitium est infestare hominum genus, perturbare quietem, leges ac jura conculcare, contaminare sacra et profana omnia, tamen inter se pacem quandam et concordiam conservant, definitam certis quibusdam legibus et velut justitiæ æquitate; nec aliter possent coitiones illas suas et latrocinii societatem retinere: quod si ita est, profecto affectus pejores sunt latronibus, et illorum sævitia minus ulla consortionis lege ac ratione contineri ac cohiberi potest quam hominum impurissimorum; nam animi motibus non, ut Seneca inquit, infida est et mala pax, sed nulla pax penitus; non quies, non induciæ a bello: lætitiæ repugnat ægritudo, spei metus, invidiæ candor, desperationi fiducia; tum mistim, ut in confusa acie, concurrunt; certæ rei fiducia tollit ægritudinem, metus invidiam, hilaritas crudelitatem, desperatio iram, quorum alia aliorum ictu aut pondere subinde et extolluntur,

Affectuum
discordiæ.

et

et deprimuntur: Quid unicuique affectui? an pax est secum? minime vero; metus hujus rei metum alterius diluit, spes hujus adimit illius, ut lux luce, adustio adustione tollitur.

Qui ergo nec inter se, nec eorum ullus secum ipso pacem potest habere, ii si regnum occupent animi, considerare cuique est promptum, quos edent intus et foris tumultus, quæ bella excitabunt, quas dabunt strages ac clades impotenti rabie, et cæco concursu; oportet hos quietis juri et regno iudicii ac rationis subdi, ne omnia perturbent, ut validior ratio frenos illis injiciat, et regat impotentiam, fractosque et debilitatos cogat discere audientes esse dicto; neque enim dum recti et integri stabunt, parebunt unquam: sic quidem facto opus esset; sed ubi sunt opes ad dissolvendam hanc Tyrannidem? quum peccati tormento in hominem impacto amissæ sint corporis vires, prostrata ratio, confirmati affectus, magnaque illis potestas et rerum omnium effusissima licentia concessa, ut jam homini capto et vincto libertas sit aliena ope ac beneficio quaerenda, nimirum Dei opificis, ut eodem instrumento opus confectum reficiat, quo fecerat integrum, nempe sapientiâ illâ, unico filio suo, qui corroborata ratione ac mente, animorum tumultus ac violentiam cohibet, et obtemperare cogit melioribus; ut, quum regendi peritus sceptrum obtinet, parent vero qui aliud facere non debent quia nec sciunt, vera sit in toto homine pax quæ ex hoc velut fonte foras dimanet, omniaque tranquilla sint in *cuncto* hominum genere, quia intus in *unoquoque* arma sunt de manibus extorta ac proinde rebellio sublata.

Pax Christi.

Hæc est pax illa, quam se Christus ait suis impartiri, sed qualem dare non valet mundus; homines enim pactionibus suis affectus leniunt, non comprimunt, blandiuntur, non cohibent, ad summum vi et metu manus arcent ab injuria, id est, majore discordia ligant minorem; Christi vero pax, aspera inquietis affectibus, rationem magnis opibus instructam in solium totius animi evehit, ut jam nec obsignatis tabulis, nec testibus, nec jurejurando sit opus, nec paratis armis et ostensione terroris, quandoquidem dissensionis materia, occasio, auctores, arma sunt penitus erepta: quæ omnia, simul ac illa pax discesserit, in

in animum subeunt, ut tacitum sit, et acerbissimum bellum, etiam quum pax videtur maxime florere, et manus cessant: *Non est pax impiis*, exclamat divinum Oraculum, nam ardet intus bellum, etiam inter ipsos eosdem excitatum qui prius ad rebellandum conspirant: quocirca mirandum non est, inter homines, ut qui se se cunctos affectibus regendos dederunt, nunquam pacem, nunquam concordiam, et communem animorum esse sensum, quum non sit inter eorum dominos, et a quibus leges juraque accipiunt.

Sunt causæ rerum nonnullæ, quæ ita sunt cum suis operibus conjunctæ et connexæ, ut quisquis vel hæc vel illa cognoverit, nihil sit amplius quod de alteris dubitet: solem splendor hic sequitur, ignem fumus: qui fumum videt, intelligit ibi esse ignem; qui ignem, fumum: sic qui scelera nostra animadverterit ex interiori habitu profecta, is non mirabitur tale esse inter nos bellum; qui vero bellum, deprehendet quales intus simus, nempe flagitiosissimi ac pessimi, sunt enim hæc illorum opificum exercitamenta et opera: Paulus ex dissidiis suorum, carnis regnum arguit, et ex hoc regno dissidia: quandoquidem necesse est inter eos, quos perturbati animorum motus quolibet impellunt, et in sentiendo et in cupiendo discordiam existere, ut quum sententia regat animos, cupiditas vitam, et opiniones sint pugnantæ, et voluntates inimicæ, et actiones hostiles: hinc nascitur tantum, tam varium, tam vastum discordiarum mare, quàm prioribus voluminibus patefeci, in quod demersit nos nostrorum continuata et pertinax scelerum consuetudo, quorum nullam intermissionem facimus, adeo, ut malefacere ex usu in naturam videatur versus, nec tantis incommodis et calamitatibus, quæ aliæ ex aliis suppullulant non dissimili fecunditate nostrorum delictorum, admoniti sumus sequi meliora; nam facimus quidem ipsi nobis manu nostra hæc mala, sed quibus tamen indulgentissimus ille mundi et prudentissimus Rector, utitur ceu stimulis ad excitandos nos, flagitiis et delictis nostris indormientes seu immorientes verius, ut excitati, atque expergefati, et in memoriam culpâ revocatâ, causas fugiamus tantorum in præsens malorum, et quæ nos in

Deus mala
nostra ver-
tic in bonū.

æterna, ni caverimus, demersuræ sint, ita ut ipsum quod scateret ex vomitibus nostris pus, et quæ ex sceleribus nostris nascuntur mala, vertantur nobis in medicinam morbi, et emendationem errorum, si intelligamus: at nobis tantum induxit calum assiduitas peccandi, ut jam nulla sentiamus verbera, nec castigationem esse errorum existimemus, sed quovis aliorum potius quàm ad officii admonitionem referamus; quocirca, sicut prudenter Augustinus ait, perdimus reprehensionis et castigationis fructum, dum talia esse non libet intelligere ac credere, et quæ sunt divini consilii, in casum, sortem, fatum quoddam rejicimus, in quo sit temeritas eventus, non effectus destinatus; itaque perit et usus, et precium medicinæ, nam dum non ea mente et sensu sumitur, nec locus, nec tempus, nec actio ejus animadvertitur, atque observatur, fitque sæpenumero noxia, quæ, ut oportebat sumta, salutaris fuisset.

Nemo tot
damnis factus
est melior.

Tot jam perpetuis annis geruntur bella, tot sunt datæ et acceptæ clades, tantum sanguinis exhaustum, incensi agri, occisa pecora, violatæ leges, profanata sacra, toties nefas nihili habitum: Quis inter has tam atroces calamitates factus est pilo melior? Tanta est in sententiis atque opinionibus dissensio, atque hinc in vita, et in ea, quæ caput est rerum omnium, religione, propter sacerdotum et initiatorum probra et dedecora, propter avaritiam, luxum, fastum, superbiam, libidinem, et cupiditatem rerum omnium infinitam! Tanta illi acceperunt damna etiam in iis, quæ illorum permulti prima putant, pecuniis et auctoritate, aliis imminuti reditus, aliis majestas, alii penitus ex dignitate deturbati! Quis vertit se ad Præceptorem, ad Vocantem? quis floccum unum ultro deposuit illius vitæ tam turpiter et flagitiose jam pridem institutæ, aut saltem deponere se simulavit, aut si aliud in animo sentiret, vultu certe et exterioribus factis aliquid probi et moderati viri ostentaret ad frugem meliorem reversi? certe ad exemplum, certe ad retinendam majestatem, hypocrisi quum ingenio, sapientia, integritate vitæ, quibus carebat, non valeret: pulsat cum ingenti terrore fores christiani orbis Turca, cladem et exitium nostro nomini præ se gerens: Quis puras ad Christum manus sustulit,

ut

ut dignetur pacatior populum suum respicere, et avertere furorem hostilem ab infirmo sexu, a tenera aut imbecilla ætate, ignem a sacris, cædem a viris, populationem et vastitatem ab agris et urbibus, blasphemiam a suo sancto nomine? Nihil est factum tale: at saltem mutarunt aliquid ex pristinis moribus, mollita sunt nonnullorum corda? immo vero omnes sacri et profani, duriores ac desperatiores effecti, in apertam pestem prudentes et videntes ruunt, tali acerbitate animorum, quali esse solent feræ bestię multum irritatæ deinde emissæ, ut in dies et mala nostra crescant, et scelera malorum causæ.

CAPUT II.

CUR DEUM, QUUM AB EO PACEM petimus, non exoramus.

AT pacem, dicit aliquis, et concordiam a Deo quotidie petimus: at verbis quid loquamur nihil sane interest, neque enim hæc ullius sunt apud Deum momenti; redeat in se quisque et consideret quem ad finem vota faciat de pace, inveniet se non quietem optare ut tranquillis rebus magis et sibi et aliis vacet pietatem colere, et securo animo Deo se cunctos addicere, verum ut metu omni seposito, securius animo de voluptatibus cogitare liceat, voluptates conquirere, voluptatibus perfrui, magis opes, cultum, fastum omnem ostentare, et exercere superbiam, quam sæpe asperæ res, ut bella et discordiæ, cogunt delitescere atque occultari: ita fit, ut expedire ferme videatur bellum esse, quandoquidem pace uti nescimus, et illius quietem nostrorum vitiorum alimenta facimus, ut non injuria questus sit ille in satyra, *Malis nos pacis vexati.*

Non quærimus pacem, sed securitatem et otium explendis cupiditatibus; non aliis nos volumus bene velle, sed ut alii nobis; non alios esse nobis caros, sed nos illis; neque enim exposcimus a Deo illud, quod est maximum ad hominem munus, ut bonam det mentem, ut pravos affectus vel mutet, vel domet, et rationi subjiciat, ceterum ut voluptates, luxum, su-

Hhh 2

per-

perbiam nostram nullus derepente metus inturbet, ut in alta et composita securitate liceat cupiditatibus regnum suum libere exercere: Quem tandem divorum auscultaturum hæc tam turpia vota arbitramur? quem non damnaturum ac rejecturum? Quæ nos puderet homine arbitro atque audiente pronuntiare, ea impetrare contendimus a Deo immortali, sapientissimo, pro quibus a viro bono convicium et objurgationem referremus: Imperatorem quendam ferunt castris et urbe hostium potitum, quum de conditionibus pacis ageretur, et ab eo quædam postularentur, partim iniqua, partim contra voluntatem ipsius, et commoda suæ reipublicæ, admiratum esse hostium dementiam, qui ad se potentiorum et armatum, non dubitarent ejusmodi postulata mittere; itaque illis hoc solum respondit: *Quoniam injusta a fortiori petitis, nec justa vos ab eo impetrare justum est:* Quis non admiretur nostram, dementiam ne, an impietatem, an cæcitatem dicam animi (nomen mihi, quod id exprimam, latinum deest) qui omnipotentem Deum, nos homunciones ex fimo et argilla ficti, non dubitemus nostris rogatibus offendere, et ab eo postulare quæ sunt illi inimicissima? Nam quid aliud est opes, voluptates, honores, potentiam petere? Sed de iis alio loco, nunc de quibus agimus.

Quid sit victoriæ a Deo de homine petere?

Quid est victoriæ ab eo de fratre tuo vi et cæde partem postulare, et ei signa ex hoste capta et spolia appendere, id est, munimentum crudelitatis, a qua ille mitissimus semper abhorruit, et illi gratulari tuam sævitiam? quid hoc, inquam, est aliud, quàm si explicatius et apertius velis loqui, sic eum convenire? Princeps potentissime, et justissime universitatis hujus Domine, jubes me esse tui similem, hoc est, æquum, mitem, elementem, jubes non malum malo rependere, jubes me fratrem meum ut me ipsum amare propter te, jubes etiam diligere voluntate inimicum, et benefacere nocenti ac lædenti; ego tamen statui contra leges, et jussa, et exemplum tuum ferro illum et igne persequi, vel quia animus est aliquid illi adimere, vel quia viam aliquam prospicio ad amplius regnum, vel ut obsequar pravo alicui affectui, nempe iræ aut invidiæ; decrevi, quacunque possim, illi et fortunis ejus cladem, exitium,

pes-

pestem, mari, terra, factis, verbis adferre; rogo te, Pater clementissime, ac mitissime, ut ad eam rem suppedites vires, aperias viam, consilia adjuves, secundes cœpta; si victor rediero, ornabitur ædes tua præda et signis militaribus; ego, et fortissimi milites mei, re strenue gesta, madentes adhuc a cruore et cæde, circum templa tua omnia ibimus gratulatum, et supplicatum, quod stratos cæsosque reliquerimus filios tuos, quos tu ut redimeres, ac servares, non dubitasti Numen humanitati nostræ conjungere, et in tuo purissimo atque innocentissimo corpore dolores incredibiles, et ignominiosam atque acerbissimam mortem perferre: hæc si quis diceret, nonne omnes eum et saxo stupidiorem, et quovis diabolo desperatiorem clamarent, dignumque qui atrocissimos a Deo cruciatus pro tali voto reportaret? Atqui, nemo fallat se, consideret ea, quæ rogat in discordia, excutiat, expendat singula, intelliget aliis quidem verbis, sed re tamen hæc esse, non alia: quisquis aliquid ab alio rogat, videat prius quid, et a quo, et quis roget, ita facile vel cogitationem omnem ponet, non impetraturus, vel rationem et viam inveniet, qua assequatur: homo a Christo pacem petit, id est, inops a ditissimo, rem quam ipse libentissime solet tribuere, modo pacem petamus, hoc est, quietem animi, cujus ope et amare homines liceat, et pie colere sanctum Numen; nam securitatem in deliciis et cupiditatibus optare, non est pacem rogare, sed semina discordiarum, et bellorum omnium, quæ ex indulgentia affectuum exardescunt.

Petat homo a Deo, petat christianus a Christo; si saltem hominem Deus agnosceret in petente, et non diabolum, indubie largiretur rem homini inter ceteras maxime conducibilem ac necessariam, nunc sub humanis formis diabolicos spiritus et arrogantiam intuetur, mirandum non est, si justissimus ac sapientissimus dispensator non dat dæmonibus, quod est hominum.

Iterum de Bellis Catholicorum adversus Catholicos.

CAPUT III.

*DE NATURA HOMINIS, ET PRIMUM
de animo; quam sit erroribus et affectibus
obnoxius.*

Homo nos-
cat se.

Animus.

REdeamus ad hominum naturam, id est, ad nos ipsos, ille cœlestis Pater Deus, cujus bonitatem, benignitatemque innumeris quotidie beneficiis ac muneribus experimur, imbecillitati nostræ non deerit propitius ac favens; ille conantes adjuvabit, et erigentes se porrecta manu sustinebit ac fulciet, quodque deficit naturæ, supplebit illius paratissima benignitas, ut ex infirmo et debili homine christianus fiat, id est, numeris omnibus perfectus atque absolutus: incipiat jam ergo homo esse homo, id est, nosse se, nam neque dæmones se norunt, quia nolunt, nec bestię, quia non possunt; hæc nunquam nactæ fuerunt tanti boni facultatem, illi accumulatione et continuatione scelerum prorsus amiserunt, ut callum obduxerint intelligentiæ delictorum: radix, sicuti ostendi, et seminarium discordiæ totius est superbia, quæ tantis deliciis animum emollivit, ut nihil sit tam leve aut tenue perferre ut possit; tanta caligine mentes nostras obruit ac oppressit, ut nemo se noscat, nemo quis, ubi, cum quibus, quemadmodum vivat, quæ sit rerum natura, quod precium, qui usus, inspiciat et contempletur: agnoscat se et sua homo, et tamquam fenestra ad meridiem spectante aperta, inferet se lumen, quod discussis tenebris clare omnia et dilucide monstrabit; tum sidunt huic gallo cristiæ, et pavo (sicut narrant) ponet alas aspecta pedum fœditate: videat animal hoc superbissimum et consideret, quæ sunt illa, ob quæ superbit, et intelliget se, sordidum ac pannosum de cultu gloriari, infirmum de viribus, egenum de opibus, deformem ac fœdum de pulchritudine: habet animum: primum; quàm concussum et agitatum affectuum tempestatibus!; quàm discissum, divulgumque illa discordia civili, quam secum, quocunque fugiat, circumfert! Sollicitus, anxius, metuit, sperat, mœret, contrahitur, dilatatur, levissima aurula totus ab immo concitatur (ut arenæ

et

et cœnum, et alga, et quidquid est in flumine immundissimo, miscentur) uno numo, una voce, uno gestu, uno iudicio postremi hominis et de fæce: hæc quisquis erit contuitus, non minus ipsum sui ipsius pudebit, quàm terrebitur aspectu talis monstri, varii, multiformis, sævi, importuni, horribilis, et quod, nisi coerceatur, ac dometur, præsentem allaturum sit magnam pestem et sævam.

Itaque non blandietur, nec molliter in suam perniciem alet ejusmodi belluam centicipitem, nec pulchra nomina capiribus imponet, quibus allectus, et falsus, in certum exitium proturbetur; non appellabit iram, magnanimitatem, aut cotem virtutum; non sævitiam, strenuitatem; non metum, cautionem; non temeritatem, fortitudinem: Quæ tandem esse spes sanationis potest ulla, si morbis sanitarum nomina imponuntur? Quomodo sanabitur is, qui se bellissime valere non dubitat, medicis iratus, tamquam insanis, ac inimicis, et qui depulsuros se profiteantur quod ille præstantissimum se habere credit? Nullus est prorsus affectus, qui si ad mentis et rationis iudicium vocetur, non protinus appareat vere deformis, abominandus: Quid adjectius metu? Quid magis indecorum quàm ira? Quid execrabilius superbia? Jam, mens ipsa, suprema animi et celsissima pars, videbit quantopere sit tum naturâ suâ tarda ac præpedita, tum tenebris peccati cæca, et a doctrina, usu, ac solertia, imperita et rudis, ut ne ea quidem, quæ videt, quæque manibus contrectat, cujusmodi sint, aut quæ fiant, assequatur, nedum ut in abdita illa naturæ arcana possit penetrare; sapienterque ab Aristotele illa est posita sententia, *Mentem nostram ad manifestissima naturæ non aliter habere se, quàm noctuæ oculum ad lumen solis*: Quæ omnia, quæ universum hominum genus novit, quæ sunt pars eorum, quæ ignoramus? nec solum id in universitate artium est verum, sed in singulis earum, in quarum nulla tantum est humanum ingenium progressum, ut ad medium pervenerit, etiam in infimis illis ac vilissimis; ut nihil existimetur verius esse dictum ab Academicis, quàm: *Sciri nihil*: quod qui primus professus in se est Socrates, hunc ea de causa sapientissimum esse, illius Dei oraculo pronunciatum,

Mens.

cui

cui Deo reliqui omnes de sapientia concessissent, nullamque esse majorem insipientiam, quàm hominem existimare se scire, quod nesciat; idque videmus magnis viris in curriculo sapientiæ usu evenire, ut quo ulterius sint in eo progressi, eo se minus intelligant et deprehendant scire, tamquam rursus ad carceres e cursu ipso referantur; quamquam qui rem acutius inspexerit, et subtilius inquisierit, facile deprehendet nihil scire, et putare se scire, in ipsis adhuc hætere carceribus; intelligere autem se nihil scire ad metam humanæ sapientiæ pertigisse.

Quantum est ergo stultitiæ ac imperitiæ argumentum, offendi quem, quòd indoctus vocetur, quodque illud objiciatur sibi, quod esset ipsi, si saperet, profitendum? quanta existimatur injuria dicere ignorari quid ab aliquo, qui si centies se excusserit, nunquam scientiæ ullius mica decidet, videlicet quum nulla insit penitus? (1)

*Nunquam ita quisquam bene subducta ratione ad vitam fuit,
Quin res, ætas, usus semper aliquid apportet novi,
Aliquid moneat: ut illa, quæ te scire credas, nescias,
Et quæ tibi putaris prima, in experiundo ut repudies,*

quemadmodum inquit ille in Comœdia, id est, nemo tam unquam firma et constituta fuit sapientia, quin tempus et ætas docerent eum nihil scire, falli, errare, sicut seni illi tam diu percepta, infixæ, confirmata opinio, ad postremum tamen fuit mutanda: Cujus est tam spectata vel sapientia vel felicitas, cui non plurima eventus sit mentitus? immo vero, qui non usu deprehendat se ignorantia prolapsus, cæcitate aberrasse, stulte per imprudentiam consuluisse, ut ipsum suimet ipsius pudeat? Quas arbitrabamur firmissimas conjecturas, et quibus nos impensissime nobis placebamus tamquam occultam rem, et alte abditam, Marte ac industria nostra eruerimus, sequens dies, dies vero? immo sequens hora, confutat, et levissimis nos rebus patefacit impulsos; cur ergo toties experti, ac falsi, pergimus tamen conjecturalis nos totos permittere? quod equidem esset ferendum ut-

(1) Terent. in Adelph. Act. v. Scen. iv. vers. 1.

ut cunque, si id ad bene faciendum, ad juvandum alios pertineret, ad nocendum vero, ad vitia, ad scelera, credere toties mentitis, et fraudibus manifestis, quanta est socordia? quum in rebus exigui precii capti semel, et fraudati, tanto in posterum diligentius prospicimus et cavemus, quàm ostendimus invitos nos esse bonos, ultro ad malefaciendum currere, levem occasionem, tenuem prætextum, atque adeo sæpenumero nullum sufficere ardenti in hoc et concitata voluntati? At voluntas hæc si retegatur, quanta objiciet oculis intuentium ulcera! Voluntas. quas plagas a vitiis et delictis acceptas! Ipsa, per se imbecilla, motuum arietibus subinde concussa, quàm facile confringitur ac ruit, et ex tanta cadendi continuatione tamquam pedum suorum usum amisit! jam illi stare prope tam alienum est et coactum, quàm quæ contra naturam, quam naturam ipsi tam perpetua et pertinax consuetudo velut novam quandam effinxit, ita ut vel de Justo sit in libris Sapientiæ, quòd septies cadat singulis diebus; quid facturum censemus injustum hominem aut impium? et in epistola sancti Joannis legimus, Si dixerimus quod peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est.

Hoc vero non illi sunt modo assequuti, quibus traditum erat cœlitus omnia esse subdita tyrannidi peccati, liberari vero per crucem Filii Dei; Gentiles quoque, etsi causam ignorant, rem tamen perspicunt: Senecæ est sententia illa, Neminem inveniri, qui se possit absolvere; et innocentem quemque se dicere, quòd respiciat testem, non conscientiam; et alio loco fusius: Si volumus, inquit, æqui omnium rerum judices esse, hoc primum nobis persuadeamus, neminem nostrum esse sine culpa; hinc enim maxima indignatio oritur, nihil peccavi, nihil feci: immo nihil fateris: indignamur aliqua admonitione aut coercitione nos castigatos, quum illo ipso tempore peccemus, quo adjicimus malefactis arrogantiam et contumaciam: Quis est iste, qui se profitetur omnibus legibus innocentem? ut hoc ita sit, quàm angusta innocentia est ad legem bonum esse? quanto latius patet officiorum quàm juris regula? quàm multa, pietas, humanitas, liberalitas, justitia, fides exigunt, quæ omnia extra publicas tabulas sunt? Sed ne ad illam quidem arctissimam innocentie

Id eo dicit Seneca, quod ut testes vitare in peccando possumus, non item conscientiam.

formulam præstare nos possumus: alia fecimus, alia cogitavimus, alia optavimus, aliis favimus; in quibusdam innocentes sumus, quia non successit: sic Seneca: atqui iste tantopere ulcerosus, et indicanti ulcera irascitur, et medicamentum ad sanationem vel ostendenti, vel adhibenti, est infensus tamquam facienti injuriam, quòd ægrum appellet eum, qui se optime valere arbitratur; aliis vero qui eodem tenentur morbo, et ceu in eodem jacent valedudinario, succenset; atque adeo, alienis verrucis gravissime offenditur, qui ipse turpissimis est tuberibus deformatus: hoc est diaboli ingenium, bonum se credere, quum sit pessimus; ita ut monstranti morbum, tamquam mendaci, et maledico, et convicianti inimico male velit, rum alios, minus, quàm ipse sit, malos, gravi supercilio increpat, et terribilium videri vult id vitium, quo ipse, vel aliud, vel idem ipsum, majus, et notabilius, occurrentium oculis expositum circumfert: hæc est humani animi facies, hic status, in quo cernitis quàm nihil sit gloriandum, aut unde se homo possit extollere.

CAPUT IV.

*DE CORPORE HUMANO, QUAM ILLUD
sit caducum et sordidum.*

CORPUS: **AT** ;cujusmodi habet corpus, quod alii sepulcrum nominarunt, alii carcerem, verius dici posset putris cujusdam navis sentina aut cloaca ruinosa? fœtebit si aperias sterquilinium hoc opertum cute; quod quale sit, abunde ostendunt quæ per ejus omnes meatus perenne scaturiunt, per nares, per aures, per axillas, per os ipsum: ;quid dicam per ea, quæ pudor vetat eloqui non minus quàm proferri? ;et in hac obscenitate sordidum, quanta imbecillitas! nam et sentinæ fiunt sæpe ex forti abiete, ex robore, et cloacæ ex saxo durissimo; ;quæ porro pars est corporis, cui non peculiaris sit morbus aliquis, et doloris faces ardentissimæ? non caput, non manus, non opes, non ipsi etiam dentes, et extremi ungues, præter eos morbos qui universum hominem invadunt, et quasi ingenti tormento con-

cu-

cutiunt: ante Plinii ætatem trecenta erant morborum genera annotata ab iis, quibus curæ est ista persequi; ;post illum, quot sunt exorta nova, incognita, nullis veterum cedentia sive præsentis periculo, sive acerbo dolore, sive abominabili fœditate? Habent alia animantia, ut de inanimis taceam, villos, et setas, et cutem durissimam, quibus etiam graves punctiones non sentiunt, et adversus animalculorum morsus et molestias tamquam lorica quadam sunt armata; homo, tenerrima et mollissima cute, nec arenæ papulam, nec stipulam, nec rugam, nec floccum, nec pilum adhærentem perfert; ;quid dicam araneolos, muscas, culices, cimices, formicas, pulices, pediculos, et alia exigua dictu et visu animalcula? ;quantum hæc omnia negotium facessunt huic Giganti, etiam quum de cæde populorum et nationum, quum de evertendis regnis cogitat? ;quum de bello aliquo sævissimo, quantum ei bellum infert pulex! ;quàm totum ad se convertit hunc urbium et gentium domitorem atque eversorem? ;O miserum! ;tam fortia cogitas in tanta infirmitate? ;cur non prius concalescis, antequàm te tanto virium certamini objicias? ;cur non vincis prius hunc vicinum hostem, a quo infestaris, postmodum illos aggrediere fortiores, a quibus nunquam es lacessitus? ;Quid hîc recenseam molestias a solo, a cælo, ab ætate? ingredienti arena moratur vestigium, lutum detinet, lapides pungunt, rupes frangunt; ;quomodo lucrandum cum terra, et tamquam ab invita extorquendum quo vita sustentetur? ;quanta in varietate temporum molestia! ardores præfocant, rigores adurunt, pluvias non ferimus, expavescimus fulmina, tonitribus pæne exanimamur: ;Quæ est infantie imbecillitas! ;quantis cum lacrimis sunt omnia excudenda! ;quàm est seni gravis vita ipsa, alioqui ex se fugax et incerta, milleque per singula horæ momenta periculis obnoxia et exposita, ut nihil sit tam exiguum et contemptibile, quod non satis sit ad hominem vel robustissimum prosternendum! ;Quid dicam absumi quosdam incognita prorsus causa, ut a vita ad vitam, tamquam a cubiculo ad cubiculum migrent, ut nemo possit sibi, non dico annum polliceri, ut est in veteri dicto, sed nec horam?

Iii 2

Quo-

Quocirca quis assequi verbis possit, quantus sit furor, quàm cæcus, propter verbum unum, ut vel pravæ animi tui libidini, vel iudicio dementis alicujus satisfacias, et quietem vitæ, quæ alioqui rara et perbrevis est, et fructum vivendi, amittere, et, quemadmodum Ennius inquit in Tragœdia, (1)

—*Præter propter vitam vivere,*

namque dum de ultione ira cogitat et deliberat, nihilque minus agit quàm id propter quod est vita homini concessa, quumque tot undique instent molestiæ ac difficultates, si quid est, vel a solo, vel a cælo suave, vel ab amicitiiis, vel ab ætate, eo se fraudare, et majora sibi arcessere pericula quàm quibus nos natura circumsepsit, ut vita se omnino fraudet, qui bili et stomacho suo servit, qui linguæ indulget, qui ultioni habenas laxat, quum contrà ex pace, ex concordia, ex modestia et moderatione consequi possimus, ut et commodis vitæ facile perfruamur, et leviora nobis fiant incommoda? Quærit sanctus ille Vates, *Si quis aliquis homo, qui velit vitam, qui diligat dies videre bonos?* Atqui hoc qui non cupiat est nemo: audiat ergo, quid illi sit, ut hoc adipiscatur, faciendum: *Prohibe linguam tuam a malo, et labia tua ne loquantur dolum: Diverte a malo et fac bonum, inquit pacem, et persequere eam:* exteriora omnium animorum signa in linguæ sunt appellatione comprehensa, illa enim, quemadmodum interna affecta sint, loquuntur: vir etiam in seculo moderatus, ac bonus (nam de perfecto illo et divino nondum dissero) linguam et manus subjiciet publicis legibus, prudens, gestus quoque ac nutus educationi, vafer, utilitatibus: Quorsum pertinent, dicta, nutus, detorsiones labiorum, oculorum, superciliorum, gesticulationes, et notæ, quibus alios irridemus, signa malevolentis? Primum, quàm sunt illa omnia turpia, deformia, indigna, non solum prudentia, sed quovis vel mediocri acumine! An tu idem putas esse gesticulari, irridere, quod acute reprehendere, sapienter admonere? si gesticulationes ingenii sunt, et prudentiæ signa, concedamus omnes his-

(1) Ennius in Iphigenia. vers. 468.

histrionibus ac scurris: An est quidquam promptius aut facilius, quàm torquere labra, corrugare nasum, contrahere vultum, cachinari, scomma vel convicium jacere? hæc magis sunt iis ad manum, qui mente ac ratione minus valent; illis armis pugnant inermes ac inopes iudicii, acuminis, peritiæ; nihil est simplicius, planius, rectius, sensu, verbis, vultu hominis prudentius ac cordati: neque irridere, probitatis est aut sapientiæ argumentum, nec arridere, stultitiæ vel pravitatis.

Adde illa omnia quàm sint inefficacia: declaramus nos pravo esse animo, atque etiam inimico, sine ullo alterius damno, cum periculo nostro; quàm est intemperantis ac impotentis stultitiæ id agere, quod nec nocere possit alteri, nec tibi prodesse! a nulla re longius videtur discedere felicitas fortunæ, quàm ab impotentia animorum, ab intemperantia linguæ; maxima e-genorum pars eò est delapsa, quòd sibi nequiverunt imperare ut leves impulsivunculas sustinerent, et dum tangenti, toto corpore resistunt, se ipsos in imum deturbarunt; noluerunt nutui cedere, cedunt patrimoniis, possessionibus, fortunis omnibus; noluerunt verbulo cedere, cedunt vitæ; nam quandoquidem res omnes hominum in lubrico sunt et præcipiti loco derelictæ, si vehementius te adversus aliquem concitaris, facies tibi impulsus, et casum, quod prius levis erat contactus: Qualem vero illius existimamus fortunam fore, qui amicum mavult perdere, quàm verbum? At contrà, plerique dissimulandis injuriis nacti, consensionem et amicitias, etiam allicefactis ad se illis qui odisse videbantur, opes amplissimas, et ingentem potentiam collegerunt: Quàm multis nascentibus inimicitiiis, et futuris aliquando atrocissimis, obviam silentium ivit, et ingentia molimina, tamquam subtracto fundamento, discussit, quasque materiam detraxit nascenti flammæ! Antonio Eremitæ, viro illi sanctitate inclito, perhibent quum alia multa in illa esse solitudine et locis desertis divinitus ostensa, tum vero quodam die orbem universum retibus et laqueis coopertum, ipsumque exclamasse, *Mi Domine, quis effugiet hæc?* cui a cælo missa sit vox: *Animi demissio:* ita est plane: Quanto promptius est vivere in concordia, quàm in dissidio! videlicet, cedere facilius est, quàm resistere;

cedentem nemo persequitur, resistentem impellimus: *Illi quoque*, ut graviter est apud Senecam, *quos sors iniqua in ancipiti posuit, tutiores erunt superbiam detrahendo rebus per se superbis, et fortunam suam, quam maxime poterunt, in planum deferendo.*

CAPUT V.

*OSTENDITUR, QUAE MORTALES IN HAC
vita anquirimus, ea magna ex parte vana esse,
fluxa et inania.*

Opes.

EXpositus est nobis breviter universus homo intus et foris, qui si talis est, tam aliis miserandus, pudendus sibi, haud utique difficile fuerit cogitare qualia sint humana omnia, quæ ipse sibi vel ascivit necessitate, vel opinione adfinxit; opes et potentia, quàm a re omni utili, solida, et mansura inanes! quàm leves, momentaneæ, inconstantes! quod idem licet de favore, de gratia, de honore, de dignitate, de gloria dicere: quid nisi quum omnia regat partim populus, partim fortuna, quibus duobus, quid potest inconstantius atque instabilius cogitari? ut sæpe nox una, sæpe paucæ horæ, inter regnum et carcerem, inter triumphum et exilium, inter summam gloriam et summam ignominiam, inter vitam deorum honori parem, et mortem contumeliosissimam interfuerint: Meum ergo aliquis appellet, quod possit ante horam perdere? Sumtuosa ædificia, magnus domi et in toto cultu apparatus, quàm exiguo est usus? nec nos tuerur, immo contra, nos illum ingenti ac molestissimo tuemur labore, per tot curas, per tot incommoda, adde etiam per discrimina, adde per nefaria facinora, et capitalia scelera, tamquam vastam et inconditam molem.

Quòd si et in horum natura tanta est infirmitas, et in possessione inconstantia, tam facile ab aliis vel læduntur vel tolluntur penitus, quid prodest inimicitias propter hæc ipsa suscipere, quum majus ab inimicis damnum brevissimo et possit et soleat afferri tempore, quàm est illud ipsum propter quod discordias excitavimus? Itaque videmus quotidie contingere, ut uni-

universum censum in discrimen adducant, qui numum sestertium noluerunt contemnere. Nobilitatem confinximus, quum constemus omnes ex eisdem principiis et elementis, conditi ab eodem naturæ Principe, progeniti ab eisdem auctoribus gentis; gignimur in flagitio, ex semine fœdissimo ac spurcissimo; nascimur ex malis hominibus inter dolores et gravissimos cruciatum cum præsentissimo et nostro et ententium discrimine; nutrimur in molestiis, educamur in laboribus; ubi sunt inter hæc natales? quid vult sibi sanguis putris, morborum omnium fons, immo sanies et pus olidissimum? Quis iratus genius tantum oneris huic jumento imposuit, quum se ipsum ægre portet, ut magis mirer non ipsum sæpenumero desponso animo oneri succumbere, et hanc vanitatis telam, quam tantis cum ærumnis orsus est et texit, medio texendi cursu præ indignitate succidere? Hæc omnia perspiciet ac considerabit is vir, qui, quantum effici ac præstari ab ipso possit, cœno se humanæ malitiæ conatur excutere, abluere a sordibus affectuum et pravarum cogitationum, quique tanto onere liberatus, solutusque, ad magnitudinem animi, et ad fastigium humani decoris magno gradu contendit, unde nos duræ atque asperrimæ calamitates deturbarunt, sed culpa nostra contractæ: ergo semota paullatim in eo per sui cognitionem, qua premebatur superbia, dejicientur violenti animorum spiritus ac motus, quo fiet, ut tamquam alteri lanci ingenti detracto momento, altera sustollatur, in qua est mens; quantoque illa perturbationum, atque arrogantia, facta erit levior, tanto se altius mens attollet usque ad fastigium luminis et notitiæ omnium; ex quo singula, tamquam de specula, facillime circumspectet; proferent se ac exerent ea, quæ prius abjecta et oppressa cogebantur latere, iudicium, ratio, prudentia, ut pulchra et magnifica cogitata, quemadmodum exequi oporteat, intelligat, habeatque provisum jam, et paratum, in occasionem, atque usum: confirmabitur voluntas, ut tantum sit aggrediendis rebus firmitatis ac roboris, quantum a ratione iudicatum fuerit necessarium futurum.

Et quia obices luminis hujus et iudicii interturbatores sunt affectus illi feri ac incitati, eos ante omnia vel relegabit, si qua

Nobilitas.

Affectus pel-
lendi.

va-

valeat, vel certe comprimet in præsens ac compescet, nec in deliberationem ullo modo sinet venire, sed si qua irreperint, differet in præsencia consultationem donec exierint; dabit moram, et se sustinebit, nec aliquid statuet, dum in concilio aderit aliqua animi concitatio, non magis quam uteretur aqua turbida, nisi eam prius pateretur eliquescere; nam quemadmodum, qui vel oceanum alicunde conantur aggeribus excludere, vel in ejus ædificare æstuariis, a principio operis, quum æquor intumescit, cedunt mari, et cessant, quo in se reverso magna diligentia atque industria ingentes moles pro fundamentis jaciunt, locumque sedulo communiunt, ne totum opus vis illa oceani recurrentis disturberet ac confundat, nec quidquam faciunt prius, quam influxum maris ab opere arcere, donec structura ita vel ascenderit, vel firma sit ac constituta, ut nihil sit amplius periculi ab undis et tempestate; ita in hoc animi ædificio, quod in mediis fluctibus molimur, a quo summovendus est imperus illius affectuum tempestatis, initio quum ii invadunt, quiescendum est, et manus ab opere tollendæ, affectibus vero sedatis, interea dum liberi sumus, celerrima est et rapacissima occasio arripienda tantæ dumtaxat rei; figenda sunt et statuenda propugnacula adversus illorum assultus, quoad tale sit nobis absolutum opus, in quod nullam impressionem queat facere animi quamlibet concitati violentia: quapropter nihil magis, aut accuratius, cogitare debet animus quietus, quam ut minime deinceps conturbetur, aut ut conturbatio extra operationis et consilii tumultuetur ac sæviat, in illa non irrumpat: ergo affectione jam compressa et alio aversa, vel certe quiescente, et præbente inducias, hoc erit ejus opus, ingenii, iudicii, rationis, ut tum demum ad considerationem rerum descendat, et quasi censor quidam singula ad precium atque æstimationem advocet, quod vel ipse satis sibi notus ac fidens, multumque ad eam rem nactus prudentiæ, imponet, vel a magnis viris, et quibus tuto fiditur, impositum tenebit ac conservabit; nam, quemadmodum præclare est a multis traditum, error ac miseria omnis in humana vita ex ignorantia nascitur, quod mala pro bonis ducimus, et rursus bona pro malis: eorum,

quæ

quæ ab hominibus possidentur, omnium naturam primum contemplabitur, hinc usum.

Quid enim magis est sapientis, quam cogitare atque expendere, quæ cujusque rei ratio sit, qui finis? Nam bestiarum, mentis ac consilii expertes, præsentibus modo acquiescunt; hominis est proprium, aciem mentis in futura præmittere, ne in alium unamquamque rem sumat usum, quam in verum ac naturalem, alioqui nihil a bestia distabit, et non secus atque illa, nunquam iudicio, nunquam ratione ac consilio ducetur, semper animi affectionibus serviet; sin vero et naturam et usum non ignoret, velitque rationi ac veritati obtemperare, nec plus de unaquaque sumet, quam oportet, et res instituto naturæ suæ cursu vadere minime moleste feret, ita in se quietus tranquillusque, nunquam vel sibi erit ipse, vel aliis iratus: natura rerum humanarum hæc est, ut quæcunque hominibus contingant, vana sint, caduca, obnoxia casibus, commendatâ, non donata; solam virtutem ita a Deo nobis tribui, ut ea demum fiat possidentis, si velit, reliqua vero nunquam in jus et mancipium transire ejus, qui utitur: *Ingenii acumen*, vel tempore, vel usu immodico, vel interdum morbo, aut casu aliquo deteritur ac rerunditur; *Memoriæ*, ætas est inimica, nihil est in homine quod citius sentiat incommoda senectutis; *Doctrina*, desuetudine elabitur, morbo perit; *Vires*, nimis laboribus, aut unâ febriculâ franguntur, denique eas aufert illa, quæ reliqua omnia, ætas; corpus, quot morbis expositum, immo obvium, quot doloribus, quot gravissimis cruciatibus! in illud dominantur cæli, elementa omnia, stirpes, venena, feræ, homines quam multis modis! hostes, latrones, tyranni, magistratus! ut præteream casus, quorum exponi summa non posset; *Vita ipsa*, ex se fugacissima, et vel ad semihoram incerta, finienda morte non hujus aut alterius generis, sed incerti, incogniti, inexpectati; *Parentes, liberos, uxorem, amicos, servos, clientes*, homines esse omnes, id est, et mortales, et in vita mutabiles, ut nec si moriantur, quidquam acciderit contra naturam, nec si voluntate et moribus mutantur; nec minus *equi*, et *jumenta*, et *pecora* sub ditione, quam homines; *Pecunia*,

Consideratio naturæ ac usus.

metallum est; quid aliud quàm terra in suis visceribus concreta? huic tendunt insidias tam multi, hanc invadunt et oppugnant fur clanculariâ rapinâ, latro vi aperta, alius blanditiis, alius fraude; infinitæ sunt artes avertendi ab alio ad se pecuniam; *Vestes*, infestant tot vermiculi, tot papiliones, situs, pulvis, ipsum tempus; *Vitreum aut Samium vas*, est fragile; *Pictura*, vel eluuntur, vel deteruntur; *Ædificia*, alias tempestatibus ruunt, alias ex materia ducunt vitium, alias tempore collabuntur.

Agri, interdum bellico impetu vastantur, interdum calamitatibus a cœlo, aut solo, tot nimbis, fulminibus, grandine, eluvionibus, ariditatibus, tot exitiis et pestibus frugum, sæpe arroduntur a vermiculis, sæpe a cognatis herbis suffocantur, ac corrumpuntur; quid est *decus*, quid *honor*, quid *gloria*? gestus aliquis, aut verbulum inane penitus; quàm cito, quàm facile exolescit decus, et in ignominiam vertitur! *Nobilitas*, vel non agnoscitur, vel egestate ac vilitate progeniei penitus exolescit.

CAPUT VI.

MONEMUR, UT QUAE NOBIS ADVERSA
eveniant æquo animo toleremus.

Quid non est morti et casibus subditum? quid illis vi, arte, ratione potest ullâ eximi? Qui ergo hanc esse naturam rerum, conditionemque recordabitur, nã is utetur, quemadmodum oportet, presentibus, si vero absint et discedant, non magis contristabitur, quàm si in rosetis rosas non inveniatur sub brumam; quippe, eam sciet esse legem et conditionem ejusmodi rerum, ut suis vicibus modo influant, modo abscedant; æquo feret animo res naturæ suæ cursu vadere, quemadmodum veris illi gratissimo temperamento non moleste fert æstatis fervores succedere, aut his hiemis rigorem, et oceanum quo inundarat, inde recedere, navesque paullo antea fluitantes in sicco relinqui: huic si se naturæ accommodarit, facillime ac jucundissime versabitur in vita; nihil est enim dulcius, quàm secundum naturam vivere, id est, flumine placido, et secundo vento

na-

navigare, nec ei unquam illa pœnitentiæ excidet vox, *Non putaram*, omnia enim habebit præcognita et prævisa; sin vero contra naturam aliquid cupiat, et quasi navigium adversis ventis adverso æquore conetur agere, nec unquam compos fiet voti, et semper inter molestias, fastidia, ægritudines conflictabitur, infensus et sibi et multis.

An tu indigneris, aut inimicitias cum ullo omnino sumas, quòd vel res naturæ, id est, domino suo servierint, non tuæ voluntati, vel quòd eo illa ipsa natura sit usa velut instrumento instituti sui cursus? Quis fulmini vel pelago irascitur, aut cum eo exercet simultates, quòd filium, vel edes, vel mercimonium eripuerit? Nam etsi voluntas videtur aliqua adhaberi inter homines, tamen viro sapienti natura est magis rerum spectanda, ministra Dei, quàm voluntas hominis prava, ministra malitiæ, sed quæ nec satis fuisset ut adimeret vir malus pecuniam, vel vestem, vel speciem illam honoris, si tam illa naturæ suæ vi fuisset tua, quàm virtus: at quibus nihil auferunt homines, auferunt casus a cœlo, ab elementis, a rebus inanimis, ab animantibus, incognitis nobis causis, sed non omnino nullis; itaque quam consolationem alienis casibus exhibere soles ex natura ipsa promptam, eandem tuis ipsius adhibe, id est, utere eadem medicina, quam aliis in eodem morbo consulis: obiit alienus filius, aut uxor, dicis mortalem fuisse; surrepta est furto aliena res, dicis solere fieri; aliquid puer alienus peccavit, dicis hominem esse; verberatus est aliquis convicio, facta est alicui injuria, dicis eam esse vitæ legem, ad hæc ferenda incommoda et alia hujusmodi hominem esse natum; quin tu idem dicis et cogitas in tuis ipsius? an alios vis conditionis rerum recordari, ipse oblivisceris? hæc quidem est natura, quid vero usus?

Eum ex natura deductum esse et derivatum convenit; sunt in rebus, quas necessitas expressit, sunt, quas commoditas suavit, sunt, quas opinio hominum depravata invenit; necessitas inevitabilis est, ut esse, bibere, propulsare a corpore vim frigoris, vim æstus, denique ea parare, sine quibus tueri vitam hanc non possumus; paucula quædam addidit commoditas, multa,

Usus rerum.

Kkk 2

im-

immo infinita, commenta est opinio affectuum judiciis persuasa, et alienis exemplis longissime impulsa, ita ut facta sit ingens, vasta, immanis, insatiabilis; hæc, honorum tot genera excogitavit, fastus ostentationis, decoris, dignitatis, potentiae, regni, imperii, et in his ex minimis initiis nullus jam modus, dum nihil aliud quam expetere nos docet, atque hortatur, quod est sane immensum ac interminabile, quid, qua ratione, quo fine expetendum sit, tacet, nempe a cupidine extimulata atque incensa; neque enim ullus istorum, qui tam anxio labore tantos cumulos excitant opum, possessionum, honorum, ditionum, regnorum, interrogatus, quem in usum id faciat, probabilem ullam adferre poterit facti sui rationem et causam, quippe, his necessitas non eget, commoditas respuit, quæ tanto est et melior, et verius nomen suum retinet, quanto habilior, at hæc moles tam vasta, tam sparsa ac diffusa, incommodissima est, quid restat, nisi ut se opinionem sequi dicant, insanio affectui obedientem, a ratione prorsus et iudicio alienam atque abhorrentem? Equidem de istis, quos dominandi et excellendi cupido inexhausta, totos ita rapuit atque incendit, ut ardentissimas ex se scintillas quoquo versum jaculentur unde savissima bellorum incendia suscitantur, de istis, inquam, pervelim audire, quid sequantur? quem sibi in desiderio finem statuunt? Nam rem tantam nullo proposito fine suscipere, hoc vero inferius est conditione bestiarum, quarum etsi presentibus modo contentarum, nullæ sunt tamen adeo leves motiunculæ, quas illæ sine causa omnino, et sine proposito ullo edant.

Quid consectantur? abundantiam voluptatum? At quanto plures et majores subministrat quies, et mediocre regnum, ac Regi habile, quam tumultus bellici, et amplissima ditio, in qua maxima est sollicitudo, et cura perpetua? Nam quemadmodum in grandi hominis corpore, et humoribus redundantanti, semper est aliquid, quod querelam adferat, et medicantis manum requirat, ita in ingenti regno semper existit pars aliqua, quæ corpus totum suo aliquo morbo infestet, ac inquietet, sive rebellionem cujusquam populi, sive casu aliquo, et calamitate, vel ab hominibus, vel a fortuna illata: Pyrrhum, Epirotarum Re-

gem,

gem, expeditionem pro Tarentinis adversus Romanos parantem, Cineas philosophus apud eum gratiosissime rogavit, Quid facere victis Romanis cogitaret? Extemplo tota, inquit ille, Italia imperio nostro parebit: Quid vero subacta Italia? Trajiciemus in Siciliam, et eam adjiciemus nostris opibus: Quid porro victa Sicilia, quid restabit post eam? In Hispaniam, inquit ille, arma transferemus: Quid hac occupata? Cum Carthagine nobis res erit, quam aggrediemur ingenti potentia subnixi ac suffulti: fac omnia hæc subacta esse, et possessa: huc revertemur, inquit Rex, et beatissime explebimur omni genere voluptatum: Is ne est finis, subjecit Philosophus: Quid ergo obstat, quin extra tot pericula, quibus ignoras an superstes sis futurus, iisdem ipsis voluptatibus jam nunc hic pro arbitrio abundemus, ac constipemur? Sunt qui dicunt, nihil se aliud quærere, quam imperare, aut regere; isti vero idem esse putant, regere, et Regem nominari; atqui Rex vocatur etiam in fabulis histrio ille, qui Agamemnonis, aut Priami personam sustinet, nec aliter Rex est, qui, quid sit regere, ignorat; Regem esse, est multis prospicere ac consulere; hoc si expetis, rem sane omnium pulcherrimam et magnificam expetis; sed inspice prius te, et considera an te ipsum, an ea quæ jam habes, possis regere; id si es nactus, tunc sane foras ad alia regenda egredere.

Quod si nec exiguum regnum, nec domum, nec te ipsum rite potes gubernare, quis furor dicendus est, te multarum nationum atque urbium habenas deposcere? non aliter, quam Phaetontem in fabulis ferunt adolescentem Solis patris sui currum et equos; quos lacrimis et importunitate consecutus, et se ipsum perdidit, et incendit mundum; nec aliter multi ex istis quærunt et postulant regna, quam pueri equorum lora, vel clavum in navi; putant enim regere, esse manum admovere, nam gubernatoris artem quia non assequuntur, credunt illum non arte, non ingenio, et industria uti in contorquenda tanta mole, sed solum manu temere, et ut casus ferat, mota; ita videas istos, qui tot motibus, et turbatione rerum humanarum, ad ingentes ditiones pervaserunt, existimare, bellissime perfunctorum se regendi munere si diplomatibus nomen suum adscripserint,

ce.

Dominandi
in exhausta
cupiditas si-
ve causa.

cetera vel in silvas venando abditos, vel in regiae penitissimo inter scorta, et convivia, et aleam: exempla sunt horum inter veteres permulta, atque utinam solum apud illos: strenuissimus et prudentissimus vir Populi Romani Publius Scipio, quum censor de more voti carmen, scribâ ex publicis tabulis præeunte, pronuntiaret, ventumque esset illuc, *Juppiter, auge rempublicam*, nunquam sic precari animum induxit, monente multum scribâ atque hortante, sed sic, *Juppiter, conserva rempublicam*, satis esse auctam, dicens, modo conservaretur; ac protinus, ut inquit Valerius, in publicis tabulis ad hunc modum carmen emendari jussit, qua votorum verecundia deinceps censores in condendis lustris usi sunt: Augustus Cæsar, Princeps plane regendi artifex, mirari solebat Alexandrum Macedonem non magis cogitasse, quemadmodum parva regna administraret, quam quemadmodum nova alia partis adjungeret.

CAPUT VII.

ONUS REGENDI HOMINES IN PRINCIPE,

et unde vera hominum excellentia sumatur.

ET ad christianum Principem par est loqui de onere regendi homines: Quid enim est aliud plures querere, quos regas, quam habere, de quorum vita, salute, fortunis, moribus, rationem sis Deo redditurus, mundi præsidi, et judici omnium exactissimo, qui illos omnes fidei ac curæ tuæ commisit ac commendavit? illius revera est grex, tu nihil es aliud in eo, quam fidei commissarius, vel datus origine, vel ascitus voluntate, vel ingestus vi ac intrusus; nihil apud illum proderunt speciosi tituli, quibus falli quidem possunt homines, et eis silentium imponi, Deus falli non potest, apud quem unusquisque se ipsum ex mentis suæ conscientia, vel damnat, vel absolvit, non ex testibus, non ex tabulis, non ex rumoribus confictis, non ex patroni meditati coloribus adversus crimen: recipiat se introrsus unusquisque ad mentem, ad consilium animi, et intelliget hanc imperandi et potentiæ cupiditatem, propter quam toties

or-

orbis universus concutitur, ac turbatur, totam ex ignorantia et cæcitate nostrarum opinionum ortam esse, quæ se a judicio et consilio rationis sejunxerunt, transfugerunt ad affectus.

Egredietur foras vir prudens, et alios quoque homines excutiet, atque eodem examinabit Lydio lapide, quo se ipsum: horum omnium neminem non inveniet similem sui; invalidum, mille casibus subjectum, et proinde miserabilem; quumque viderit, quæ sint unicuique, etiam beatissimo, ferenda in vita, sortem et conditionem suam intelliget sibi esse patibilem, ut non sit cur se aliter ultum de eo cupiat, a quo injuriam se accepisse opinatur, quam ulciscetur casus et ipsa conditio humana: quid optas inimico? fortunarum aut dignitatis jacturam? expecta parumper, videbis; neque est enim tam felix ullus in vita, cui non ejusmodi casus aliquis intercurrat: cladem ejus ditioni, si sit princeps? accipiet pestem, famem, eluvionem, terræ motum, populi inter se discordiam, et, dirum malum, seditionem: cupis orbitatem, aut mortes carissimorum? si sustinere paullisper potes, fiet tibi natura votorum tuorum ministra: at morbos mavis? acriores natura dolores inferet, et ardentiores admovebit faces, quam hostis crudelissimus ac immanissimus: quæ humana rabies adeo potest humanum corpus torquere, ut torquet stomachi morbus, ut podagra, ut dolor etiam dentium? Equidem præterire nec possum, nec debeo, quæ apud Aurelium Prudentium sanctissimus Martyr Romanus de Catasta, in qua torquebatur, ad populum concionabundus loquitur: (1)

Consideratio aliorum.

*Nec distat, ignis et fidicula sædiant,
An corpus ægrum languor asper torqueat,
Quum sæpe morbos major armet sævitia:
Non unguarum tanta vis latus fodit,
Mucrone quanto dira pulsat pleuresis,
Nec sic inusta laminis ardet cutis,
Ut febris atro felle venas exedit,
Vel summam pellis ignis obductus coquit,*

Pa-

(1) Aur. Pruden. in Romano Mart. vers. 486.

*Papulasque fervor æstuosus excitat;
 Credas cremari stridulis cauteribus:
 Miserum putatis, quòd retortus pendeo
 Extentus ulnis, quòd revelluntur pedes,
 Compago nervis quòd sonat crepantibus?
 Sic ejulantes ossa clamant dividi,
 Nodosa torquet quos podagra et arthrosis:
 Horretis omnes hasce carnificum manus?
 Num mitiores sunt manus medentium
 Laniena quando sævit Hippocratica?
 Vivum secatur viscus, et recens cruor
 Scalpella tingit dum putredo abraditur:*

sic ille: At curas, et sollicitudines, et mentis furias, illi optas? habebit per singula momenta, aliis ex aliis motibus; perturbationibusque, animum subeuntibus, tamquam undis vi tempestatum impactis ad litus; concutietur, et agitabitur, metuet, pavebit, mœrebit, terrebitur, confundetur, contabescet ægritudine, stimulabitur invidia, æstuabit odio, ardebit ira; et accensus, nec compos erit animi, nec corporis, nec fortunarum; nunquam enim isti mari deest, quo concitetur, auster aliquis, nunquam hominum vita non suppeditat affectibus et occasionem et materiam tumultuandi; quòd si alia desint omnia, certe is qui fecit injuriam, furias illas sentiet ultrices, quas adfert maleficii conscientia; quæ est prima scelerum ultio, ut ille dicit in Satyra, *Quòd se iudice nemo nocens absolvitur*; nec ulla vel optari potest, vel excogitari acerbior; nam aliæ omnes, fortunæ sunt, aut naturæ, ista delicti, quemadmodum Cicero multis verbis in Lucium Pisonem persequitur; aliæ, vel ad nos nunquam perveniunt, vel corpus attingunt solum, ista animum, id est, hominem ipsum transverberat; nec existimandum est aliud esse illud scelerum apud vita functos sempiternum supplicium, de quo est illud in mysticis litteris, *Vermis illorum non moritur, et ignis eorum non extinguitur*: Hoc cruciati quanto levior est mors, quam tamen ut summum malorum plerique inimicis suis imprecantur? Est quidem illa summum malorum

om-

omnium, sed extremum tamen; ut qui aliorum lætantur morte, ipsi in malis remaneant, alii malis sint exuti ac liberati, et in ea forsitan traducti bona, ad quæ nunquam pervenient qui illorum mortem vel procurarunt, vel optarunt, ut vota pro illorum salute videantur fecisse, quos oderant, quos execrabantur, quos diris devovebant: Sed omnino mortem illi desiderabas, et eam optare animo obstinasti? quiesce parumper, nam et te et illum duci natura jussit; ambos, quo die in lucem edebamini, capitis damnavit; non longo intervallo plectemini; quoties contigit ut prior moreretur is, qui alium mori jusserat? Captus est Galliarum Rex Franciscus a Carolo Mompensiere Borbonio, a Marchione Piscariæ, a Carolo Lanajo præfecto Neapolitano; omnes illos tres ante duos annos sepultos audivit: Si illis erat iratus, quid plus voluisset facere? Si habuisset in sua potestate ad ultionem, quid aliud fecisset, quàm fecit natura? Quid ergo animadversionem aliam, quid alium quæris carnificem, quum habeas tam paratas, naturam et fortunam, quæ ita nonnunquam miseram imbecillitatem hanc affligunt, ut iis etiam simus miserandi, qui interitum nostrum avidissime expectabant, et casus sævissimi exempli imprecabantur? Vergilianus Diomedes ita jactatos et concussos narrat fuisse Græcos Troja revertentes, ut etiam Priamo fuissent miserandi.

Post reputationem casuum et fragilitatis figmenti hujus, contemplantur quibus erroribus homines in vita agitentur, quid bonum vocent, quid malum; de his quàm longe aliter statuunt, quàm pro vero, et recte instituta ratione; hinc quid pro contemptu habeant, quid pro injuria; quas sibi ultiones et pœnas sumant; quàm pueriliter tantis in rebus ludant; ut per tumultum et præcipitanter consultant, nempe affectu præside; quàm levibus conjecturis rapiantur, videlicet, ubi se auræ levissimæ, ac concitatissimæ, cunctos permiserunt: ita fit, ut eos continuo post factum gravis pœnitentia invadat. Hæc erunt ei pro exemplo, ut ipse ex alienis erratis, quod genus est prudentiæ felicissimum, vitam suam emendet, mores atque actiones componat; in quo primum erit omnium, ut quemadmodum se non extollit, jam arrogantiam sublatâ, neque enim

Tom. V.

Lil

vi-

videt causam ullam cur id faciat, ita nec se cuiquam anteponat, nec ullum contemnat, nisi qua et se quoque contemnendum censeat, quum tanta sit in natura humani generis similitudo, nec sit quisquam qui non aliqua ex parte alio sit melior, alio pejor; stultorum, qui se non noverunt, est alios contemnere, quippe qui aliis detrahunt quod sibi arrogat, at vir notitia sui institutus, instructus, fretus, intelligit se nihilo plus habere, quàm alium quemvis de turba, et paupertatem suam tacitus agnoscit; quòd si alios videat, non minus quàm ipse sit, pauperes, qui se locupletes vel ab ingenio, vel ab opibus, vel a genere, vel a dignitate esse autument, non eos propterea despiciet, quum in re nullum sit discrimen; æque sunt pauperes, et abjecti, nonnihil fortassis in cogitationibus intersit; certe non magis ridiculum sit hunc se illi antepone, quàm si olla figlina, cui nihil sit adscriptum, præstare se illi dicat, si qua inscriptum sit argentea: par est vilitas naturæ, et inter res æque humiles abjectasque, quantulum interest? etiam si titulus sit mendax, fallatur fortasse imperitus, at qui materiam et precium noverit, nunquam fallatur. Jam, quum homines, vel vere sint animi, vel mente censeantur atque æstimentur, quis poterit homo de homine ferre sententiam, quum nemo valeat ad intima illa mentis et penetralia pervenire, quæ tot involucris, tot operimentis contecta et occulta, nec Angelis quidem patent, soli auctori suo noscuntur, sibi quoque ipsa non satis plerumque cognita atque explorata?

Postremo, non ignorat nihil esse in vita malum præter culpam, quæ, ut etiam est a gentilibus animadversum, sola est homini præstanda, quæ quum sciat se quisque non carere, de altero, in cuius se comparationem adducit, incertus ac ignarus (quippe animus, in quo uno est culpa, uti modo dicebam, longissime ab humano intuitu recessit) an non hinc fit, ut causa sit nulla, cur homini cordato, et rite omnia expendenti, alius sit ullus contemptibilis præ se? Atqui hinc certa erat petenda et verissima uniuscujusque humanæ actionis censura: probe ac sapienter Epictetus Stoicus, *Lavatur quis cito, ne dicas male eum lavari, sed cito; bibit quis multum vini, ne dicas male, sed*

mul-

multum; nisi enim ejus consilium scias, unde scis an male? nisi forte expectamus, dum ille relicto animo, ad comparationem corporum descendat, et aliquid arroget sibi ac se efferat, quòd validiori sit aut integriori corpore; et egenus, ac miser, homini conditionis ejusdem se anteponat, quòd tunica sua adeo resarcta, ut jam ex centonibus et commissuris tota sit consueta, pauciores habeat commissuras quàm illius, aut calcei sint minus detriti: utinam tam bene egisset nobiscum natura, ut aliquid haberent humana corpora, quo possent superbire, et gloriari; quid non habent putidum, fœdum, aversandum? Novercam nominarunt naturam, et magnum illi convicium fecerunt viri sapientiæ assectatores, qui corpora solummodo nostra spectarunt, non perinde animos: quisquis homo hominem despicit de corpore, in id periculum se adducit, ne sibi bestias habeat præponendas, et qui hominem contemnit, belluis sit contemptui eadem de causa; nulla enim re corporis præstamus; quin ea ipsa ab aliquibus belluarum superemur: cedo quis tandem tanti faciet suum corpus, ut inde sibi animos sumat? An vir probus ac sapiens, cujus bona omnia in virtute sunt sita, qui sola mente confisus ac fretus vitam securus agit et felix? An vero acutus homo, et qui omnino non sit ab inconsiderantia dementatus, quem in corpus suum intuentem pudet sui ipsius, quique, si in contentionem laudis corpus adducat, metuit ne non aliter cum ludibrio atque ignominia repellatur, quàm si olidissimum scaphium adferret auro intectum? nihil puto esse magis absurdum ac ridiculum, quàm quòd jactet quis magnam se, aut integram, aut bene compactam, firmamque, circumferre foricam affixam semper ac hærentem sibi, nam hæc demum sunt vera nomina istius pudendæ superbiæ tot malorum per gentes omnes originis ac fontis largissimi.

Quod si nihil homo ingeniosus, et prudens, ex tota corporis et mentis nostræ natura potest deligere, quo se alicui anteponat, quanto habebit minus ex iis quæ foris sunt, quæ aliena dici debent, non nostra? velut nobilitas, et genus, et proavi, et quæ non fecimus ipsi, ut Juvenalis inquit, aut de opibus, de servis, de ædificiis, quæ sæpe, et pejoribus, et stultioribus,

Lll 2

et

et ægris, copiosiores contingunt, quam bonis, et sapientibus, et robustis, quæque vel nostram imbecillitatem testentur, qui tot indignimus, vel malitiam et metum, qui diffisi Deo, tantum ex caducis et momentaneis rebus præsidium petierimus, quasi non majus esset paratum Dei, et per Deum mentis ac rationis nostræ: et propter dignitatem? ceu vero nunquam ea indignissimo eveniat: et de honore? et de fama? quasi vero populus non fallatur in censenda virtute: singulorum naturam, usum, precium (vir prudens) novit, excussit, expendit; scit quam sit parum tribuendum hisce omnibus, quæ non in sua habet manu, sed in aliena posita libidine, nullum meliorem possunt facere si accedant, nullum feliciorum, utique nec peiorem, si recedant, jactata temeritate casuum, fundata opinionibus imperite sentientium; nam illa, propter togam, aut tunicam, aut pileum, aut calceos, aut anulum, aut equum, anteferre se aliis, puerorum sunt, quibus hæc sola videntur bona, quoniam alia non intelligunt: neque vero, si qua edita fuerit ab alio contemptus in ipsum species, aut injuriæ significatio, offendetur et conturbabitur; quippe, superbia discedens abstulit secum delicias, quibus sublatis, ut nihil invenit ob quid sibi placeat et se erigat, ita robustior factus, minus jam leves punctiunculas sentit: quale sit in se jactum telum contemplabitur; si vera dicantur, si æqua fiant, non magis injuriæ loco deputabit, quam si homo vocaretur, aut mortalis, aut si se illi Angelus præferret, aut ipse belluis, sin falsa, aut injusta, non tam ob inane dictum indignabitur, quam vicem socii dolebit, qui ita fallatur, et miserabitur vel cæcum, qui inconsulto impetu in alium fertur, vel errantem, cui alii præ ignorantia sui sordent: et An indignatur aliquis, et non potius ridendum ducit, si cæcus cæcitatem exprobrat cæco? scabiosus scabioso scabiem? claudus claudo pedem et gradum? immo etiam non raro, quod tanto est magis ridiculum, et cæcus videnti? scabiosus puro? claudus recto? et adeo ut spectatores, quamlibet rudes, et vulgari sensu, joculari citius existiment, quam maledictum? et quemadmodum ignorantia superbiam asciscit, hæc venit comitata deliciis, morositate, suspitionibus injuriæ,

cu-

cupidine ultionis, rationibus sui vindicandi, sic peritia modestiam secum importat, et moderationem, et æquabilitatem animi, causas discordiæ extenuat, aut omnino rejicit, concordiam prorsus et undique conquirat.

Peritia injurias omnes extenuat.

CAPUT VIII.

*NIHIL MAGIS NATURÆ CONSENTANEUM
quam benefacere, et quam multis a nocendo
deterreamur.*

NEque ullus potest injuriam velle facere, pro quo paratam non habeat excusationem, et in eo ipso quo fertur injuria, patrocinium, ut nemini magis sit iniquus quam sibi ipse; sic enim alios tuetur ac defendit: et senex putatur læsisse? canis et ætati magna debetur reverentia: et puer? multa sunt illi infirmitati judicii condonanda: et mulier? imbecillitas sexus meretur veniam: et æger? et quis sapit in morbo? illud dolor fecit, non homo; nec medici irascuntur suis phreneticis, a quibus multa sunt audienda convicia: et doctus? aliquid tribuendum peritiæ, et existimandum nihil ab eo temere dici aut fieri: et indoctus? ignoscendum inscitæ, quod genus est cæcitatibus; nam et cæcus, si in quem impingat, quis est adeo delicatus, qui non magis misereatur et reducat in viam, quam succenseat, et animadversione judicet dignum? melior si se tibi anteponat, ferendum: et num tu vis ordinem rerum confundi? et num non animam corpori præstare, Angelum tibi, te bestiis? Si peior, ridendum, ut quum gallus aquilam contemnit; si par, dolendum ac miserandum, quod non intelligat viam se ad sui contemptum aperire per contemptum tui: cum validiore certare, insanum; cum infirmiore, turpe: cum pari, periculosum: fortuna divitem tuetur; pauperem excusat: servum miserabilem facit conditio; et majorem tu postulas a servo ultionem, quam dederunt leges, quæ rem illi omnium maximi precii libertatem ademerunt? Si potens, cedendum ei cui tam multi cedunt; et An ego, inquit Phavorinus, uno in verbo repugnem Adriano, cui in omnibus triginta

Extenuationes injuriarum.

le-

legiones obediunt? quàm scite de se et C. Cæsare Laberius: *¶Etenim ipsi dii negare cui nihil potuerunt, hominem me denegare, quis posset pati?* Si Magistratus, obtemperandum legibus, et patriæ debita pietas præstanda: *¶Qui parum possunt, quanta est dementia eos inimicitias cum potentioribus exercere? quæ, ut felicissime cadant, non tamen vel stultitiæ notam effugiunt, vel superbiæ: quid, quod illos non in se modo irritant, sed adversum quoscunque ejusdem nationis, professionis, ordinis, etiam corporis, ac formæ, damnata in totum similitudine illius, cui male volunt, tamquam omnes ejusdem sint ingenii ac naturæ; turbant quoque publicam quietem, dum cogunt divites, et homines opibus feroces, omnia commovere, quo se ulciscantur. At qui plurimum possunt, hos tanto decet agere circumspicere, ne illam fortunæ magnitudinem universam in discrimen adducant sortis assuetæ exiguo momento ingentia vertere; quid, quòd moles quanto est grandior, hoc est minus regi habilis, et facilius in tempestate, aut contentione rerum commotarum, frangitur, certe aliquid accepit detrimenti in angustiis; et alioqui potentibus, etiamsi discedant superiores, non tamen erit admodum decorum, sin inferiores, probrosissimum.*

Denique nullum invenias, cui expediat discordiam in se admittere; nullum, cum quo expediat; omnes impedit et prohibet tum suæ personæ ratio, tum eorum quibuscum sunt dissensuri, tum personarum comparatio inter se; videlicet, natura exertâ voce clamat se homines omnes ad mutuuum amorem finxisse et conciliasse inter se, ut sicut civis civi nocere non potest, quin patriam vulneret, quæ omnes communi quodam vinculo quasi mater complectitur, ita nemo homo hominem potest illæsa natura lædere, quique non maximam hanc humani generis patriam consauciet, et sancta naturæ jura violet, quæ eadem sunt divina: *¶Quid, quòd si diligenter singula animo advertamus, neminem fere invenias, in quo præter communem illam non aliqua sit etiam peculiaris amoris causa? ¶Quis enim hominum non est, aut parens, aut frater, aut filius, nepos, avus, proavus, propinquus, affinis, necessarius, gentilis, cognominis? alius est vicinus, alius est civis, aut conterraneus, alius*

Conjunctio-
nes persona-
rum omnium.

hos-

hospes, alius amicus, familiaris, patris, avi, fratris, amicus amicorum, socius studiorum, socius artis ejusdem, socius operæ, laboris, itineris, sodalis, collega, ut nunquam ad nocendum possis consurgere, quin tibi venerabilis aliqua superior potestas, velut manus injiciat, et a motu revocet inconsulto: parentem lædere vetat pietas, propinquum sanguis, affinem conjunctio; vicinus pro cognato haberi debet, et hunc tuæ ipsius utilitates tibi commendant, quæ a vicinis paratæ sunt etiam maximæ; civem defendit lex, peregrino ne noceas educatio prohibet, inferiori bonitas, cum superiore ne contendas ratio suadet, cum pare periculum; christianum religio facit tibi fratrem, et communis parens Deus, et idem caput Christus: at hic nihil videtur profuisse; profuit fortassis, sed inscio, vel jam immemori, ut puero, ut in aliud intento et parum advertenti ad beneficium; profuit ignotus, præteriens, quàm multos pueros eripimus periculis? adjuvamus ope, opera, consilio, qui nos minime noverunt, qui nunquam postea recordantur; quàm multis occulte sumus opitulati, qui magnam, quam accipiebant a nobis opem, non senserunt? At non profuit nobis ipsis; profuit certe iis quibus nos non aliter consultum, quàm nobis ipsis, cupimus, filiis, parentibus, amicis; profuerunt nobis aut nostris iis, qui in hoc gratiam a nobis reposcunt sui beneficii, ut ejus parentes, liberi, necessarii; at proderit, at proderunt sui, vel nobis, vel nostris; et fortassis iidem erunt illius nepotes et nostri.

¶Num dissensissent tanto odio L. Salinator et Cl. Nero, si cogitassent futurum ut aliquando duæ illæ gentes in unam coalescerent? belluarum est sola præsentia intuitas illis acquiescere, hominum in procul futura mentem mittere, nempe immortalium, et ad æternitatem creatorum: non est notus; esse potest, et quidem familiaris, et amicissimus, nemini amore atque officii cessurus, si te ostendas diligere, hoc est, attrahes, si certissimum hamum escamque obtuleris, amorem: meliorem conciliet tibi admiratio præstantiæ, parem naturæ similitudo et morum; ama in illo, quas in te vides, laudes ac virtutes, aut miserare quod in te vides miserandum; erga inferiorem ex mi-

se-

seratione crescat caritas, et quis enim nocere vult ei, cujus miseretur? Denique hominem homini jungat similitudo efficacissima ad congregationem et caritatem; neminem inuenies tam ferum, tamque alienum ab humanitate omni, qui amore provocatus non respondeat, quum etiam fera bestia, tantopere a sensu naturae nostrae in rigorem illum animorum semotae, cicerentur tamen, et eos diligant, in quibus signa aliqua benevolentiae senserunt: nihil non satis esse ad discordiam solet contra naturam, et cur tam multa ad concordiam pro natura nihil valebunt? Levia sunt ex his quaedam, dicit aliquis; an leve esse aliquid potest, cui robur addit natura, hoc est, Numen sanctum et omnipotens? et quod istorum vocas leve tu, cui satis est gravis ad discordiam unus numulus, una vocula, unus nutus, aut levissimum alicujus et contemptissimum hominis iudicium, etiam contra patriam, pietatem, contra jus sanguinis, contra officium, contra aequitatem, contra sanctitatem amicitiae, contra fidem? scilicet, haec sunt gravia, quae tu ex stultitia tua confinxisti, levia erunt illa alia, quae statuit natura aequo, bono, pio, sancto fulsa et munita.

Qui violatum se ab aliquo arbitratur, hic, quemadmodum est a nobis positum tamquam prudentiae totius caput, de ea re consulere debet ac discernere, quacumque commotione animi liber, et a tempestatibus sedatus, alioqui prave ut de omnibus statuatur est necesse, augente omnia tumore tempestatum, nihilque in statu et magnitudine sua naturali relincente; quod si affectus continuo, ut solet, exurgat, et invocatus atque inexpectatus irrumpat et invadat invitos, id tamen crebra meditatione et usu perceptum habere nos et firmum oportet, ut nos sustineamus, nec sinamus ab affectu auferri, moramque actioni demus, ne impetu suo cogitationi et consilio antevertat, ut, praepostero atque inverso rerum ordine, tum demum cogitationi demus locum, quum res est jam peracta, et nos eò progressi, unde integrum non est redire, nec aliquid est consilium et ratio et cogitatio profutura: itaque reputet apud se et externa et interna, quid sibi et suis ultio est commodi allatura, quid incommodi, quanta est illa animorum caecitas, quam rapidus et

præ-

praeceps impetus, quantus egressus ab homine ratione praedito, et degeneratio in feram rationis penitus expertem non posse hominem, quum ad laedendum aut se ulciscendum consurgit, vel brevissimam ab se moram impetrare, dum aestimet, atque expendat, quantum idem ipse damnum est accepturus ex eo ipso damno, quod alteri festinat factum, si non ipse, at ii, quos non minus vel habet, vel certe habere debet, caros quam semetipsum, parentes, patria, fratres, filii, nepotes, cognati, affines, necessarii, cives, denique ipsa religio, quam unam omnium decet unicuique nostrum longe esse carissimam et commendatissimam: hinc post aspectum rerum externarum oculos jam in semetipsum convertat, et in communem conditionem: Platonem, quoties in hominum vitia ac errores incideret, ferunt ex se ipso solitum percontari, *Num et ego sum talis?* Quod si ipse in eisdem peccaret, turpe existimabat non se eo vitio purgare, quod in alio deforme esse arbitraretur, potius quam alteri illi succensere: *Quis ferat furem alienis furtis vehementer offendi, et latronem in latrocinia animadvertere?* Diogenes Cynicus, quum coenosis pedibus strata Platonis triclinia calcaret, rogatus quid ageret, *Calco*, inquit, *Platonis fastum;* At, inquit Plato, *calcas hunc fastum meum, sed fastu tuo.*

Quoties id nobis usu venit in vita, ut fastum calcemus fastu, et alienam iracundiam velimus cohibere nostra, et quae sunt per immodicum animi fervorem peccata, nos alio animorum fervore puniamus? Quale est te eam veniam aliis negare, quam toties habes petendam? aut, ut vitia diligenter occultaris, certe venia indiges, si non ab aliis, quia flagitiorum tuorum sunt ignari, utique a tua ipsius conscientia, quae omnia intuetur; sed non eadem in te crimina admittis; at non dissimilia, et forsitan graviora; nam sunt, qui in sua tantum praesentia intuentur, ut si non id ipsum, quod alii, delinquant, pro innocentissimis haberi se ac inculpatissimis postulent, etiam si alia singulis horis sexcenta flagitia et scelera designent; sed in hoc sibi humana superbia mirifice indulget, ad alios severa et rigida, ut vulnera quae ipsi facimus, punctiunculas existimemus; si aliis nos pungant, vulnera esse censeamus, deorum atque

Consideratio sui in injuria.

hominum fidem exclamantes; nostra convicia leves jocos, aliorum jocos non ferendas contumelias, et dignas animadversione novi exempli; quod potissimum habent homines dicaces, ut ipsi in alios, quæcunque visum est dicta, libere dicant, idque impune sibi esse æquum existiment, ipsi dictorum et jocosum impatientissimi; nam si quis eos vel levissime perstringat, ita excandescunt, tamquam fortunæ sint omnes, et caput impetiturum; ita, nullos videas crebrius irasci, nec acerbius, quàm qui aliis materiam et occasionem præbent excandescendi; nec alii majores edunt turbas, quàm ii a quibus initium turbæ est exortum: peccamus omnes, erramus, labimur, delinquimus alii in aliis, nemo non in aliquo; ignoscamus invicem in culpa communi, immo vero ignoscat quisque aliis in culpa, persæpe sua ipsius, non illorum: quod si quis altius est in gradibus sapientiæ ac judicii provectus, ut aliorum hominum errores videat, et ipse minus quam alii delinquat, et quid aliis indignatur, quod non idem præsent, qui non idem sunt facultatis ad bene sentiendum ac vivendum consecuti? et vin tu tantundem illum efficere, qui non tantum possit? Is vero graviter est castigandus qui tam parum præstat, quum tam multum sit nactus.

M. Cato Censorius vocem sæpenumero emittebat plenam fiducia sui, quam ei non arrogantia dictabat, sed rectissima conscientia: *Oportere aliis veniam dari, si peccassent, sibi non item, nam in illis quæ deliquissent, vel inscitia, vel impotentia affectuum, deberent videri imputanda in quorum potestate adhuc essent, se vero si peccasset, malitia esse, non ignorantia, aut animi concitati*: idem, quum in victoria, fugientium hostium tergo instaret, et ex cæsis quendam cum opulenta præda jacentem vidisset, sequenti se dixit armigero; *Tu hunc spolia, qui non es Cato*; videlicet, non rebarur idem sapienti Catoni licere, quod cuilibet militum; magnas compedes injecerat ei studium probitatis, quibus alii propter ignorantiam et corruptos mores erant soluti, sed ita soluti, quemadmodum qui vivunt sine legibus, ignorantia humani juris, ut quantum ab stultitia vir sapiens solvitur, tantum a sapientia colligetur: et Ecquid potest dici dulcius aut felicius, quàm ignorantia vinculis liberari, vinciri sapientia? et quàm li-

ben-

benter hisce nodis innecterer, ut illo ergastulo liberarer stultitiæ? Quocirca studiosus ille sapientiæ, jam deinceps plus a se exigat, et quia plus potest, et ut in arte cui se addixit, dedicavitque, exerceat; majores illi quotidie in ea fiant progressus, quo se altius a solo et a vulgaribus sensibus sustollet ac vindicabit; tum rursus acutius eam intuebitur, quam nos sedulo ante oculos propositam habere convenit, hominum naturam; videbit animal infirmum ac mutabile, et quam veniam haberet aut ægris, aut pueris, aut fatuis, eandem cuivis hominum concedat; et quibus enim aliis humanæ omnes societates constant, quàm ignorantia pueris, stultitia fatuis, potentia invalidis ac infirmis? unde ea sunt omnia, ob quæ indignamur, et quas injurias nominamus, videlicet, vel ex ignorantia eorum qui et faciunt injuriam, et qui se dicunt accipere; alii nec tantum assequuntur, ut quid sit injuria intelligant, quid alteri nocere, quid sibi; ita, dum se alios credunt lædere, sibi potius quàm aliis officunt; alii minus habent virium, quàm ut animum effrænem, et imperu se aliquo irruentem, continere possint ac sistere, ut qui se per pronum dejecerunt; qua ex infirmitate impotentes nominantur; est in iis cui ætas nondum attulit justum robur, ut puero; est cui robur exclusit imperitia; est quem enervarunt deliciae, quales sunt locupletes, et homines fortunæ favore in pejus reflecti; alium inflavit vanum potentia nomen; alium rupit indignatio; alium contudit desperatio, et confregit: hæc damna, per humanum genus vagantia, homines, ut malos efficiunt, ita etiam miserabiles, dum grandi ac forti testudine quatiuntur muri tam fragiles et caduci.

CAPUT IX.

DE DIGNITATE ET OFFICIO SAPIENTIS.

QUOD si cui in ascensu ad sapientiæ fastigium multum est profectum, quàm pulchra et magnifica erit hujusmodi persona sapientis? et quàm velut imago quædam Numinis expressissima inter homines versabitur? et quantum illi gaudium quum se con-

Persona sapientis.

Mmm 2

tem-

templabitur a violentis dominis, ut Sophocles inquit, *liberatum assertumque*, nempe animi affectionibus et morbis, sævissimis tyrannis, qui non solum ipsi, in quemcunque animum invaserint, importunissimum exercent dominatum, verum etiam efficiunt ut is ipse animus tyrannidem in alios affectet, et quatenus possit exercent, simul (quo nihil est monstrosius) gravissimus dominus et servus abjectissimus? Hinc videbit se errores illos jam elapsam ac eluctatum, inter quos alii adhuc cum præsentissimo discrimine tamquam inter rupes asperrimas in magnis tempestatibus conflictentur; intuebitur sub se alios misere circa res inanissimas laborantes et anxios, ipse, sicut Statius inquit, (1)

—*Celsa mentis ab arce*

Despicit errantes, humanaque gaudia ridet:

in se vero reductus et ceteris altior, tantum ab eorum curis ac cogitationibus distabit, quantum videns a cæco, sanus ab ægro, nec aliter gaudebit, quam ex servitute postliminio quodam reversus in patriam, aut primis illis verisque naturæ natalibus ingenti aliquo beneficio restitutus, nec magis aliis indignabitur ac succensebit, quam, ope aliqua Dei ex tempestate in portum adductus, iis qui adhuc in mediis fluctibus vi ventorum ac maris jactantur, itaque miserebitur, adjuvabit, quacunq̄ poterit ope, opera, votis.

Quis enim naufragus astans jam in littore, et alios in undis adhuc cernens agitari, illos vel pede, vel contis introitus retrudit, et non potius ipse, aliquousque in ipsum mare ingressus, quantum ei salvo capite licet, manuprehendit ut in siccum trahat, aut tabulas et perlicas porrigit, quibus innixi ad eandem perveniant salutem, in qua se ipse jam constitutum esse lætatur? Ita vir hic sapiens ascendentes non derudet pede, non cubito, quid enim alienum est magis a sapientia, et probitate, quam invidentia, quam livor? Sed iis porriget manum, et gradum fulciet, et quatenus incolumi sapientia licebit, se demittet, ut alios eodem perducat, quod ipse jam pervenit; in quo

(1) Papini Statii. Sylvarum. lib. 2. Carin. 2. vers. 131.

quo statu animi sui, quem rectissimo et firmo judicio approbarit, uti se conservet quantamcunque poterit operam ponet, nec quidquam existimabit accidere sibi miserabilius posse, quam tanto ex fastigio deturbari, et ex quietissimo portu in tempestuosissimum oceanum retroagi: quamquam difficile factum est, ut qui semel beatitudinis illius gustum cepertint, ad sordes et acerbitates pristinas ullo impulsu relabantur; primum enim, tranquillitas in illa animi sublimitate erit, et pax, et æquabilitas, tanta, quanta est in excelsis illis rebus, et hunc turbulentum aërem excedentibus; nam quo quæque res est altior, minus ad eam penetrant et pertingunt hi motus, quibus inferiora hæc continenter percelluntur; quanta est in cælis ordinis constantia, ut omnes definita lege per ævum decurrant, nec ulla sit tot seculis varietas, aut perturbatio, sed placida semper tranquillitate cursus ac conversiones suas conficiant! (1)

Quo res est,
altior, ea
pacatior.

—*Cælestia semper*

Inconcussa suo volvuntur sidera mundo;

Fulminibus propior terræ succenditur aër,

Imaque telluris ventos tractusque coruscus

Flammaram accipiunt; nubes excedit olympus

Lege Deum; minimas rerum discordia turbat;

Pacem summa tenent.

Quid est Deo stabilius aut firmitus, qui in sancta illa sua Majestate immutabilis, moderatur admirabili sapientia mundum universum! et sapientis hominis mens, tamquam terrestre quoddam numen felicissimum, altior est motibus atque agitationibus, quibus expositi sunt atque obnoxii sensus hominum rudiorum, effictorque divinæ illius naturæ ac æmulus, non aliter injuriam sibi posse fieri arbitratur, quam Deo, cui nihil potest suum adimi; ita, ille, qui sua bona omnia in se uno posita esse ducit, *semper sua secum circumfert*, ut Philosophum illum Græciæ ferunt respondisse, quæ ejus sunt generis, ut illis nec injici

ma-

(1) Lucanus pharsal. lib. 2. vers. 268.

manus possint, nec noceri; quò animo, qua fiducia Socrates, quam securus sui, *Me*, inquit, *occidere Anytus et Melitus possunt, ledere non possunt*! Nec est aliud certius magnitudinis argumentum, quam vulgaribus istis non permoveri, tamquam altius se sustulisse, quam quò se erigant ac perveniant ea, quæ semper circum humum repunt, turbulenta, varia, iniqua, inconstantia: *Doctrina viri*, inquit Hebræus Sapiens, *per patientiam noscitur, et gloria ejus, iniqua prætergredi*: Quid vel ad insipientes admirabilius, vel ad usum vitæ dulcius ac beatius, quam ejusmodi quies, tam æquabilis, et perpetua, cujus pulchritudo et felicitas, quum ex se ipsa intelligitur, ordine, constantia, firmitate quadam cum alacritate et lætitia, tum ex contrarii motus agitationibus, tormentis, et perspicua miseria? In ea igitur vir sapiens, ubi collocatum se viderit, omnem navabit operam ut sistat et confirmet iis cogitationibus, quas superius dixi, atque illa rerum omnium expansione, ut non amplius cuique tribuat, quam illa est, et a bene judicantibus censeatur, se vero, quantum facere atque eniti poterit, munit undique, et consepit, ne quid eò pervadat, quod sublimem illam tranquillitatem interpellet, id est, ne ex felicitate, et ceu divina quadam vita, in pristinas hominum miseras retrahatur; ita erit paratus, et eo se loci constituet, ut altior sit quam ut illuc penetrare possint humilia hæc in humanis rebus volitantia jacula, et insultantia capitibus hominum pumilorum; tum etiam armatior erit, quam ut penetrent etiam si pertingant, ut sit quod præclare Tertullianus dicit: *Faculum in virum fortem missum, redit ad mittentem*; et quum ideo te lædit ut doleas, si non doles; fructum ille injuriæ amisit; ita, tu abibis illæsus, et delectatus adversarii tui dolore.

Qui in aliquem dicit, dolet se dictum perdidisse quòd non intelligatur; quanto magis perdit, si intelligatur, non tamen quo mittebatur, hæreat! nam illic dictum est neglectum, quia non intellectum; hic vero et dictum et dicens ipse negliguntur, seu contemnuntur verius; mollia oportet esse et multo tenerri-
ma, quæ levi aura verbi agitantur, quæ ablationem rei, quæ nos non attingit, sentiunt, ut flocci, et stipulæ, quæ ex subito

com-

commoventur, vel si quis assurgat, aut vestem moveat, volitant: Quid illa, non assurgere, non nudare caput, sic aut sic salutare, hoc aut illo loco recipi, et alia quæ hujusmodi sunt, ut quum leges et jura civitatum, concordia civium maximo-
pere consultum voluerint, negligenda tamen duxerint, tamquam vel minora, quam quæ possent cernere, vel leviora quam pro sua cura? Ergo aliquis adeo erit delicatus et tener, iisce ut conturbetur ac permoveatur morbis, quos propter eorum tenuitatem medicina contempserit, ac præterierit, indignaque judicabit, de quorum sanatione vel verbum unum perderet! Majus est robur sapientiæ, quam ut tam exiguis et levissimis cedat impulsibus; Socrati, Platoni, Diogeni, et aliis philosophis, non solum in his leviculis atque inanibus, verum et illis rebus quas vulgus pro intolerandis habet injuriis, quies et tranquillitas superpetit, etiam usque ad hilaritatem, ut in ea illi jocarentur et luderent, quæ alii per discrimen orbis totius ducunt vindicanda: usque adeo non tantum levia esse censebant ut negligenter, sed humilia ut contemnerent, inepta et puerilia ut riderent; scilicet, tectus ille tanto clypeo sapientiæ, exit in vitam, et hominum cœtus, tamquam in magnam quandam et confertam turbam, vel in navem vectoribus plenam, agitantem, et concussam undis, et flatibus ventorum, in qua non oportet irasci eum, si impellatur, si pede, si cubito pulsetur, si aspergatur unda, si pervomatur a vectore proximo; loco et tempestati sunt illa imputanda, non hominibus, qui eo tempore aliud vel nesciunt agere, quia non didicerunt, vel non possunt, quia in aliena sunt potestate, non in sua.

Sic homo sapiens, quum domo egreditur, immo vero domi quoque, et in lecto suo, scit se inter superbos versari, ut ferenda sint ei insolentia, fastus, injuriæ; inter iracundos, ut clamores, et convicia, atque etiam plagæ; inter invidos, ut obtretractio, et malevolentia argumenta, et virus illud pectoris, ac linguæ; inter dicaces, ut dicta, et aculei, et scurrilis procacitas; inter rapaces, ut furta; inter rudes, ut inertia; inter ineptos, ut molestia, et putida vel facta, vel dicta; inter insipientes, ut stulticia; inter hebetes tardosque, ut torpor, ac socordia;

de-

Quomodo
sapiens erit
in vitam.

denique in omni genere vitii, stultitiæ, imprudentiæ, quibus omnibus non est aliter ignoscendum, quàm affectis in magno aliquo valetudinario jacentibus: et quum præsciis sit, se omnia hæc reperturum, visurum, experturum, nihil tamquam novum admirabitur, unde animo sollicitari possit, aut angere: dabit quidem operam et elaborabit, ut sanet, si quos possit; sed ita, ne dum eos curare studet, ipse in illum ipsum eorum morbum incidat; miserabitur illorum sortem, et affectus extra prospectabunt, non se introrsus reflectent; neque enim sua dolebit caussa, non incendetur, non vociferabitur, non indignabitur, non feriet tamquam ipse indigna passus, quæ omnia judicabit esse ab illa sua tam præclara, tamque magnifica persona, multo alienissima; nec ullam existimabit esse causam tantam, propter quam ad hæc impellatur, ut tanto ex culmine descendat: C. Cæsar dictator resistenti voluntati suæ Metello Tribuno plebis: *Nunquam efficies*, inquit, *ut iram Cæsaris mereare*: O vocem veræ magnitudinis in falsâ! Ergo Cæsar, quòd, Pompejo ex Italia profligato, armatas in urbem legiones induxerat, tantum ascendisse se credet ut potentiâ inferiores indignos ira sua censeat, sapiens hic, qui altius vulgari hominum fastigio per sapientiæ gradus est evectus, non idem verius atque efficacius existimabit, quem ad culmen rerum humanarum non signa et armatæ latronum cohortes, sed virtus Deo simillima sustulerit?

Dictum Cæsaris.

Atqui illam ipsam ingentis animi vocem magis ipsi Cæsari congruere arbitraretur, postquam victor, armis positis, et republica constituta, clementia et beneficiis superasset quos prius armis et exercitu; tum demum Princeps in sua civitate justitiâ, et moderatione, regens, ac temperans se ipsum et reliqua omnia, dicat suis civibus, *Iram Cæsaris non merebimini*, non quòd indignum ducat unius hominis sanguine contaminari legiones adversus Pompejum, et Senatum, et maximam civium partem, in Italiam traductas, sed quòd indignum sit irasci sanum ægris, valentem invalidis, sapientem stultis, eum qui ratione, qui iudicio regitur, iis qui se totos animi concitatis affectionibus permiserunt; nam si quem ea magnitudine decet reliquos antecellere, profecto eum esse Principem oportet; alioqui, quomodo

vel

vel equum, vel bovem, vel navem reget, qui non plus habeat mentis, et iudicii, hoc est, facultatis ad regendum, quàm bos, vel equus, vel etiam malus, aut codex aliquis navis?

CAPUT X.

QUAE PRINCIPEM CURARE DECEAT, et quantum Principem ac Virum sapientem intersit; perfecta nulla sapientia nisi a Christo.

ILLA demum est magnitudo vera Principis, melius de rebus statuere quàm vulgus, et primum omnium se ipsum moderari, qui tot millia habet in sua potestate: ex hac magnitudine non facile dejiciet se aut descendet Princeps ira et discordia cum aliis, ne se in ordinem redigat, et privatum reddat ex Principe; nam facit se adversarium qui contendit, et ut vinceret, par fuit. Quid est porro aliud verus Princeps, quàm vir sapiens cum publica potestate? ita ut inter Principem et sapientem in potestate erga alios quidem fortassis aliquantulum, in iudicio vero ratione, mente, consilio, voluntate nihil intersit; et hoc præstat homini in homines sapientia, quod homini in bestias ratio, ut quemadmodum per rationem vitatur belluarum impetus, domatur contumacia, cicuratur feritas, ita per sapientiam facile et tuto versetur quivis in tanta vitiorum importunitate et immanitate scelerum.

Principis
magnitudo.

Qui infirmus est, cui nihil accessit roboris ex sapientia, si ea consideret, quæ quotidie in humano genere designantur, silvas forsitan et solitudines tamquam perfugium tot malorum quarat; sapiens vero et constans, nec violentiam scelerum reformidat, nec turbæ in se incurrentis ictus sentit, nec contagia conversationum timet, nec iter suum ad eos aditus flectit, quos ipsa præbet turba circumstans et premens (neque enim aut dicentibus, aut irascentibus, aut minantibus, aut quo alio morbo percitis se accommodat) ut ea flectat modos actionis suæ, quod est quum infinitum, tum vero hominum anxie ac miserime

Tom. V.

Nnn

vi-

viventium; subinde enim ex transverso existit, et in nos fertur, qui nos a proposito dimoveat, et qui proximo relicto, servire sibi nos cogat; quòd si spectet et sequatur sapiens, nihil illi esse unquam poterit statutum de virtute; et fit, ut dum inserti cupis uni, et unius offensionem vitas, offendas duos, sæpe etiam plures, atque adeo illum eundem cui te vendicabas: quamobrem magnus ille vir, in quietam jam et tranquillam sapientiam compositus, electa semel virtutis et sapientiæ via, eam tenebit perpetuo rectam et simplicem; si in ea sint semitæ, qua ingrediatur commodius, malet ambulare per siccum, quàm per ccenum, et planam eliget relicta saxosa, et in ea non incurret ultro in venientem ex adverso, sed cedit de semita quamlibet commoda, perque lutum iter faciet et lamas, modo ne extra viam, ut non illum aut offendat, aut ledat; quòd si ille ita se opponat, ut, si nolit eum detrudere atque amoliri, omnino sit ei de via egrediendum, non curabit offensiones aliorum, culpam enim esse sibi præstandam sciet, non casum; et tam procul ab hominum erroribus sublatus, indignum loco illo et magnitudine fecerit, si aurem demiserit ut istas voces humiles audiat, et leves ac inanes colligat rumores; nec unquam pluris iudicium aliorum faciet, quàm suum, quid de se alii sentiant minime sollicitus, conscientia mentis suæ acquiescet: An non absurdissimum est, valentem, nec credere nec curare ægri iudicium de saporibus, pictorem, populi de imaginibus, musicum, de carmine et concentu; sapientem vero sollicitum esse quid de sapientia stultus sentiat? Et quandoquidem conscientiam suam vir sapiens videt optime de vita et omnibus actionibus arbitrari atque statuere, illa erit una contentus, plurisque illius vocem ac testimonium æstimabit, quàm amplissimum theatrum refertum stultitia opificum, et turbæ popularis, quam non distinguo censu aut vestibus, sed iudicio et sententia de rebus.

Quapropter per omnia vagatus tantus vir, et assecutus quæ sit hominum cogitatio, qui sensus de vita, quàm inique de rebus iudicent, quàm maligne optima interpretentur, quàm mala ex suo quisque affectu, denique quid possint hæ voces laudantium

Sapientiæ via
quomodo tenenda.

Conscientia
sapientis.

tium aut vituperantium, unde profectæ, quo pertineant ac pertingant, gloriam et sermones hominum non pluris apud se faciet, quàm voces psittacorum, qui quæ non intelligunt, loquuntur, aut reddunt quæ ab aliis acceperunt; et, quod ad veram sublimitatem magnitudinemque unum deerat, depositis nugis et levitatibus nostrorum errorum, ad postremum gloriam quoque abjiciet, et pro nihilo ducet; ita perfunctus externo omni bello, a nullo extrinsecus hoste amplius impetetur ac infestabitur; tum vacabit illi curas omnes ab externis ad interna convertere, et civilem acerbissimam discordiam, quam in pectore suo semper secum circumfert, quo pacto mitiget, et componat, quærere; nam ne putet devictis externis hostibus debellatum sibi esse; alii restant domi superandi, multo quàm illi externi aciores atque immaniores, qui affixi hærent visceribus, nunquam nos relinquunt, semper occasionibus suis intenti atque imminentes; immo vero occasiones ipsi sibi faciunt, et undecunque arripiunt; modo aperta ruunt pugna, modo agunt cuniculos quæ se insinuent, modo conglobati justa acie decernunt et quasi collatis signis, interdum singuli, aut manus aliqua, excursions facit, nullæ induciæ, nulla intercessatio, nulla quies, aut certe multo brevissima: et iidem, ubi coegerunt totam civitatem tumultuari, prouunt se foras, atque externum bellum suscitant e civili: hi sunt ignoratio, imprudentia, affectuum tyrannis, et rebellio vitiorum, et scelerum sordes atque spurcicia, morborum dolores, corporis imbecillitas, et tot necessitates, curæ, sollicitudines parandi res eas quæ vitæ sunt non modo in diem necessariæ, sed in horas etiam: O miserum hominem! domi hostes hos habes, et alios foris quæris quibuscum pugnes? num non isti satis tibi negotii exhibent duri, acerbi, perpetui, ut alios tibi vacet curare, et ulcisci? ceu quis peste ictus, civitatem circumeat chirurgum requirens, qui malagma, vel epispasticum, adhibeat rediviæ.

Contra hos ergo vires omnes sapientiæ advocabit; nam et robur paci reipublicæ circumdabit, id est, quieti animi, ne possit illorum motibus ac tumultibus perturbari, et moderatione illos sepiet, ne se effundant foras ad vicinas et socias civitates,

Gloria præsertim exuenda.

Hostes interni.

hoc est, ne homines lædant quos minime omnium oportet læsos, nempe conjunctos nobiscum, et confœderatos naturæ et Dei vinculis, pactisque; tum prudentia ac consilio domabit ac leniet præfervidos illos ac feroces ut iram, et excitabit segnes ut hanc corporis nostri molem, vel retundet pertinaces ut superbiam ac invidiam, erudiet imperitos ut ignorantiam, denique dabit operam ut alios, quos expellere nulla poterit ratione, velut necessitates et infirmitatem corporis, commodos quieti ac justitiæ suæ reddat; quoscunque autem possit, vel tollat ut invidiam atque arrogantiam, vel quàm longissime arceat et excludat ut iram et segnitiam, et curas anxietatemque corporis tuendi: O quantum habet quisque quod agat domi! ut plane contingat nobis, quod Plutarchus de Lamiis scribit in libro de Curiositate, quæ domi cæcæ nihil cernunt, foris autem oculatæ, et acutæ, omnia: quæris pacem? abs te ordire: quæris bellum? domi habes: Quàm apposite Job hominis vitam quam hic transigimus, militiam nuncupavit! Videsne homo manifestum te de stultitia teneri, quum bello, immo perpetua pugna, quam intra te geris, et a qua in summum quotidie discrimen mitteris, neglecta, alienis te admisces? Huic nostræ orationi audio multorum deplorationes ac quærelas adjunctas, quod victis, profligatis, proditis, deletis prorsus externis hostibus, quum ad intestina dissidia oculos reflectunt, pacemque domi cupiunt constituere, majus subinde inter manus succrescat bellum, his aut illis irritatis, dum alios leniunt, mitigant, comprimunt, coercent: cujus rei exempla sunt crebra in omni genere humanæ philosophiæ, sive quis in Græciæ sapientes intueatur, sive in Romanos, sive in gentes illas, quas Græci barbaras nominabant, Ægyptios, Æthiopes, Chaldæos, Persas, Indos.

Illis enim postquam et hominum voces, et injuriæ, et contumeliæ, et fama, et morbi corporis, et necessitates, et vita ipsa, et omnia quæ pro caris vulgo habentur, erant contempta et superata, intra se in suis ipsorum animis alii a superbia vexabantur, dum omnes tamquam pecudes, ipsi homines, despiciunt, alii constricti tenebantur ignorantia rerum cognitu dignissimarum, aut quas homini turpe est nescire, alii circa res

le-

leviculas magno erant conatu detenti atque occupati, alii semper irati, alii semper mœsti, alii nunquam non læti, alii profusi in risu et cachinnos, et quidem cum irrisu generis humani, alii resoluti in lacrimas et contracti dolore, alii hostes publici hominum, infensi omnibus, et omnes rabie quadam proscedentes, alii vanis somniis territi, alii temeraria confidentia in omnia irruentes, alii mira cæcitate confundentes omnia rerum discrimina, alii nimia subtilitate nihil non discriminantes, alii singulari socordia nihil rati esse Deum, alii ridicula superstitione nihil non esse Deum; quæ omnia etiam pueris sunt nota et decantata; quibus e rebus fiebat, ut dum ab externis veniebant ad interna, rursum hæc illos in externas inimicitias mitterent; ita, nec ulla erat intus pax, nec externa diuturna, et quies illa vitæ magis erat simulatio pacis, quàm pax vera, nam specie videbantur homines non curare, intus vero acriter mordebantur, et qui homines negligebant, etiam oderant: ergo pax erat non ex amore et caritate mutua, sed quod ad injuriarum sensum occaluisse, vel hunc affectum iræ dissimulabant, dum alteri servirent majori, nempe gloriæ, ac superbiæ suæ; quæ si contingebant hominibus sapientiæ studiosis et sectatoribus, immo vero sapientiam ipsam miro omnium favore jam adeptis ac professis, quid oportet usu nobis evenire hominibus de plebe, nec illis ingeniis præditis, nec tanta diligentia ac studio? Ita ut id bellum inevitabile infinitum esse quidam censeant, et victoriam nobis nulla arte aut viribus parabilem, et certamen adeo cum hominum natura et conditione connexum, hostemque ita insuperabilem, ut furori simile videatur victoriam sperare.

Profecto homini, hoc rerum statu, sine divina ope impossibilis est; et veteres illi, sapientiæ studiosi, exiguum quendam lucis radium, quem nemini divina bonitas negavit, procul intuebantur, sed paulum modo si aciem atque intentionem illam cogitationis remisissent, in has tenebras recidebant, quas secum humanus animus malitia contaminatus circumfert, dumque tam longe abesse se a lumine viderent, desperarunt se unquam affecturos ut propius rebus suis admotum opera atque actiones suas

om-

omnes illustraret; itaque ad se reversi, a se ipsis opem petierunt, quum a solo erat lumine sperandum; quapropter mirandum non est illos parum fuisse fortes ad sustinendum illud bellum, quum ab eo peterent suppetias, qui dare non poterat, nempe, quisque a se ipso, ab humana sapientia, id est, ut homini peste saucio prodesset alterius hominis eodem morbo infecti sanies; nam quum remedium corruptæ ac depravatæ humanæ sapientiæ quæreretur, quomodo ab ipsa eadem sapientia, quæ ægrotaret, petebatur? quasi vero in morbo inesset medicina, aut quum invalidus opem posceret, ipse alium jubere-tur adjuvare; ceciderat humana sapientia, et nos illius manus spectabamus ut attolleremur; idcirco quod tantopere concupierant, non sunt consecuti, quippe qui tamquam a pumice aquam requirerent, et salutarem liquorem a fonte corruptissimo. Nobis vero, qui non ignoramus unde sit subsidium accersendum, facilius erit externo bello perfunctis internum et gerere et conficere, quæque homini sunt impossibilia, fient nobis possibilia in Deo per Christum: Quam juvat me ecclesiæ totius nomine post illam querimoniam, *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus*, cum Paulo exultantem exclamare! *Gratia Dei per Jesum Christum*: nam quod impossibile erat Legi, in quo infirmabatur per carnem, Deus Filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, de peccato damnavit peccatum in carne: primum omnium, sapientiam illam qualemcunque, de qua sum locutus, quantum in nobis erit, confirmabimus, et usu ac consuefactione dabimus operam, quo firmas in nostris pectoribus radices agat, ceu gradum ad excelsam illam et perfectam, cum altius erit unicuique ascendendum, nempe cæco ad videntem, stulto ad sapientem, ignaro atque improvido ad scientem et providum, lapsa ad stantem, corrupto ad incorruptum; quod si humana fecisset sapientia, profecto quò tantopere cupiebat, pervenisset.

Id quod tandem Socrates moriens utcunque intellexit, quem admodum multis est verbis a Platone explicatum in Phædone, ubi vir ille, consensu atque opinione Græciæ sapiens, discipulos suos e vita migraturus hortatur ut sapientiam, quam tan-

to-

topere expetierunt, a solo Deo accepturos se sperent, non ab hominibus, longe sanctius sublimiusque apud caros sibi homines verba jam faciens, quàm fecerat ad rudem judicum populique Atheniensis multitudinem: ergo primum omnium veniet in mentem huic nostro, qui ad meliorem sapientiam informatur, sanctæ illius et admirabilis Dei majestatis, cujus respectus in humanis pectoribus motus illos subitos, et legi ac rationi parum obtemperantes, coercebit, vinciet, reddetque tranquilla omnia et serena, et efficiet ut cum hominibus concorditer vivamus, non quasi cum canibus aut felibus ex contemptu, sed tamquam cum paribus et simillimis ex caritate; nam in illo auctore rerum omnium, quum alia intuebatur magna et præstantissima, tum illud quòd incredibili sapientia et æquitate mundo præstet, et occulto suo consilio singulis ea distribuit, quæ videt cuique maxime conducere; nec esse aliam credet in rebus fortunam, non alium casum, non fatum, non Parcas, non necessitatem, non Adrastiam, non Nemesim, et alia quæ vetustas imperita in illa cæcitate ac nocte ex iis quæ videbat confinxit, quum causas ignoraret, illa omnia esse Deum unum, easque appellationes ex operibus sortiri, quemadmodum etiam est a nonnullis gentilium proditum, Seneca Stoico ex placitis sectæ, et Aristotele Peripatetico.

Sancti viri, divinæ naturæ et intelligentia et amore conjunctissimi, gravia atque acerba perpessi in hac vita, nunquam de fortuna, nunquam de casu, aut fato sunt questi; ad Deum lacrimas et querelas omnes converterunt, illum ubi nominassent, fortunam se et fatum et reliqua ab ignoratione vulgi distincta inter se ac separata comprehendisse existimabant, cujusmodi, ut exemplo dicam, fuerunt Job, David, Thobias, in quorum querimoniis, plurima quum sensissent adversa, nunquam est vel fortunæ nomen auditum, vel fati, semper Dei omnia et potentis, et videntis, et dispensantis: casus ergo humanos moderatius feremus, quum persuasum habuerimus ab illo administrari et proficisci omnia, illum ad sua opera nullius ministerio indigere, multorum uti, alias cœlorum ac siderum, alias elementorum, alias hominum, quos Petrus *ministros* justitiæ Dei

Dei consideratio.

fa-

Gratia Dei
per Jesum
Christum.

facit, quum dicit Principes a Deo missos *ad vindictam malorum, laudem vero bonorum*: et Dominus noster ad tribunal Pilati adductus, id est, iudex ad tribunal rei sui, docet humanum genus hominibus in homines vel ad lædendum, vel ad iuvandum, vires divinitus dari, non a se ipsis: Quis porro ministris irascitur, et non illi, a quo iussi aliquid faciunt? Quòd si Deo irasci grande est nefas, an non etiam nefas erit Dei ministris succensere, quos ille aliquod obire munus iusserit? et si omnia inter homines iudicio sunt et æquitate illa divina distributa, quis potest sine scelere id invidere alteri, quod illi munere ac beneficio Dei obvenerit? qui prætorem aliquem, ab Imperatore factum, indignum dicit prætura, an non is Imperatoris iudicium reprehendit? Magnæ injiciuntur per has cogitationes invidiæ ac iræ compedes, non extrinsecus, ut a legibus per minas pœnarum, sed intrinsecus, earum causis atque originibus extenuatis ac prope extinctis, etiam revulsis radicibus et fibris; vincientur quoque celeres et promptæ manus, quum reputarit esse illum non remuneratorem solum ac iudicem, sed eum qui sibi iudicium velit omnium relinquere, precium, æstimationem vel recte factorum, vel secus.

CAPUT XI.

*NI PASSIONES COHIBEANTUR NEC
servare in agendo modum possumus, nec ullus
erit rixarum et discordiarum finis.*

Dei est iudicium omnium. **I**Ta convenit ineffabili justitiæ, ut omnia sint æqua et certa, nam nos quàm raro non fallimur, dum de injuria iudicamus? hos error popularis et recepta persuasio seducit, illos concitatus affectus, et ob oculos mentis offusus, ut omnia videantur majora spectanti quàm re ipsa sint, non aliter quàm iis qui per nebulam intuentur; est enim ira, sanguinis circa cor ebullitio unde fumus per cerebrum diffunditur, ut irato jam non ex vero species rerum animo obversentur, sed ex concitationis violentia, quod et in omni alia perturbatione usu venit: ergo ip-

ipse quum de te non iudices, vis alium iudicare? postulas ut habeas alium in tua potestate, qui te non habes? Olim viri quidam de studiis sapientiæ clari, quum servis suis essent irati, sumere de illis supplicium supersederunt quòd metuerent ne non pro ratione id facerent, sed pro animo commoto ac perturbato, nec iudicium esset norma actionis, sed dolor et acerbitas animi ex sua sede ac potestate egressi: *Cæde tu, o Speusippe*, inquit Plato, *præsum hoc mancipium, nam ego irascor*: et Architas Tarentinus villico: *Quàm te duris modis acciperem, ni essem iratus!* Idem ille Plato, quum ipse sibi vir illis in sapientia progressibus fidem derogasset, nec animo tantum crederet quantum ille sævus ac furens flagitabat, quanto duxit indignius alieno morbo servire, et aliis quod affectus dictasset narrantibus, plus habere fidei, quos sciebat non minus et posse falli quàm se ipsum, et solere referam ejus factum Valerii Maximi verbis: *Audierat Xenocratem multa de se impie locutum, et sine ulla cunctatione criminationem respuit; instabat certo vultu iudex, quærens causam: cur sibi fides non haberetur? adjecit, non esse credibile, ut quem tantopere amaret, ab eo invicem non diligeretur; postremo, quum ad iusjurandum inimici asserentis malignitas confugisset, ne de perjurio ejus disputaretur, affirmavit nunquam Xenocratem illa dicturum fuisse, nisi ea dici sibi expedire iudicasset:* Quàm acute inspexit homo prudens, posse eum falli qui referat, solere falli, velle fallere, adduci huc non amicitia et amore nostri, sed odio ac malevolentia ejus de quo aliquid narret, sed cupiditate suarum utilitatum, quòd se aliquid adepturum speret si fidem sit nactus! Nos vero, inter hæc omnia, pravissima cæcitate, et stultissima animi libidine, *quæ inviti audimus, libenter credimus*, ut inquit Seneca.

Sed nec humanas leges vir hic pius, et uni Deo innixus, ad vindictam implorabit; quid illi, qui solà fidit ope Dei, cum humana ope, et cum legibus, quæ sunt alioqui non raro iniquæ, nempe ab iniquis hominibus latæ et acceptæ, et iis quos in eis sanciendo rexit magis animi libido, quàm rectum iudicium? et alii aliter de rebus sentiunt: sunt, quibus qualecunque furtum morte videatur esse dignum, ut Draconi; sunt,

Tom. V.

Ooo

qui

Humanae leges.

qui rem esse putent risu magis quàm animadversione dignam, ut Lacedæmoniis, et Ægyptiis; adulteriis alibi pœna proposita est, et quidem capitalis, ea ipsa alibi sunt impunita: jam, qui leges exercent Magistratus, qui ea de causa leges loquentes nominantur, adducuntur magis affectu aliquo, quàm jure aut bono, alii periculo territi, alii spe deliniti, alii mercede corrupti, alii odio tumentes, alii amicitia, favore, gratia impulsivi, torquent leges, et deflectunt ab æquitate ad obsequium animi; ita medicinam in venena noxia convertunt, et quod paratum erat ad cohibendos animi temerarios affectus, ipsi eo illo abutuntur ut suis servire affectibus cogant; accedunt patroni et advocati, qui rectam, et religionis custodientem judicis mentem, dicendo et arte captam ab æquitate ad suas utilitates devocent: Quid, quòd vir pius, de quo jam dudum loquimur, nihil faciet tanti, ut eam ob rem et suam et socii sui quietem litibus defatiget ac vexet, et de caritate illa aliquid detrahat, ac diminuat? Quid enim ducet esse tantum, ut anteponendum censeat vel quieti animi sui, vel illi caritati, quam humano generi adeo exacte Deus commendavit? An ille vel rumores, vel verba, vel pecuniam, vel vestem, vel etiam suum ipsius corpus, pluris quàm animam æstimabit? quid est quod comparari possit menti? Non est in mundo majus aliquid homine, nec in homine majus aliquid mente: *Quid commutabit domo cum anima sua?* inquit ille cœlestis sapientiæ Magister.

Itaque, forenses hasce actiones ridebit tamquam pueriles, et pueris aut mulierculis inventas ac paratas, non sibi, qui pietate jam adolevit, et ad robustam constantemque ætatem pervenit; qui pueri sunt adhuc, et umbris moventur, nec vera intelligunt rerum precia, si mensura legis indigent, tamquam publicã, quandoquidem nullam suam habent; qui vero mensuram, et normam habent rerum omnium Deum, et conscientiam mentis suæ, quam illi uni se student approbare, iis leges supervacaneæ sunt, nec aliter eas rident atque aspernantur, quàm viri puerorum pacta et conditiones in lusibus, quæ pueri miram gravitate ac cura constituunt, et observant: Quantopere destomachatur Paulus lites esse inter christianos, hoc est, homines

præs-

præstantes et ex perfecta illa nota! hujus doctrinam sequuti veteres illi Patres, forum et lites christianæ magnitudini atque excellentiæ turpes et devitandas duxerunt, ut Tertullianus, Ambrosius, Lactantius, et prisca illa ecclesia: Quid Paulos, quid Petros commemoro? quid sincerum illum et divinum populum? Quàm se Socrates, Plato, Xenocrates, et alii ex seculo sapientes, male feriatos existimassent, si diem illis dixissent, a quibus injuriis aut incommodis erant adfecti! hoc ergo præstitit gentilis in tenebris humi abiectus, cæcus et ignarus veri, non præstabit christianus in claritate, in luce hac, in hoc fulgore, in rerum omnium certissima cognitione atque intelligentia? cujus vita cœlitus pendet, qui illuc tendit, illuc aspirat, nec aliter corpus hoc intuetur quàm ergastulum animi, nec vitam aliter quàm exilium, ut nihil esse censeat quo facilius compos votorum omnium reddatur, quàm hinc quàm celerrime revolare ad patriam et patrem suum, et quemadmodum optat Paulus, *dissolvi jam tandem, et esse cum Christo*, tu hunc ita affectum, ita expeditum ad profectionem, ita festinantem, respecturum putas nugas, et impedimentis se se itineris intricaturum; ut dum illa curat, serius perveniat quò intendit? Quòd si jure non agit, si non repetit, non persequitur ea de quibus formula est a legibus constituta, an illa sentiet, quæ usque adeo sunt minuta et tenuia, ut curam legum atque aciem effugerint? verbum non honoris plenum, non assurgere, non recipi loco honestissimo, quæ ita sunt levia atque exilia, ut oporteat animum esse inermem nudumque ad quem hæc perveniant, et tenerrimum quem hæc commoveant?

Age vero quid petimus? ultione reponere injuriam ei qui fecit? Atqui animus est, qui solus facit injuriam, ad quem solum homo pertinere ac penetrare non potest, neque cognitione, neque vindicta, neque enim est injuria, si animus a lædendi voluntate abfuit: nos vero animum ex actionibus interpretamur, in quo judicio sæpissime fallimur, quum facta et dicta aliorum rapimus, quàm ille, qui fecit quid, aut dixit; multi simplicius aut inconsideratius vel egerunt aliquid, vel sunt elocuti; alii non rati sunt esse injuriam, aut id quo quis posset

Animus facit injuriam.

offendi; et is loquendi aut agendi mos, qui tibi injuriæ est et contumeliæ plenus, illis est comis ac civilis educationis; alii non ignorant esse rem subasperam, sed animus illis non fuit nec contemnendi, nec lædendi, tantum id sunt ausi, freti bonitate nostra et mansuetudine, denique suos fines habuerunt alienissimos ac remotissimos a contumelia nostri, ab injuria, a lædendo; jam vero, nos pro animo nocemus pecuniæ, agris, pecoribus, possessionibus, denique corpori, et, quod est omnium iniquissimum, hominibus, nempe servis, filiis, uxori, amicis, subditis, insontibus atque innoxiiis pro nocente, quæ etiam postquam perfecimus, quem sumus ulti? possunt illa omnia perire animo illæso; itaque nos non ei, qui injuriatus est, gratiam referimus, sed iis quæ possidet; et quemadmodum est in veteri sententia, *Clitellam ferimus, quando asinum non licet*, ut qui impulsus ab asino, cui insidebat agaso, quum hominem tentaret cædere, protinusque is exclamasset, *Atheniensem esse se*, tum ille in asinum versus, *atqui hic non est*, inquit, *Atheniensis*, itaque eum plagis oneravit; omnino tales sunt nostræ ultiones, qualis puerilis quidam in Hispania lusus, ex cujus legibus clamant pueri: *Feri non ferientem te*: ut non liceat eum qui cæcidit, referire, sed proximum, qui nos non terigit: jam, et in mensura rependendo erramus; alios minus quàm peccarunt punimus, alios amplius, alios non suo tempore, alios non suo loco, propterea quòd sive affectione rapimur, in ea est cæcus impetus ad considerationem horum omnium nullo prorsus modo aptus, sive judicio ducimur, in eo est ignorantia ne possit assequi ut maxime attendat et conetur.

CAPUT XII.

ULTIONEM NEC OPTARE QUIDEM FAS

est: leges civiles coercent manum, Deus animum.

Præceptum caritatis dilucide explanatur.

Deus solus
verus ultor.

Solus Deus humana intuetur corda, quod est illis proprium, ut καρδιου γινώσκων dicatur; *Apud illum*, inquit Job, *est fortitudo et*

sa-

sapientia, ipse novit et decipientem, et eum qui decipitur; itaque solus potest expendere quantum quisque peccet, quantum bene faciat, quantum mereatur; scilicet, animus est, qui in actione omni est expendendus, non ipsa actio, quæ et eadem a diversissimis potest animis profiscisci, et diversissima ab eisdem: ergo ille, detecta unicuique sua conscientia, efficit ut se quisque prodatur, et manifestum esse fateatur; tum punit et vindicat æquissime, primum eum qui fecit, et eum solum, et eo loco et tempore quo congruit, et ubi maxime doleat, et vere se intelligat punitum acrius quam vel hostes ipsi possent optare: O quam formidabilis est iudex ille, apud quem quisque non expectata sententiæ pronuntiatione se judicat, et qui punit non externa, id est, vestem pro homine, sed illud ipsum in quo sedes est ac sensus acerbissimi doloris! Christus, Imperator noster, et Pater sapientissimus, hoc demum periculum et tirones suos, et filios quos habet carissimos, metuere docet ac vitare; cujus hoc est ex monitis illis et præceptis divinis: *Nolite eos timere qui occidunt corpus, at postquam occiderint, aliud quod agant non habent; illum timete, qui postquam corpus occiderit, potest animam mittere in gehennam*: An tu vis, aut si optio offerretur, eligere aptiorem posses ultorem doloris tui, et sapientissimum ut quantum quisque meritis sit videat, et æquissimum ut velit, et potentissimum ut possit punire? Tu ergo abstine omnino manum ab ultione, quam maximis, ut vides, de causis ademit eam tibi dominus omnium de conservo tuo, pater omnium de fratre tuo, Princeps omnium de cive tuo; neque enim patiuntur civiles leges ut privatus de privati injuria ipse statuatur, et vindicet, sed ultionem ad Principem remittunt; et tamen Princeps ipse homo est inter homines jus dicturus; quanto est intolerabilius, mortalem Deo præripere ultionem, et humanam stultitiam divinæ quæstioni præjudicare, quum non secus ea homini a Deo tollatur, quàm puero vel furioso ferrum a sene, a sano, a sapiente! Quamobrem non minus est maleficium, hominem lacessitum nocere, quàm lacessentem.

Graviter Q. Tertullianus et sancte: *Quid refert*, inquit, *inter provocantem et provocatum? nisi quòd ille prior in maleficio de-*

pre-

prehenditur, at ille posterior; tamen utique læsi hominis domino reus est, qui omne nequam et prohibet, et damnat; nulla in malefico ordinis ratio est, nec locus secernit quod similitudo conjungit: absolute itaque præcipitur malum malo non rependendum: per factum, par habet meritum; sic ille. Nec solum ab ultione cohibentur manus, sed verba, oculi, nutus, gestus; quæ omnia prudens in mundo et callidus, modestiæ ac moderationi habet subdita, christianus Deo, non intentus suis occasionibus ut ille, nec tempora vafre observans, sed expectans patienter ac simpliciter diem domini, sicut sancti Martyres in revelationibus D. Joannis jubentur facere, de quo Cyprianus ad hunc modum scribit: *Et quoniam plurimos scio, fratres dilectissimi, vel pondere injuriarum ingentium, vel dolore de iis qui adversum se grassantur et sæviunt, vindicare velociter cupere, nec illud in extrema parte reticendum est, ut in istis fluctuantis mundi turbinibus, et Judæorum, sive gentilium, et hæreticorum quoque persecutionibus constituti, patienter expectemus ultionis diem, nec ad vindictam doloris nostri querula festinatione properemus, cum scriptum sit: Expecta me, dicit Dominus, in diem resurrectionis meæ in testimonium quoniam judicium meum est ad congregationes gentium, ut excipiam Reges, et effundam super eos iram meam: Expectare nos jubet Dominus, et futuræ ultionis diem forti patientia sustinere, qui et in Apocalypsi loquitur, dicens: Ne signaveris verba prophetiæ libri hujus, quia jam tempus in proximo est, ut et ii qui perseverant nocere, nocent, et qui in sordibus est, sordescat adhuc, justus autem adhuc justior fiat, similiter et qui sanctus est, sanctior: ecce venio cito, et merces mea mecum est, reddere unicuique secundum facta sua: Unde etiam clamantes martyres, et ad vindictam suam dolore erumpente properantes, expectare adhuc jubentur, et temporibus consummandis implendisque martyribus prebere patientiam: Et cum aperuisset, inquit, agnus quintum sigillum, vidi sub ara Dei animas occisorum propter verbum Dei et martyrium suum, et clamaverunt voce magna, dicentes: Quousque Domine sanctus et verus non judicas et vindicas sanguinem nostrum de iis qui in terris inhabitant? Et datæ sunt eis singulæ stolæ albæ, et dictum est eis ut requiescerent brevi adhuc*

In Apocalypsi.

tem-

tempore, donec impleatur numerus conservorum et fratrum eorum; quique postea occiderentur exemplo ipsorum: hæc Cyprianus.

Quamquam illi non eam vindictam animo expetunt, quam sevitia impiorum erga se et meretur et videtur postulare; sed eadem figura sunt illa dicta, qua alia in mysticis litteris permulata, ut rerum ad judicia nostra affectus attribuuntur personis, quæ res illas vel egerunt, vel sunt passi; nam bonus civis, et vir in hoc seculo prudens, manus habet a lege civitatis constrictas, vocem et gestus omnes ab aliorum judiciis et comi quadam educatione ac institutione prudenti, animum solutum, ad quem neque homines, neque leges humanæ penetrant; christianus vero etiam animum tam Deo obsequentem, quàm illi manus aut vultum legi et oculis spectantium; ita, qui manu sibi vindictam prohibentur sumere, nec animo sinuntur optare, quantum enim ad divinas leges interest, fecerit quis aliquid, an voluerit? nam si manu se se ulcisci propter hominum leges nefas est, non minus erit animo expetisse ultionem apud illum, qui acutius animos intuetur, quàm nos manus et opera externa: non habent christiani inquietas manus, non habent spirituales homines sævos spiritus, quum omnia ad oculos referant Dei spiritualis, spirituum spectatoris et censoris: multo ergo habere eos oportet animos mitiores et magis domitos atque educatos, quàm manus: *Discite a me*, ait exemplar humanæ vitæ, *qui mitis sum et humilis corde*: non execrantur lingua, sed nec voluntate; nam qui animo et cupiditate ultionem expetit, sumeret si liceret; at quod non licet, imputandum est facultati, non voluntati; tu quidem tantum concupisti, quantum is qui læsit; intuenti opera excusari potes, intuenti animum non potes: (procul absunt a christiana mansuetudine tales animi) rogant potius communem Patrem, ne et sibi irascatur, et ex aliena culpa recordantur de sua, ne dum alienum erratum persequuntur, sui quoque manifesti fiant.

Ergo in aliena imbecillitate agnoscentes suam, et sui et illorum miserentur, quum vident ex communi infirmitate atque animorum impotentia fieri, ut et lædant illi, et nos ultionem

ex-

expetamus; itaque miserti inimicorum orant Patrem, ut et lumen in eorum mentibus accendat, et tam fractam afflictamque humanam debilitatem confirmet ac corroboret; hujus rei habemus exemplum in Filio Dei, qui moribundus post tot cruciatus et indignissimas contumelias Patrem suum precatus est, ut iis ignosceret, a quibus talia pateretur; quod alii secuti sunt et imitati, multi quidem, de quibus non est proditum memoria, de Stephano vero in Actibus Apostolorum scribitur: qua in re non solum emolumenta ad eum veniunt, pro quo oratur, sed maximus ad orantem fructus, quum non solum pro illo rogat, sed pro communi utriusque infirmitate, in quo simul sui meminit, simul ad gratiam et favorem Dei præstruit sibi viam, qui negavit se nobiscum rediturum in gratiam, nisi nos homines hominibus reconciliemur, non fecte, non simulate, non ad tempus, non pro loco, sed bona fide, penitus, ex toto animo, atque affectu: verba oraculi sunt, *Non ignoturum nobis Patrem caelestem, nisi nos remiserimus quisque fratri suo de cordibus nostris*: pacem, concordiam, benevolentiam, caritatem vult esse inter homines omnes mutuam; nam ille Filius natura unigenus, quem Pater donavit reconciliationi humani generis, et omnium quæ sunt in cælo, et quæ in terra, diremit mediam maceriem, et utrumque parietem in se conjunxit, factus lapis angularis, et copula totius ædificii ille, qui ab iis, qui secundum humanos sensus ac cupiditates ædificarent, non secundum sapientiam et voluntatem Dei, rejectus toties ac reprobatus fuerat, atque etiamnum reprobatur.

Olim natura omnes inter se devincierat, separavit malitia; rursum quæsitæ sunt ab hominibus rationes aliquæ conjungendi hominum inter se, alios communione civitatis, alios sacris, alios sanguine et affinitatibus, alios pactis ac fœderibus, alios magistratibus, collegiis, sodalitiis; sed quibus copulis nonnullos conjungebant, eisdem disjungebant alios; ut qui conjuncti erant civitate, ii tamquam mœnibus arbitrabantur se cinctos, quibus disjungerentur ab aliis civitatibus; qui sacris, separati erant ab iis quibus alia erant sacra; ita, alienus erat gentilis Judæo propter sacra et cærimonias utriusque proprias; Græcus a

bar-

barbaro, propter nationes; Atheniensis a Lacedæmonio, propter civitates; Hispanus conjunctus Italo fœdere, disjunctus a Pœno propter idem fœdus: hæc omnia hæserunt in humano genere ex noxia vetusti Adam; novus vero Adam, exors peccati omnis, et cœlestis a Deo missus, omnes illas sepes, omnes terminos ac limites diruit, et in primam illam ac veram naturam hominem reposuit; ut quum ipse esset Pater et Princeps omnium, effecissetque suo sanguine ut universi homines ad eandem civitatem, ad eadem sacra, ad eandem felicitatem pertinerent, jam cessarent humanæ distinctiones, nova essemus omnes et una creatura, in qua jam nec discrimen esset nationis, nec gentis, nec conditionis, nec status, sed membra unius corporis, unâ benevolentia, uno sensu conjuncta; quod cum solum conaretur Christus inter suos perficere, assertos jam a servitute scelerum ac flagitiorum, et per sanguinem suum repositos in gratiam Patris, id vidit una ratione commodissime posse fieri, si homines omnes mutuo inter se bene vellent, atque unanimes ævum in hac vitæ communione traducerent: idcirco unicum dedit suæ gratiæ præceptum, ut *invicem diligamus*: multa habet dogmata humana philosophia, multas leges gentilitas, multas cærimonias, præcepta, jussa, Moyses quàm plurima; non amanti, multis monitis, præceptis, dogmatibus, legibus, minis, terrore, blanditiis est opus ut recte velit agere, et huic panno putri multis subinde commissuris; si amor accedat, tamquam ignis noxia et vitiosa omnia excoquens ac perpurgans, is unus vice erit legum quæcunque excogitari possunt omnium.

Itaque sapientissimi Dei, et expeditissime cuncta obeuntis, verbum est unicum breve, sed validissimum atque efficacissimum: *Hoc est*, inquit Christus, *præceptum meum, ut diligatis invicem*: quo dicto, tamquam a præcentore prolato carmine, mirus consurrexit concentus omnium sequentium nihil aliud sonantium præter amorem, caritatem, benevolentiam, pacem, concordiam; quid aliud sunt Evangelia, quid scripta Apostolorum et sanctorum Patrum, quàm præconia caritatis, exhortationes ad caritatem, ignis flagrantissimus, sed saluberrimus cœlestium similis? Hoc jubet, hoc vult Deus, ut homo hominem, hoc

Tom. V.

Ppp

ip-

Christi reconciliatio.

Christum gratiæ unicum præceptum.

ipso quòd sit homo, diligit; nec gentem spectet, nec conditionem, nec aliud quàm humanitatem et Deum; quam regulam qui sequuntur, ii demum sunt Israëlita Dei, cari domino, *Pax super illos*, ut inquit Paulus: Judæus fratrem suum diligebat Judæum, a gentilibus tantopere ex præceptis alienus, ut etiam non dubitarint eorum magistri addere, prosequendum esse inimicum odio; at Dominus noster, ut Pater universorum hominum, omnes patria caritate complectens, omnes omnibus conciliat ut fratres inter se; et ita vult nos esse affectos erga omnes, quemadmodum ipse idem fuit, qui pro omnibus venit, quantum in se fuit omnes revexit ad salutem et vitam, amicos, inimicos, cognatos, tribules, münicipes, populares, alienos, si quid modo dici aut esse poterat alienum naturæ illi omnia complectenti: Socrates interrogatus cujus esset, *Mundanium se esse* respondit: idem Anaxagoras, Democritus, Diogenes: An homines, tenuem quandam lucem per angustissimam rimulam intuiti, homines omnes tamquam cives suos aspicient, non aspiciet is qui scit omnibus esse unum communem Patrem, qui in hoc descenderit in terras ut et Deum hominibus pacaret, et homines inter se? Quocirca illis, qui sunt extra ecclesiam et communionem gratiæ corporis Christi, non cladem optabit christianus, non mortem, non infortunium, quæ barbaria est, existimare hoc demum esse vere Christiani, si strenue Turcas, aut alios Agarenos excretur? et martyrem se putat, qui plurimos illorum jugularit, quasi id non possit melius præstare impurissimus ac crudelissimus latro?

Communio gratiæ corporis Christi.
Excipe bellum justum et tutelam inculpam.

Amandi sunt Turcæ, nempe homines, amandi ab iis qui illi voci volunt parère: *Diligite inimicos vestros*: illis ergo, quod veri est amoris, bene cupiemus, illudque optabimus unicum et maximum bonum, agnitionem veritatis, quod nunquam assequuntur conviciis aut maledictis nostris, sed eo modo, quo nos ipsi ope ac beneficio sumus Apostolorum consecuti, rationibus naturæ et humanis ingeniis congruentibus, integritate vitæ, modestia, moderatione, inculpatis moribus, ut nos ipsi priores re ostendamus quæ profitemur et jubemus, ne a fide nostrorum dictorum arceat eos tam discrepans vita: nec solum hoc

hoc erimus affectu atque animo in eos impios, a quibus non lædimur, sed in eos ipsos qui nos persequuntur et affligunt; hoc naturæ lex postulat, hoc Christi jussa, hoc imitatio cœlestis Patris, hoc nostræ ipsorum utilitates; quid enim est magis ex naturæ ratione ac jure, quàm unumquemque ita se adversum alios gerere, quemadmodum alios velit erga se? Atqui nos amari vellemus etiam ab iis quos capitaliter oderimus, et nobis benevolentiam pro malevolentia rependi, ut etiam injuriam nos accipere conqueramur quòd non amicissimorum hominum opera ab illis ipsis accipimus, quos nos habemus invissimos: quod si ita sentimus de nobis, naturæ profecto violamus jura et leges, nisi ad eundem quoque nos modum in alios geramus: Christus, quo id nobis efficacius persuadeat, exemplum proponit, non humanæ sapientiæ, sed divinæ Naturæ, quæ nihil odit, in omnes etiam inimicissimos benefica: dicet aliquis: Sublime nimis exemplum, nec facile esse humanæ imbecillitati id exprimere: immo vero, si finis votorum nostrorum est sempiternam illam felicitatem consequi, quæ nihil est aliud quàm conjugium cum Deo, et unum cum illo fieri, non potes cum illo jungi et unum fieri, nisi prius illi fias quàm simillimus; an tu unum speres fieri cum Deo in tanta dissimilitudine et discrepantia voluntatum, animorum, sensuum, actionum? Atqui sola nos caritas cum illo conjunget, nam nec potentia potes esse Deo similis, nec sapientia, nec operibus infinitis, caritate potes, hac sola ad illum pervenies; quod si ille tam larga atque effusa sit caritate, ut amicos et inimicos diligit, solem hunc suum, a quo tantas utilitates percipimus, super bonos extendat et malos, pluviam suam in agros justorum et injustorum ad fruges atque alimenta spargat, tu vero tam arcta sis caritate, et adeo maligna, ut solos amicos tuos velis diligere, quod et ethnici faciunt, et homines scelerati ac nefarii, qua tandem re speras te futurum divinæ illius Naturæ imitatore et similem, ut illi possis ad immortalem felicitatem conjungi?

Hoc egerunt Christus, hoc ejus Apostoli, et Martyres, quo nihil sciebant propius esse Numini præpotentis Dei, ut quum

se se eo constituissent loci, brevis foret ad conjunctionem divinitatis gradus; Ubi sunt isti, qui magnum et pulchrum dicunt, non ignoscere, ulcisci inimicum, exaturare iram, dolorem explere, unde nata sunt illa apud Græcos, iram viri melle esse dulciorem, et jucundum esse ulcisci in eum qui prior læserit? O insaniam singularem! an potest aliquid esse pulchrius aut magnificentius, quàm quod simile et propinquum sit illi præcellenti naturæ Dei, quæ est fons, origo, exemplum, regula, censura pulchrarum, magnarum, admirabilium omnium rerum? Quid vero magis est illius quàm misereri, ignoscere, clementia et benignitate uti incredibili, etiam in hostes, etiam in ingratos? hoc est magnitudinis illius, nolle vindictam sumere quum possit, omnesque offensas nostras sublimitate et amplitudine sua obruere atque occultare, ne qua sentiantur, et existant; contra, parvorum est animorum et pravorum, velle se ulcisci, et tentare, etiam, quum non possint, experiri tamen, et pessimam libidinem ostendere, quamvis irritam: versus sunt apud Ausonium Gallum duo, ex Biantis, ut scribit, sententia: (1)

*Quod prudentis opus? quum possit, nolle nocere:
Quid stulti proprium? non posse, et velle nocere:*

hoc non solum in Deo videmus et Christo ejus Filio Deo ipso, sed in sanctis viris, qui ingentem illam atque admirabilem a Deo acceptam potestatem sanandi ægros, excitandi ad lucem hanc et vitam mortuos, occidendi contumaces, tradendi Satanæ, nunquam in eos vel tentarunt convertere, a quibus tot contumeliis, tot injuriis afficiebantur; nec illis solum non conati sunt nocere, sed nec optarunt, nec sunt dira imprecari; non ita erant a magistro edocti, aliam pugnandi vincendique rationem inierant, nempe qualem doctor ipse atque Imperator Christus, qualem dominus omnium Deus, ut ferendo, ut tolerando, omnia superarent, et per bonum divinæ gratiæ malitiam vincerent humanam; hoc vere est magni animi, et Deo simillimi; nam verbum aut injuriam non posse perferre, tam

est

(1) Ausonius in Sept. Sap. vers. 6.

est magni animi et fortis, quàm magni et valentis stomachi buccam aliquam panis aut casei non posse concoquere; nihil est, hac præsertim in parte, animo similis quàm stomachus, nam et hic pro animo atque affectu solet poni, et utrobique devorare dicimus, et concoquere, ut eodem sit modo de animi viribus ac robore censendum, quod de stomacho.

Quid, quod inimicos et persecutores suos non aliter aspiciat christianus, quàm vir fortis labores et uberrimam gloriæ suæ materiam? Quid enim, inquit Cicero, odisset Clodium Milo segetem ac materiam gloriæ suæ? Parum ne existimamus hominem persecutione hominum meliorem fieri? Quanta est illa et quàm optanda commutatio, hominum odio patienter tolerando, gratiam et peculiarem quandam benevolentiam parari Dei summi ac præpotentis! Quum Paulus carnis suæ stimulo plusquam vellet urgeretur, ter rogavit Dominum ut se illo liberaret, ab eodem responsum est illi: *Sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur*: quod ubi ille audivisset, non aliter deinceps aspexit et interpretatus est infirmitates suas, quàm magnetem et invitamentum divini favoris, ut prosperas sibi eas arbitratur, per quas tanti possessio boni pararetur; quum poterat ille odisse infirmitates suas, de quibus ait se gloriari? qui videret patefacere illas in se aditum gratiæ Numinis? An non atrociores sunt in unoquoque infirmitates, et stimuli carnis suæ, quàm externi inimici? atqui ille eas non odit, immo libens ac lætus amplectitur, tamquam labores, quos tam incredibilis manet merces; oderit credo homines, quibus ferendis diligendisque tantum sciat esse præmium propositum, tanta pœna, si oderit, si aversetur, si sit illis infestus? Nec vero quisquam sibi magnopere concedat aut indulgeat in odio vitiorum, non hominum, ne longius in hoc progrediatur quàm oportet, ne dum non satis acute et subtiliter distinguit, homines oderit, dum se vitia odisse causatur, in quo vehementer est opus judicio et prudentia, quibus qui non perinde valent, iis consultius fuerit vitia hominum non perinde odisse, ac miserari hominibus, affectumque, quo ipse indiget, in communi infirmitate præbere.

Dei gratia.

Infirmitates
inculpabiles
non odit A-
postolus.

CAPUT XIII.

CHRISTIANOS QUANTO AMORE

prosequi teneamur.

Quomodo
amandi fra-
tres chris-
tiani.

QUod si eos qui sunt extra ecclesiam, sic jubent natura, Christus, Deus amari, cogitare convenit, quo nos animo esse par est erga illos, qui ejusdem sunt corporis membra cujus et nos, inter quos dissensio et odium non alius sunt generis, quàm si a manu dissideret lacertus, aut digitus ab oculo; eorum commodis et bonis tam gaudebit, quàm oculus, si per se sensum haberet, utilitate manus aut pectoris; non aliter dolebit illorum malis, quàm oculus damnis et cruciatu pedis; quoniam quidem non minore harmonia et concentu coalitum coagmentatumque est corpus Christi, quæ est ecclesia, quàm corpus uniuscujusque nostrum; fecit enim Christus congregationem hanc et conventum suorum omnium, corpus unum, cujus se caput constituit, totumque vivida illa et ardentissima sua caritate animavit; majusque est in hoc corpore vinculum caritas, major ex salute capitis animatio, quàm in corpore cujuscunque animantius sanguis atque anima; et sanctus ille ac cœlestis ardor subtiliorem et acutiorem sensum per omnia coporis hujus membra diffundit, quàm spiritus et continuatio in animali: at sunt, qui cum se sentire sensum negent; mirandum non est, ut qui sint caloris ac vitæ corporis expertes; utique nec emortua in animante membra, quæ vita prorsus, quæ calore sunt orbata, quemadmodum alia sint adfecta membra sentiunt; maximumque est argumentum mortuam esse partem, quum ad aliarum dolorem non commovetur; scilicet, interrupta est illa corporis harmonia, per quàm sensus toto se corpore insinuat, ac pervadit: Quid non in ipsa humana caritate major interdum est in amante sensus rei caræ, quàm sui ipsius? Cui non nota est historia illa Arriæ uxoris Pæti? quæ quum decrevisset cum marito mori, vulnusque in papillam pugione impressisset, extrac- tum pugionem marito porrigens, *Non dolet, Pete*, inquit, *vulnus hoc, sed quod tu facies, hoc dolet*: Quid Epaminondam, quid

Ly-

Lysaniam, Brutum, Decios, quid reliquam illam fortium virorum famosam manum commemorem, qui quod unice patriam et suos cives diligenter, libenter vitam pro patria deponebat? Plena est exemplorum historia, sed vita communis nemini non quotidie rem ob oculos subjicit, patres matres morientes, majore de liberis cura urgeri, quàm de se ipsis: Quid, in illa belluarum feritate, atque illo inflexibili rigore animorum, num non amor easdem vires exercet et ostendit? Vivit in amato amans, non in se; vivit in ipso amatus, non ipse.

Audiamus Doctorem gentium et Magistrum ecclesiarum tantis caritatis flammis accensum ac perustum, ut prope extra se ipsum efferretur: *Vivo*, inquit, *ego, jam non ego, vivit autem in me Christus*: Idem alios docet quandoquidem *Christus pro omnibus passus sit mortem, et in vitam se reduxerit ut ne quis illius sectator sibi amplius vivat, sed ipsi Christo*: Quid si tantus est per membra illa insinuat ac inditus sensus, quæ membra non sunt peccati frigore emortua, sed confota salutari illo calore vivunt, vigent, sentiunt, quantum unicuique membrorum convenit esse doloris sensum, quum aliquod peccat, id est, extinguitur, et tamquam a toto corpore desecatur? Quàm anxius est ac sollicitus verus amor, ex quo vox illa ejusdem Apostoli nascitur: *Quis infirmatur, et ego non infirmor? quis scandalizatur, et ego non uror?* Idem quam ardentem, quoties, quo spiritu, ad pacem, ad concordiam, caritatem, unionem spiritus ac sensus, suos hortatur, et instigat! Et quemadmodum illa corporis nostri temperatio efficit ut cujuscunque partis, quamlibet exiguæ, et a corde, et capite, et vitalibus separata, morbus et doloris morsus universum corpus perstringant et affligant, dolet enim homo totus redivia una vel gemursa, sic in ecclesia mira est convinctio et contemperatio cunctorum, ut singula non alia cura habeantur, quàm vivæ animantis partes, immo ut jam nullus sit cujusquam sensus per se a ceteris disjunctus, sed unus atque idem ex cunctis conflatus commistusque, non secus ac panis unus e tot tritici granulis contusis, aut ex tot expressis acinis vinum unum, ut inter ceteras causas hæc non sit de positremis, cur in illis potissimum rerum formis mysterium Corporis

et

DE CONCORDIA ET DISCORDIA

et Sanguinis sui Dominus instituerit; ita fit etiam, ut sit in hoc ecclesiæ corpore magna communicatio bonorum, et quasi ab aliis ad alios ceu quædam redundatio, damna etiam, atque incommoda velut contagio ab aliis ad alios transeunt; irascitur Deus illi multitudini, in qua plerique sunt mali, placatur ei, in qua plerique boni, affligit innocentes propter nocentes, et parcit malis in gratiam bonorum: tanta est participatio membrorum in commodis atque incommodis.

Hæc demum est vera caritas, quæ ita caros conjungit, ut unum faciat, ut eveniat quod Christus Patrem precabatur, ut sic unum fieremus omnes quemadmodum ipse et Pater unum essent, ut jam non alio animo, non aliis oculis, mente, judicio fratrem quisque suum aspiceret, quam se ipsum; hæc sola est caritas vera, et quæ oculis Dei possit approbari, qui capi non potest iis rebus, quibus humani oculi falluntur, nempe vana et cassa rerum specie; quapropter christiana caritas illa dicitur, quæ non est ficta, non simulata, quæ nihil habet fuci, nihil prætextus alieni, aut in speciem solum obductum operumque, quum intus longe insit aliud quam quod apparet; nam quum omnia ad spectatorem Deum referantur, non est quod quisquam fallere aut imponere se posse speret; O quàm nullum est effugium malo! quanta bono consolatio! habet bonus divinos oculos, quibus se approbatum iri confidat, et illis ubi satisfecerit, nihil est quod requirat amplius; vertat se vero malus et versutus, quo volet cumque, cernitur, latere non potest, deprehensus est, tenetur, quum ut se abditissime aut vaferrime circumsepiat et occultet, conscientiam certe suam eludere non magis poterit, quam exuere, qua una æternus ille iudex utitur pro teste; nemo sibi imponat, aut puerili more claudat oculos, ut non videri se, quia nec videat, credat; pura ergo esse semper debent et simplicia, quæ mens illa et justitia divina cernit ac censura est; si in forum reus adductus, iudicem, qui est de te et capite tuo sententiam laturus, decipere non potes, quid juverit te astantium coronæ dedisse verba? Ex illo interiore affectu tam ardenti, opera eadem sunt in alium, quæ cuiusque in se ipsum, siquidem non est alio quisque loco fratri

suo

suo quam ille est sibi; quis sibi capitaliter irascitur? quis secum dissidet sciens et prudens? quis se cupit ulcisci? quis non quæcunque faciat in melius vult capi, et ipse capit? an non quisque juvat se, et juvari ab aliis cupit, consilio, opera, pecunia, denique quacunque liceat et possit? caritatis, inquit Paulus, hæc sunt opera, *Non emulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non querit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati, omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet.*

Videlicet, quod in unoquoque ardens illa efficit caritas, ut sibi quisque facile ignoscat, et ad sua peccata conniveat, idem eadem caritas perficiet, si se foras proferat, sicut debet, ut non aliter errata, et injuriæ, et contumeliæ cujusque adversus alterum igne illo flagrantissimo sine ullo penitus sui sensu absumantur, quàm si prætenues aliquæ rotis guttæ in maximum aliquod incendium aspergerentur; hinc fiet ut *amor*, qui semel sit vere ac bona fide in cujuspiam pectore conceptus, nunquam deinceps restinguatur, quandoquidem nec unquam ardori deerit materia, nec aliquid poterit tantum intercurrere, quo non flamma illa sit validior, quæ, ut est in proverbio, *Vincit omnia*: hoc ille vir acutissimus significavit, qui amoris natura inspecta, pronuntiat: *Amicitia quæ potuit desinere, nunquam vera fuit*: O quàm oportet esse sanctum atque augustum fontem illum unde tam sacros rivulos videmus dimanare! Quod si illi sunt caritatis certissimi effectus et actiones, quàm aperte arguimur nos nihil habere caritatis, et nomine tenus usurpare christianitatis professionem, quod unusquisque, quæ a Patre et distributore omnium accepit in communem usum omnium, neque enim aliud quàm dispensatores sumus munerum Dei, ea ita recondimus, et alios arcemus ab iis, ut appareat nos cogitare et munera esse possidentis propria, et alienissimum esse unum quemque ab alio! Sunt quos Deus pecuniis ditavit; sunt quos viribus, potentia, prudentia, consilio, litteris, gratia, auctoritate; nemo non sibi hæc reservat, et vult esse propria; clamat opulentus, *Meum, meum*; doctus non docet, nisi accepta mercede, sæpe maligne, et discipulis invidens; prudentes hoc esse

Tom. V.

Qq

of-

Christiana
caritas.Caritatis o-
pera.

officium suum rentur, ut tamquam aliena spectent omnia, suum agant negotium, sibi prospiciant, et caveant, sibi unis vivant, introrsum reducta omni cogitatione; qui gratia vel auctoritate valet, non ea utitur ad commoda multorum, sed ad suam vel utilitatem, vel laudem; Deus, qui tam est benigne impartitus, jubet gratis dare quod gratis acceperimus, homo qui accepit, cogitat, *Hæc sunt mea*, quid plus habebō quàm alii, si communicem? recondit, claudit, munit ferro, vi, legibus.

Quis possit sine acerbissimo dolore meminisse quot sunt in christiano populo indocti, quos sinunt errare et falli homines eruditi? quot imprudentes et incauti, quibus nemo bene consulit, et tamquam errantes reducit in viam? quot pueri inconditi, ineducati, quibus educandis atque instituendis nemo vel digitum dignaretur movere? quot egeni, quos nemo adjuvat? quot inopes ubique obvii et expositi, quibus nemo succurrit? quid hæc indicant aliud, quid apertissime loquuntur, quam nos omnia solum retinere, rem prorsus abjecisse, non esse inter nos communicationem illam corporis Christi, sed unumquaque suum sensum habere, suum negotium agere, se spectare ac intueri, non Christum unum communem omnibus, non esse in nobis spiritum illum mansuetudinis Christi, qui non quæ sua sunt quærit, sed quæ aliorum, qui tacite omnia perfert, qui bene omnibus precatur, consulit, prospicit pro virili sui parte, neminem judicat, nisi se ipsum, ne a Domino judicetur; contrà, hic noster superbus et contumax spiritus in unoquoque interponit iudicium, non de se, sed de ceteris, unde superbia, et arrogantia, et aliorum contemptus, atque hinc rixæ, inimicitæ, odia capitalia: At quàm indignum et intolerandum est, servum de conservo judicare! cæcum de eo quod non videt! imperitum de eo quod nescit! et antevertere iudicium Dei verum ac justum! Quid est quòd alium iudicemus, quum ignoremus oculos humanis cognitionibus humanos animos? Tu vero alienum animum putas te perspecturum, qui tuum ipsius ignores? Jam, cur ego socium contemnam, quum nesciam utrum ille me sit præstantior et melior, an deterior? Agimus in vita hac, tamquam in magni cujusdam Principis aula

Quam faciles sumus ad iudicandum.

In vita agimus tamquam in regia.

et

et comitatu, in quo honoratissimi sunt et primæ æstimationis, non qui claritate sanguinis excellunt, nec qui amplissimas possident opes, nec qui cultissime atque ornatissime vestiuntur, non robore insignes, non eruditione aut usu rerum præstantes, sed qui flagrantissima ad Principem pollent gratia; ita inter nos, solum christiani hominis bonum est, gratiosum esse Deo; quis vero de se ipso, nedum de alio, possit statuere, quàm illi sit gratus, ut non habeat homo, unde vel se attollat; vel deprimat fratrem suum? *Sunt justi et sapientes*, inquit Salomon, *et opera eorum in manu Dei, et nescit homo utrum odio an ira dignus sit.* Apostolus Paulus, examinata conscientia pectoris sui, nihil se quidem invenire ait sceleris aut flagitii, sed nec protinus se esse justificatum: ideo præcipitur, ut accedentes ad servitutem Dei, quum de illius favore tantopere simus incerti, vigilemus, astemus in timore: et Paulus toties monet timendum esse casum ei qui stet, non esse despiciendum fratrem, non iudicandum, ne in eo ipso quod arguit, se ipsum condemnet.

CAPUT XIV.

ADHORTATIO AD CARITATEM.

Hæc quidem, quæ hactenus dixi, ad vitam hanc pertinent fere omnia; quid si quis se attollat ad cogitationem et spem illius sempiterni præmii, aut supplicii metum? Apud Ciceronem Scipio Africanus, quum ei a patre Paulo, et Scipione Africano avo, ostensa esset cœlestis illa felicitas qua fruerentur ii qui patriam adjuvissent, *Ego vero*, inquit, *etsi in patriam antehac optime eram adfectus vestigiis ingressus vestris, nunc tamen tanto proposito premio annitar multo vigilantius*: Quem non excitaret contemplatio illorum bonorum? superant illa cœlestia æterna bona omnem spem, omne votum, omnem cogitationem hominum, unum fieri cum ipso Deo, qui melior, qui major, qui beatior est, quam qui amplitudine capi possit humanæ mentis; contrà, in disjunctione illius cruciatus et supplicia sunt, quæ vel cogitare animus vix sustinet: O miserum, quum istuc vadas, in

De altera vita.

Qq 2

his

his occuparis! ; ad tanta bona es genitus ac editus in hanc lucem, numulum aut verbulum respectas! etiam, ut ad bona hæc nulla est via quam per concordiam expeditior, ita nulla ad infelicitatem quam per discordiam; videlicet in hoc, quemadmodum in elementis, in animantibus, in universa natura, gradus est simile sui similis; nihil cœlesti beatitudini conformius ac confinius quam nostra concordia, nihil infernæ calamitati quam dissidium, quam odium: ; Quid quòd, etiamsi discordia nihil obsesset ad tantum precium currentibus, omnia essent excutienda atque abjicienda, ne quid paratis atque expeditis cursum moraretur, quod videmus vere christianos homines fecisse, ut expeditius celeriusque pertingerent quò tantoperè intendebant; tu vero, ad injurias, ad vindictas oculos reflectis illuc currens, ut dum aciculam vel floccum colligis, occasionem e manibus amittas tanti precii nanciscendi.

Nemo est nostrum paullum modo in regio aliquo versatus comitatu, qui non frequenter viderit, quum quis Principem adit etiam inter istos nostros mediocrem, si a faruo quopiam, quales nunquam deesse in aulis solent qui animi gratia dicuntur ali, si quis ergo ab horum aliquo vel cœdatur, vel impetatur convicio, ac petulanti dicto, eum vocem illam aut plagam ita contemnere, tamquam avocari sensu majoris rei videatur, videlicet captus aspectu numinis illius terrestris, et in id penitus intentus; idque non ignorat Principi esse gratissimum, qui videat propter se reliqua despici omnia, et veneratione suæ majestatis percultos, ac pene attonitos, nihil reliquorum sentire, ceu alloquio et conversatione sua altius evectos, quam quo pertingat istarum humilium rerum sensus aut cura: hæc quidem ad homulum putrem, miserum, imbecillum, brevi perituum; ; tu vero, quum ad Deum talem Principem tendas, torques subinde oculos, et caput, et totum interim corpus, ad nescio quam aurulam vel jacturam pulveris, ac luti, aut spurcæ saniei, et tabis tui corporis fœtidissimi? ; O ferreum hominem, immo ferrum ipsum sine mente, sine sensu! ; De humanis inimicitiiis vacat tibi cogitare periclitanti de divinis? plane absumpta est funditus spes omnis salutis, quando levissimi

nos urgent morbi, gravium et pestilentium sensus est nullus: ; Non vides paratum tibi inimicum Deum, nisi recta ad se tendas, cunctis aliis rebus contemptis ac pro nihilo habitis? ; An non hoc aperte vox divinæ Sapientiæ edicit, et clamat: *Nisi quis reliquerit patrem, et matrem, et sorores, et vitam suam propter me, non est me dignus?* ; Qua tandem re dixit illum non esse dignum? pecunia, credo, aut vestibus, aut ædificiis, agris, servis, opibus, possessionibus, dignitate, imperio, potentia, quæ omnia possidenti, et arcte complectenti, hora una, sive casus, sive mortis, eripit ac extorquet? non esse Deo dignum dixit, id est, cumulo verorum omnium bonorum et æternorum, et quæ humanam omnem cogitationem ac cupiditatem transcendant: ille ergo Deo est dignus, id est, felicissimus, qui ita vivit, ita se parat, ut a solo Deo pendeat, remotis omnibus impedimentis, nugis amputatis ac rejectis, nec ullius opem vel sperat, vel implorat, quam illius, sine qua nudum se ac desertum videt atroci prælio objectum, cum qua munitior est quam ut lædi vi aliqua possit.

Eam opem, ut maximam esse omnium intelligit, et potentissimam, quæque ut reliquas omnes ita absorbeat et obscurat ut penitus non existant, seu ut verius nocumenta sint non auxilia, ita confidit et certum habet paratam esse omnibus qui ad eam confugiunt, qui fiduciam in illa suam omnem collocarunt; sic enim ab oraculo est responsum, *Presto est Dominus omnibus invocantibus se*, invocantibus autem non fictæ, non ore modo et verbis, sed vere atque ex animo; idem in quietem illam suam sanctam, perpetuam, inviolabilem pacem, illam sedem totius beatitudinis, facile illos recipit ac admittit, qui ipsi suam ipsorum pacem, quantum in ipsis fuit, modeste ac placido animo præstiterunt: *Pacem habete*, inquit Paulus, *et Deus pacis erit vobiscum*: ; Ecquod bellum potest eum movere, qui septus est tanta pace? ; quis terror pervenire ad tam immotam et continuam securitatem? Hæc est petra illa, in qua si quis fundamenta ædificii sui ponat, id nec alluvies fluminum, nec oceanæ reciprocationes, atque æstuosæ tempestates, nec turbines, et ventorum violentia, plus lædent, quam solem, aut aliquod

Sedes Dei.

siderum, quo non attingunt; neque enim vel hominum injuriarum, vel casuum incommoda et calamitates, vel astus dæmonum ac fraudes, validiora sunt, quàm bonitas, consilium, vires illius, qui in illo pacis pectore, tamquam in sacro quodam templo, habitat: Super quem requiescet Spiritus ille mitissimus Dei, nisi super modestum, et demisse de se sentientem, et custodientem præcepta Dei? Quid illud est, quòd Elias videt? Spiritum subvertentem montes, et conterentem petras ante Dominum, et audit, *non in spiritu esse Dominum*, tum post spiritum, commotionem, neque *ibi Dominum*, et post commotionem, ignem, neque *in igne Dominum*, postremum, sibilum, auræ tenuis, *et in sibilo Dominum*, quia non est prærapidus et violentus is, quem Deus per sui cultum, tamquam sedem quandam suam delegit, non sævus, non turbulentus, non ultor, et maleficus; nam de illo Dei Filio, qui ipse est Deus, et Patri similis, æqualis, unus, in cujus corpore inhabitat plenitudo infinitæ divinitatis, Isaias propheta scribit: *Non clamabit, neque accipiet personam, nec audietur vox ejus foris, calamum quassatum non conteret, et linum fumigans non extinguet.*

Hujus est generis, ac naturæ, sedes suavissimi illius Spiritus, qui ad mansuetudinem suam declarandam, columbæ simplicissimæ, et mitissimæ animantis speciem, tamquam symbolum sui hominibus ostendit: hic est illius locus, *qui factus est illi in pace, et habitatio ejus in Sion*, non jam in illa Sion armata et pugnace, sed in hac quieta et exarmata, et se ipsam non ulciscente, immo pacem reddente pro bello, pro odio caritatem; qua una commutatione Princeps et Imperator noster confregit potentias, arcum, sagittam, et bellum; in illa Sion illustrata mirabiliter a montibus æternis, illa tam pacis copiosa, et quietis redundante, ut jam qui illam incolunt, conflent gladios suos in vomeres, et lanceas suas in falces, nec amplius tollat gens contra gentem gladium, nec exerceantur ultra ad prælium: O salve pax quam de cælo ad hominum animos pacificator ille deduxit Dei et hominum, Deus et homo! Quæ tanta est, ut eam nec humana sapientia magno supercilio atque arrogantiâ suffulta, nec hominum opes, copiæ, vires, potentia, quibus miseri mortales animos sumunt, denique non universus orbis conjunctus et conglobatus, ut maxime velit

Pax de cælo
ad terram a
Christo de-
ducta.

et

et conetur, dare possit; pax tam immensa, tam admiranda, ut nemo eam verbis explicare, nemo explicanti queat credere; solus credit qui experitur, qui gustum illius quandoque aliquem accipit: hæc in nobis præstabit, quod fracta et debilitata nostra ratio non valet, ut pace intus in animo et quiete parta, ac confirmata, nec foris ulla sit dissensio, quæ semper ex interiori manat dissidio tamquam ex perpetuo fonte; pax erit intus, foris, publice, privatim, unicuique cum aliis, unicuique secum: quod minus quantum sit, vel hinc licebit intelligere, quòd Dominus omnium, cui Pater cælum et terram, tamquam herili filio, ut sic loquar, jam emancipato subjecit, inter tot ac tantas opes illud unicum delegerit, quod filiis sibi carissimis, ad Patrem rediturus, quasi testamento relinqueret: Quis dubitet, quin rem et per se amplissimam, et precii ingentis, et utilissimam nobis?

Audi nunc homo, quisquis es, sed, affectu animi paulisper seposito, ratione, mente, judicio in consilium assumptis: Vides, ut te ad pacem et concordiam ii omnes adhortantur ac extimulant quibus unice es carus? natura, Deus, tu ipse, a discordia dehortantur, ac deterrent, ad quam solus instigat ac sollicitat te hostis tuus diabolus: vides bona omnia, et animi, et corporis, et fortunæ, ex concordia oriri, mala ex dissidio atque inimicitiiis: pacem et concordiam viam esse ad sempiternam felicitatem, dissensionem et malevolentiam ad æternos cruciatus ac supplicia: Cur ergo tam avide in tuum exitium ruis? cur exigua causa, impulsu minimo, sæpe etiam nullo, discedis, ac desciscis a natura, a Deo, a te ipso? transfugis videns ac prudens ad hostem nunquam amicum futurum, ad mala, quorum nec in præsens, nec in posterum modus est ullus aut finis? Redi ad te ipsum, et eum, qui vere tu es, dilige, nam si te non abjeceris, ac deserueris, facile et cum natura tibi conveniet, et ad Deum ascendes, nec a re aliqua abhorrebis magis, quàm ab odio et discordia, nullius æque studiosus, ut concordia ac amoris.

Brugis, 1526.

JOAN-

JOANNES LUDOVICUS VIVES

DOMINO ALFONSO MANRICO ARCHIEPISCOPO
Hispalensi S. D.

Quum libros de Concordia humani generis quatuor ad Carolum Cæsarem absolvissem, visum est mihi restare ut aliquid de *Pacificatione* commentarer; id enim sequi naturæ quodam ordine videbatur, ut qui inter se sunt concordēs, ea ipsa concordiae dulcedine ac voluptate deliniti et capti, etiam alios videre velint bene inter se consentientes, idque pro viribus procurent; et qui ad concordiam sit adhortatus, eum ad pacificationem adducere atque impellere par est: hoc opus decrevi ad Te mittere; nam quum multis nominibus, donisque, sive naturæ, sive industriæ, seu potius divinæ benignitatis unde sunt omnia, magnus semper occurras, nullo Te illorum contemplari quisquam potest, quin Te pacificum esse debere intelligat, ut nihil sit aliud quodcunque Tuum ornamentum, quàm velut debitum officium pacificationi, ut si is esse velis, qui nominaris, et crederis, pacis et concordiae publicæ perstudiosus sis oportet, citiusque Tibi Tuorum ornamentorum ac decorum sit persona exuenda, quàm pacificatoris: nobilitas generis docet Te pro quiete, ac concordia publica non sanguinem modo, sed vitam quoque libenter atque alacriter deponendam; quæ sunt enim alia nobilitatis merita? quo pertinent illi ab hominibus exhibiti honores nisi quòd hoc sunt animo in patriam et cives suos? Jam, ætas ista annis domita, et mansuefacta usu ac experimentis rerum, quid suadet, quàm sequi meliora, nempe tranquillitatem et quietem, refrigeratis jam in Tuo pectore Martiis illis ardoribus, et flammis, quæ quum restinguuntur, venienti sapientiæ tamquam possessione cordis cedunt? Tum auctoritas, et locus apud Principem vel summus, vel in summis, neque enim aliud existimari convenit consiliarios Regum, quàm eorum animam, mentem, iudicium, et proinde reipublicæ salutem, qui et Principum cupiditates refrenent, et concitatos motus inhibeant, et illos, ulterius quàm expedit, se rapientes, revocent sistantque: Hi si a pace et con-

concordia abhorreant, si dissidiis, si odiis faveant, an non tale erit regimen populorum; quale in corpore si insaniat mens?

Adde his dignitatem Archiepiscopi, id est, Vicarii atque imitatoris Christi illius; quem a cœlis in terras pacificatiō devocavit, ut non aliter populum ab Episcopo aspici fas sit, quàm oves a pastore, nam ea imagine functionem istam vestram ac munus Christus exposuit Dominus et Rex ovium omnium: *Diligis*, inquit, *me plus quàm hi? pasce ergo oves meas*; ita ut in Christi pecore rite, et ut convenit, pascendo, exigatur egregius quidam erga Christum Dominum amor, qui et in illius gregem multus ac copiosus derivabitur tamquam a capite in reliquum corpus: accedit his omnibus maximis, ut vides, pignoribus, pacificationis, munus inquisitionis hæreticorum, quod quum tantum sit, tamque periculosum, nisi sciat quis quo pertineat, eo peccabit gravius, quo de plurium salute, fortunis, fama, et vita agitur: mira dictures, tantum esse permissum vel iudici, qui non caret humanis affectionibus, vel accusatori, quem nonnunquam ad calumniam, odium, vel spes, vel prava aliqua impellit animi cupiditas: in tanto discrimine tempestatis non unica spectanda est sacra illa, ut Græci dicunt, ancora, sed bonus et sapiens rector clavi, qui et sciat in quem sit portum navis torquenda, et illuc eam velit deducere, ad pacem videlicet et quietem publicam, cui hactenus modo dum satisfiat, inquisitionis est munus necessarium: nec arbitror in ecclesia Dei ullam esse functionem majoris momenti, quæque virum requirat et iudicio acutiorem, et magis bonitate præditum, minusque morbis ac perturbationibus animi obnoxium atque obsequentem: Ergo quum Te undique decora Tua omnia, et officia ad publicam pacem et concordiam impellant, cui potius de Pacificatione scripsero, quam Tibi, olim etiam hic mihi vel familiaris noto, ut est incredibilis Tua in studiosos omnes humanitas? quam quum habent omnes compertam, tum nulli testari possunt melius, quàm qui quotidie experiuntur, Ludovicus Coronellus Theologus, Joannes Martinus Poblacio Medicus, Antonius Davalus, et Joannes Castellus Philosophi, et alii quos esset longum admodum connumerare: ego meos recensui, quorum memoriam propter eorum et ingentem eruditionem et singularem probitatem libentissime soleo usurpare. Vale.

JOANNIS LUDOVICI VIVIS DE PACIFICATIONE

LIBER UNUS.

Satis arbitror, quum ab aliis permultis, tum a me ipso nuper quatuor esse voluminibus declaratum, neminem non solum christianum appellari posse, id est, perfectum et consummatum hominem, sed nec hominem quidem, qui paci, concordia, caritati, benevolentia, quantum ab eo praestari possit, non studeat; huc a natura nos et corporum et animorum nostrorum impelli atque incitari, huc adduci a Magistro divinae sapientiae ac veritatis, ab interprete naturae, immo illius Principe, atque auctore; quod si in unoquoque hominum caritas sit non ficta aut simulata, et in speciem oculis hominum tributa, sed vera illa, et quae se Dei oculis approbari posse non diffidat, ea non efficiet modo ut mutuo amemus, excluso penitus atque ejecto odio, et concorditer cum aliis vivamus, verum ut discordes videre ac dissidentes non possimus; nihil est enim in natura congruentius similitudine, nihil cuiquam amicis aut gratius quam suum simile, nihil magis horret atque aversatur quidque, quam diversum ac dissimile: amoris inter similia hoc est perspicuum signum, quod facile inter se commutantur, ac transeunt, et quasi unum fiunt, quae est amoris vis atque efficientia: injustitiam aegre fert vir justus, etiam in alio adversus alium, quum ad ipsum nec utilitatis aliquid pertingit, nec damni; luxum et intemperantiam vir temperans in quocunque aversatur; naturalis est ea actio, ut mutuo se se refugiant pugnantia, similia congregentur; quod si is qui videri atque existimari postulat vir justus, aliorum inter se injurias vel libenter aspicit, quod quidam insigni animorum pravitate faciunt, vel certe non invitus, utique apparet non re vera justitiam in mente illius vigere ac vivere, sed ementitam esse justitiae imaginem, ad commoda et utilitates privatas susceptam, vel ad gloriam nominisque opinionem ostentatam: quo fit ut res ficta atque adumbrata non easdem habere possit vires, quas vera atque expressa.

Nec

Similitudo
in natura.

Nec solum vera caritas ac concordia dissensionem odit, sed etiam metuit, non secus quam tranquillitas procul existentem tempestatem, ne ad se quoque paulatim se insinuet, serpens quodam velut contagio, et substituens sibi gradum per ea, quae semel occupavit, ad vicina, ut sensim omnia pervadat: sic quieti et tranquilli viri, et amatores consensionis ac pacis, aliorum inter se iras dissidiaque expavescent, ne et sua ipsorum quies illis concutiatur motibus, nam rixari et discedere assueti, temerarios illos animi impetus in quosvis sine discrimine convertunt, incurruntque in eos, a quibus non sunt lacesiti, quosque minime attingi oportebat. Stoicæ disciplinae sectatores, sapientem suum ita fixum atque stabilem fingunt, ut nullis tempestatibus concuti, nullis tumultibus agitari, aut moveri possit: (1)

Sapiens Stoicus.

Cælum, inquit Horatius, si ruat, impavidum ferient ruinae:

talem se ille quidem praestabit, si res id ferant; malet tamen, quantum facere atque eniti poterit, ut placidae sibi ac tranquillae sint res quam commotae et concitatae; immo parum pro officio sapientis hominis fecerit, si relicta quiete, in tumultus se ac tempestates conjiciat; eligenda sunt ei optima et commo-
dissima, ferenda vero quaecunque contigerint: idem profecto hoc erit in animo in reliquos homines, ut vel sibi creatas turbas et discordias non recuset, modo per pacem et consensionem aliorum: praetereo tres Decios, Curtios, Coclites, Scævolas, Codros, Lysanias, et illas omnes devotiones pro civibus et salute patriae; vir plane Stoicus M. Cato quomodo inter bella civilia loquens inducitur a Lucano? (2)

Qui se pro aliis impenderunt.

*O utinam cælique Deis erebique liceret
Hoc caput in cunctas damnatum exponere penas!
Devotum hostiles Decium pressere catervæ
Me geminae figant acies, me barbara telis
Rheni turba petat, cunctis ego pervius hastis*

Rrr 2

Ex-

(1) Carm. lib. 3. Oda. III. vers. 7.

(2) Pharsalia lib. 2. vers. 307.

*Excipiam medius totius vulnera belli;
Hic redimat sanguis populos; hac cæde luatur
Quidquid Romani meruerunt pendere mores.*

Hic est vere affectus magni et sapientis viri, se et suam salutem aliorum saluti posthabere, seque ipsum nihil dubitare perdere, ut alii serventur; quamquam non potest se ipsum pulchrius aut magnificentius servare, aut excellentiorem sibi salutem parare, quàm dum se unum multis impendit, memor a natura genitum se multis, a sapientia re-genitum omnibus, ut quod uni naturæ tacite ac ignobiliter debetur, neque negari aut recusari diu potest, tanta cum utilitate, quum est opus, repræsentet: occultus quidam naturæ sensus, a iudicio et recta ratione confirmatus, per gentes omnes humanum genus docuit, eum, qui id præstaret, excelsum, sublimem, magnum esse virum atque admirandum, dignumque non humanis tantum, sed divinis etiam honoribus; animumque illius magis inter Numina esse, quàm inter quoscunque homines reponendum et collocandum, velut humanitatis conditionem omnem supergressum, quem natura, vel Deus potius, singulari quodam munere ac beneficio simillimum sibi dedisset, in aliorum magis, quàm in ejus ipsius commoda atque utilitates. Maximum quoddam est et singulare in hoc genere a Deo in homines cunctos profectum munus, et quod unum instar sit omnium, quæ expeti, quæ desiderari, quæ cogitari queant, Christus Jesus, homo, et Dei Filius, Deus ipse: hic est ille Jupiter *Servator*, hic ille Hercules *malorum aversor, monstrorum domitor, purgator orbis*: hic quum in sancta illa perpetua atque immutabili ageret pace, ad quàm nec tumultus ullus, nec motus potest pervenire, miseratus hominum discordias et odia, nihil dubitavit ad has nostras se tempestates demittere, ut depulsa discordia atque inimicitiis, pace nos sua illa admirabili, et quæ humanum captum excedit, impartiret: bellum erat hominibus inter se, bellum hominibus cum Angelis, bellum cum Deo: hominem a Deo sejunxerat ac separaverat delictum; idem ipsum et Angelos averterat ab hominibus, et homines inter se ipsos separabat, atque alienabat,

ut

ut persuasionibus ex mente ac ratione depravata invalescentibus, alios dissentientes ac discordes redderet patria, alios natales, alios professio, alios imperium, alios religio et Deorum cultus.

Has tantas, tam diuturnas, tamque acerbas inimicitias Christus in suum corpus recepit, ut quoniam temporaria quadam morte corpus suum erat ad immortalitatem innovaturus, simul cum illa morte extingueret, purgaretque res omnes conditas, odiis illis ac dissensionibus infectas, proferretque puram ac nitentem creaturam, et in primis humanum genus conformatum ac configuratum corpori excellentis suæ beatitudinis, cum quo corpore ipse nos omnes tamquam in aurificis quodam catillo refuderat ac liquefecerat, ut quidquid esset terrenæ sordis, alienæ a præstantia illius cœlestis metalli, igne illo discuteretur ac evanesceret, cetera remanerent adeò pura atque incorrupta, ut nec illa Christus dedignaretur membra sua tanti capitis facere, nec Deus sibi applicare atque adjungere, ut unum simus nos et ille, qui prius et tam eramus propter scelera dissentientes, et propter maculas spurcissimas disjunctissimi; tali est illum specie intuitus Malachias propheta: *Ipse enim quasi ignis conflans, et quasi herba fullonum: et sedebit conflans et emundans argentum, et purgabit filios Levi, et colabit eos quasi aurum, et quasi argentum: et erunt Domino offerentes sacrificia in justitia: et placebit Domino sacrificium Juda et Hierusalem, sicut dies seculi, et sicut anni antiqui*: hæc propheta: ergo ita nostram malam causam suæ optimæ adjunxit, ut quum potentior invalidioris causam in se suscipit, et jus infirmum atque imbecillum fortiori connectitur; seu quum alieni aut parum favorabilis negotium homo in se transfert graciosus: diruta est per Christi sanguinem sepes omnis, et intergerinus paries, quibus hæredia atque ædificia disterminabantur; pacata sunt a tanto pacificatore bella omnia et terrena et cœlestia; rediit homo in gratiam cum Deo; rediit cum Angelis; et ipsi inter se homines jam nec natales habent quos respiciant, nec imperium, nec regionum limites, nec cultus deorum; unus est omnium Pater, unus Dominus, una civitas, Deus unus, una professio baptismatis et fidei; conditi sunt gladii, quos illæ prius distinctiones nudabant ac dstringebant, inter quos hæc cogitan-

tantur, quemadmodum dominus, magister, princeps, pater omnium jubet ac imperat; non surgit gens contra gentem, nec arma induunt, nec gladiatorum est usus ullus, sed juxta vaticinium Isaïæ *in falces conflantur, et lanceæ in vomeres*; ut quæ prius humana transfigebant corpora, jam terram solum, ad communes omnium fructus, publicasque utilitates, vertant atque exercent.

Quàm ostendit se Dei esse Filium paterni operis amator, obsequens voluntatis, ut quum Patrem habeat amoris et concordiae auctorem, ipse tanti sit boni instaurator! Quid potest Filius facere, nisi quod Patrem viderit facientem? Quid facit Pater aliud quàm mitem et benignam condere naturam, conciliatricem ad amorem ac benevolentiam omnium inter se? Quid aliud agit Filius, nisi ut quod odii lolium in hanc segetem inimicus homo superjecit, revellat ac stirpet? Ille ita se gerit Dei naturalis Filius; quisquis vero illum erit æmulatus, Filius erit etiam Dei adoptione ac participatione naturalis: *Beati pacifici*, inquit idem ipse Dei Filius, *quoniam Filii Dei vocabuntur*: non tangitur tantæ rei zelo atque invidentia, ut communem possideat, quam propriam habebit: Filii Dei vocabuntur, quia concordiae amici, et amoris reparatores, cujus est Pater et auctor Deus; Filii Dei participatione, quia naturalis Dei Filii æmulatores voluntatis; adjuutores operis, neque enim in re tam pulchra atque admiranda dubitat gentium magister se attollere, ut etiam se, et sui similes, coadjutores appellet Christi: Quis non exciretur ad tam amplam excelsamque nuncupationem, ad incredibilem dignitatis participatum! Quis non velit coadjutor esse tanti Regis, cui Pater mundum universum, atque Angelos ipsos subjecit! Quis non tanti præmii cupiditate incendatur atque inflammetur! Si Filii Dei, pacifici, si coadjutores Christi, cujus filii, cujus coadjutores, qui spargunt discordiæ semina? qui sparsa alunt augentque? qui rixis, qui dissensionibus gaudent, nec aliter eis pascuntur, quàm suavissimo quodam cibo ac gratissimo? res ipsa loquitur, ut pacifici Filii sunt auctoris pacis, ita et discordiarum odiorumque auctores, Filii sunt auctoris odii: Quid magis contrarium atque inimicum paci et

Filii Dei.

Coadjutores
Christi.

ca-

caritati quàm odium et dissensio? nec aliquid Deo magis adversum magisque inimicum, quàm diabolus: quod si a Deo amor proficiscitur, fieri aliter non potest, quin a diabolo sint dissidia, rixæ, convicia, odia, malevolentia; studiosi concordiae Filii Dei, studiosi discordiæ Filii diaboli: neminem a pacificationis munere licet esse immunem, omnes oportet esse pacificatores, quoniam omnes oportet esse participes hujus tantæ adoptionis, atque adeo homines esse oportet.

Sunt, qui aliquid ad pacificationem possint adferre opere ac re ipsa; sunt qui rem nullam habent: isti voluntatem conferant in commune, et votis faustisque precationibus, interdum quoque exhortationibus, atque incitationibus, adjuvent laborantes: monet tamquam ex alto cives omnes sanctus Propheta, ut rogent *quæ ad pacem sunt Hierusalem*: non prodis ipse in aciem, quia vel natura vires tibi ademit, vel opes fortuna; at certe prodeunt voce, votis, bonis ominibus ad victoriam adjuva; contribue voluntatem, qui facultatem non potes: An tu, quum in opere versatur pacificator, quum commissæ sunt concordia et discordia, id est, causa Dei cum causa diaboli, non saltem affectu, et voluntate, causæ Dei contra causam diaboli favebis, et verba boni ominus proferes? An diabolus males ex certamine victorem discedere? non quòd vinci ullo certamine possit Deus, cujus omnipotentia par est, et præsto voluntati, voluntas immenso consilio innixa; sed id quod ad nostra commoda paravit Deus, potest, ob flagitia nostra ac scelera, diaboli astu ac artibus averti atque impediri, ut non ille frustretur Deum sua voluntate, sed nos utilitatibus ac bonis nostris, quibus jugiter insidiatur intenta in hoc unum et sedula diaboli invidentia: possunt aliquid ad concordiam adferre qui apud humanos valent animos, in quibus sedes est atque origo amoris, odii, consensionis, dissidii, et unitas illa vel disjunctio ac diversitas cordium, quæ inde nomen sumserunt concordiae ac discordiæ; movent animos mortalium hæc fere, *opes primum, quibus oculi et mentes multitudinis perstringuntur, pecunie, possessiones, familiae, clientele*; multum hisce tribuit vulgus, quod non perinde ad judicium rationemque res omnes revocat atque

Omnes oportet esse pacificatores.

Qui possunt esse pacificatores.

ex-

expedit, ut sensu quodam externo adducitur; tum *claritas generis*, quibus nos multum debere propter merita progenitorum arbitramur, illosque non dubitamus præstans quiddam et excelsum præ ceteris habere hominibus, qui illis sint orti parentibus; *honor* quoque, nam id interpretamur signum quoddam atque argumentum virtutis; jam *superior* multum, ut par est, apud inferiorem potest polletque; domi quidem *berus*, cui nos subdunt leges; *pater* et *mater*, quibus natura et pietas; *educator*, *pædagogus*, *institutor*, qui non aliter animos regenerant ad lucem quandam et vitam rationis, quàm parentes hoc corpus.

Publice autem *Lex*, quæ est velut anima quædam, et sensus, et mens civitatis, et per legem *Magistratus*, et *Princeps*, qui est tamquam communis omnium Pater; nec *inferior* apud superiorem caret gratia, hoc enim et natura rerum docet, et recta ratio, ut quidquid alteri curatur, carum sit gratumque illi qui curat, quippe nihil ab ullo fit recte, qui non ex opere delectationem quandam percipit; non equos, non oves, non naves, non domos, non denique artem aut rem aliquam probe curabit, atque exercebit, is qui ex ea ipsa voluptatem non capiat; at delectari nemo potest re aliqua, nisi eam amet, nisi ea jucunda illi sit et cara; quapropter necesse est regentem, atque administrantem, diligere id cui præest gubernando, sive ea sit inanimis res, sensus omnis vitæque expers, sive animata, multo omnium maxime, si sit homo; quem si quis oderit, si aversetur, nunquam sic reget, quemadmodum officium postulat, nempe ut ad illius utilitates qui regitur, omnia referantur (hoc demum enim est regere ac gubernare) non ad suas ipsius, quod est dominum ac tyrannum, non Principem, non Regem, non præsidem hominum ac custodem agere: jam vero quum non aliud in animis non modo hominum, sed cunctorum animantium, fortius aut valentius inveniri possit, quàm amor, utique *Amici* ad quidvis in utramque partem persuadendum magnas et efficacissimas habent vires, ad hortandum, ad dehortandum, impellendum, revocandum, inhibendum, sistendum: in parte amicitiae sunt *propinqui*, quos conciliat sanguis, *cives*, quos patria, quos lex, quos communitio sacrorum et profanorum,

vi-

Vicini, quos magnæ commodorum ultro ac citro rationes: jam, si qua virtute insigni quis præstat vel a natura attributa, vel industria, usu, exercitatione parta et aucta, hunc et suspici et plurimum posse censemus oportere; in hoc numero sunt *Viri fortes*, quibus multum conceditur, tum ob admirationem excelsi animi, adeo ut vetustas deorum genere prognatos crediderit, et heroas appellarit medio quodam genere inter deos ac homines; tum etiam ob usum tuendæ patriæ, et propulsandæ injuriæ a capitibus civium suorum; *Viros* porro *doctrinis ac prudentia excellentes* non aliter sequimur, hisque nos tradimus ac commendamus quàm cæci videntibus, illos enim quid in qua re et rectum et profuturum sit, scire ac perspicere non dubitamus, itaque illis velut ducibus utimur ad vitam; postremo *boni* id possunt in hominum animis ac mentibus ut iis non parere grande sit nefas.

Hæc quidem humana omnia, id est, hominum ad homines; nam est *vis quædam et auctoritas divina*, eam quantum valere apud homines fas, jusque sit, quis potest ignorare? perhibetur hæc primum et exponitur sacris libris et mysticis litteris, quarum sunt interpretes atque administri *qui populum Christi instituendum susceperunt*, sive scriptis monumentis, sive scholasticis professionibus, sive concionibus, atque orationibus, popularibus, sive privatis colloquiis, sive secretis confessionibus noxiarum, in quibus sacerdos, si modo officio ac munere suo probe defungitur, a vitiis dehortatur ac deterret, incitat atque impellit ad pietatem, consolatur mæstos, jacentes tamquam porrecta manu erigit, domat contumaces, lenit asperos, denique quidquid est in pietate vel fractum consolidat, vel pravum corrigit: hi omnes velut vox quædam sunt divina, quorum auctoritatem his verbis sanxit ipse idem Deus et Dominus omnium: *Qui vos audit, me audit*: parant, et humana illa, et divina hæc, magnam hominibus ad homines auctoritatem, suntque omnia velut instrumenta quædam, quæ per mundum Deus in toto hominum genere sparsit, ut quisque nostrum, quoad ejus fieri possit, et operis sui sit coadjutor, et administer voluntatis, ut dum jussis volitisque illius obtemperamus, non illius

beatissimæ naturæ agamus negotium, sed nostrum; neque enim ille habet majus aliquid aut excellentius, in quod crescat ut melior unquam aut felicior evadat; nos sumus qui incrementis virtutis, qui liberatione miseræ calamitatis, indigemus, ut conjunctione tantæ beatitudinis efficiamur beati: at ille, optimus, ac probissimus, nihil unquam nobis in perniciem nostram dederit, filiis, et figmento suo, nec potentissimus, contra suam voluntatem; quod si quodque instrumentum ei operi accommodatur, cui a natura sua est tributum, omnia opera exacta et consummata existent; quod vero sint prava, præpostera, corrupta, non alia fit de causa, quàm quod alienissimis illa instrumentis armisque aggredimur atque exercemus: habet homo

Opes. *opes*, nempe vel pecuniam, vel clientelas, vel familias, vel agros, fundos, villas, et reliquas possessiones; an hæc omnia, vel sordida acervatione ac custodia contineri, vel inani profusione et stulta ostentatione consumi, erit satius, quam ad multorum utilitates et bona publica dispensari?

Quibus tandem rebus locupletes homines melius possunt collocare vel pecuniæ usum, vel famulorum aut clientum vires, quàm si faveant legibus, adjuvent æquitatem, adsint juri ac justitiæ, quorum omnium mentes ac sensus ad solam pacem, concordiamque spectant, ac intendunt? An divites fructum suarum opum existimabunt voluptatem, tamquam pecudes, aut vanam possidendi jactantiam, ut arcæ potius credantur esse, quàm homines, qui aurum continent, non utuntur? *Nobilitas* quæsitæ est per beneficia publica civium, nempe quòd magni aliqui et excelsis animis viri, conservandis civibus, legibus, patria, non solum magnam et strenuam operam, sed se ipsos quoque, quum opus esset, impenderunt: hæc est vera et propria origo nobilitatis, an quid aliud tantum, et ipsis, et toti generi, decus quævisisset? aut cur illis obnoxios se cives sui esse credidissent, nisi grata beneficiorum recordatione? quo modo ergo conservatur honor ille sanguinis, ac natalium, ferendis fovendisque inimicitiis, natus adultusque pace et consensione civium tuenda? Quid sibi vult jus gladii gestandi, quo ignobiles ac plebeji carent homines? an leges novercæ vel hostes

p-

potius sunt suorum civium, quæ ferro armant in perniciem aliorum abusuros, et non potius hoc cogitant, arma illi exhiberi, qui ad justitiam, ad concordiam, ad pacem publicam, quoties res postulabit, utetur, id est, adiutorem se et præsidem legum offeret, quum illis vis aliqua aut injuria inferetur a concitatis animorum motibus atque affectionibus? tantum leges nobilitati fidunt, pro qua majores ejus sponponderunt maximo apud rempublicam pignore posito memoriâ suorum præclare factorum, in quæ velut successores relinquunt imagines sui, non mutas e cera vel luto fictas, sed vivas, atque spirantes, filios, nepotes, totam denique stirpem: Ergo tu, quum contra leges et jura patriæ maleficis et consceleratis hominibus te præbeas, et turbis ac discordiis gaudeas, et bella suscites, hæres ejus nobilitatis haberi postulabis, quæ genita est ferendo auxilio legibus, judiciis, juri, æquitati, quibus civium quies et benevolentia constituitur?

Quid magis alienum, vel ab origine et causa nobilitatis, vel a generosa et miti educatione, quàm odiis et acerbitatibus aliorum delectari, et inimicitiis pasci? an vero id docet comitas et animus excelsus vereque generosus? an suavis illa et germane humana civilisque institutio, qua ceteros mortales antecellere nobilitas dicitur? Quid, illa omnis educatio, ac disciplina, in verbis, et gestu, et externa quadam specie consumetur? nihilne penetrabit ad animum, qui solus, quum sit hominis præcipua pars, ac prope sola, ineducatissimus ac barbarissimus remanebit, spurco et bruto corpore ad humanum quendam et civilem habitum apto et conformato, ut non ita se gerat vir nobilis exteriori conversatione, quia homines sentiat dignos esse ea comitate ac reverentia, sed quia decere existimet natalium suorum claritatem, sic loqui, et gesticulari, et venerationem simulare eorum quos contemnit, et amorem præ se ostentare eorum quos vel odit, vel penitus negligit, ut haud facile interpreteris, utrum eam nobilitatis disciplinam, arrogantem modestiam nomines, an modestam arrogantiam? certe hoc docentur, superbissimum animum personam agere hominis moderatissimi? Non est hæc hominum institutio in quibus,

Sss 2

pri-

primum omnium, mens, qua homines sumus, ad recti atque honesti curam est inflectenda, sed brutorum, ut psittaci, aut canis, quorum linguam et corpus ad ea cogimus, quæ ab interioribus sunt animi sensibus vehementer discrepantia: Quanto est promptius et satius, nobilitatem eadem ratione tueri ac propagare, qua est orta, ut quæ beneficiis in publicum se protulit ac emerit, eisdem ipsis conservetur, et quam auctoritatem nacta est a multitudine, eandem illam auctoritatem ad commoda multitudinis convertat, et gratiam aliquam referat ei, cui tantum debet? Cedo, *honor* *honor* qua in re situm esse existimas? aut quem esse illius fructum opinaris? an quod nudetur caput, cedatur de via, ponatur genu, magnificis titulis compellere? Quis congruit, ut quum tu ea esse credaris virtute ut honorem merearis, virtutis tamen honorisque eam demum esse utilitatem putes, ut vana illa, et a quacunque bonâ re vacua, consequaris? *Ob honorem atque auctoritatem*, dicebat Chrysippus, *semota benefaciendi occasione, manum non verterem.*

O quantas occasiones honorati homines, et in auctoritate ad vulgum positi, maximarum et pulcherrimarum rerum prætermittunt, dum vana illa honoris specie umbraque acquiescunt! Possent veneratione, ac majestate sola, jura et leges fulcire ac sustentare, componere controversias, inimicitias tollere, odia comprimere, ac sedare, quietem, pacem, caritatem in civitate fundare ac constituere, denique ea perficere auctoritate, quæ vix ullis vel armis perficerentur, vel viribus, si non omnia singulari quadam improbitate ac malitia ad se et suas utilitates referrent, Epicureorum more ac sententia, quæ est non solum a philosophia explosa et rejecta, sed a natura, ab educatione, a vita damnata: timent quidam ne detrimentum auctoritatis suæ accipiant, si tam multos curent, et tam multa: Quam falsi sunt reputatione rerum! an major comparari aliunde potest auctoritas, quam dum multi affecti se beneficio abs te recordantur, et dum homines omnes vident te hæc, sive naturæ, sive industriæ, sive existimationis bona, juvandis habere quam plurimis parata, ut non unius esse hominis bona existimentur, sed omnium, nec secus illa vel aspiciat quisque, vel curet, et

con-

conversari studeat, quam propria? laborat quidem interdum in sarcinda concordia animus, auctoritas in tuto est; quod si hæc fluctibus forte nonnullis existimationis prave judicantium alimergit, et in tutum portum molliter descendit in posterum inviolabilis: non unus vel Socrates, vel Q. Fabius Maximus, vel aliquis ex illa vetustate, rei hujus testimonium præbuit, ac posteris documentum, sed quotquot veræ virtutis grassantur via, eò semper loci pervenere, qualem ipsi vix vel optare fuissent ausi; videlicet, melius consulit Deus virtuti, quam ipse vir bonus sibi: O quam flagitiose honorati homines delinquant, qui præstantissimæ occasionis levissimum sibi fructum desumunt, et pulcherrimo omnium in humano genere instrumento ad opus inanissimum abutuntur!

Tu ergo, quum ceu salutare quoddam numen gentibus possis et populis optime consulere, in nudatione capitis, vel assurrectione, tamquam desideriorum sine, et optato quodam salutis portu, conquiesces? etiam te vere sapientem bonumque nuncupabimus, et præferemus nobis ipsis, quum in rebus æstimandis, a quolibet de fæce vulgi naviculatore, vel servo mediastino, non distes? nec erubescas, quum, ut vir sapiens salutabere, a quo tam procul abes actionibus? depone grandia ista nomina, et graves istos honores, quibus mundo imponis, si illis sustinendis es impar, si exequendis quæ illi jubent, vel animus te deficit, vel voluntas: stulte vulgus, cur tu sapientem aut bonum eum vocas, et ut talem revereris, cujus bonitatem, sapientiamque gravem tibi sæpe experiris, utilem nunquam? Sed ad *Superiores* veniamus, nam quia de omnibus est dicendum, non possumus multa de singulis dicere, quod esset alioqui non hujus operis atque instituti: Quæ mens est superioris erga subditum, qui finis, quid suadet ratio, quid loquitur natura ipsa? ut curæ sint superiori subditi tamquam custodi, ut intendat, ut vigilet, quo ii qui reguntur, quieti pacatique in consensione et concordia vitam traducant? Huc pertinent cæterus omnes, et coitiones hominum; in hoc datus est a natura sermo; in hoc parata communio rerum omnium

Superior.

ac

Rex.

ac mutua commercia; in hoc et leges latæ sunt, et magistratus creati sunt, et civitates constitutæ: hæc prima eligendi Regis fuit causa, ut ille in summa omnium potestate sequester esset, vindexque publicæ pacis, illiusque beneficio ac ope, quiete ac concorditer intra una mœnia viveretur: dare operam ut cives dissideant, irritare voluntates, incendere odia, et alere, tam est Regis aut Magistratus, quàm pastoris jugulare oves, aut custodis frugum, eas incendere; rector qui suorum odia, tamquam noxias herbas, postmittit extirpare, sævus tyrannus fit ex Principe justo ac legitimo.

Hoc vero non solum christiani scimus, qui exemplar Principis ab æquitate Christi et divinæ sapientiæ ad homines deducimus, illosque erigimus ut sanctum illum exprimant principatum, aut certe illius vestigiis insistant, sed nec gentiles ignorarunt, ut Plato, Aristoteles, et alii, qui hoc Regem a tyranno differre prodiderunt, quòd Rex pacem inter cives suos curet et colat, tyrannus irriter animos, et spargat semina discordiarum, quæ ubi succreverunt, fovet; nec habet subditos, ut regat, ut illorum utilitatibus prospiciat, qui dissidentes potest videre, sed vel, ut per occasionem dissensionis spoliet ac perdat, vel ad ludos ac delicias suas committat tamquam felem cani, vel duos canes, aut gallinaceos inter se: Quid enim aliud esse hominum aut Principem, sic habere subditos, quomodo pecudes a nobis et bruta animantia possidentur? Regem, Principem, Magistratum elegit populus, ut adsit justitiæ, ut patronus sit ac propugnator legum, ut vinculum concordie civilis; in hoc ipsum confirmat Deus incredibili vi majestatis occulte inditâ; num vel lex ad discordiam est civium lata? vel

Lex.

Deus auctor est dissensionis? et non potius nec Lex aliud inductur, quàm civium pacem et quietum consortium ac convictum, nec Deus aliud jubet quàm caritatem ac mutuam benevolentiam? Nec solum in leges Magistratus et Princeps, quum dignitatem init, jurat, sed nomina illi induntur, queis meminerit conciliatorem se esse communis dilectionis, auctorem et nodum concordie, vindicem pacis, quietis, otii; nam et nuncupatur pius, et clemens, et beneficus, et servator, et in primis

Principis nomina.

pa-

pater patriæ, quo nomine ut nullum est augustius, ita non aliud æque Principem muneris sui admonet, ut intelligat eodem se debere in subditos suos affectu esse, quo est erga filios pater aut mater: multa possunt ex filiis ad parentes redundare acerbissimæ calamitates, sed nulla acrior, nulla atrocior, nulla qua ita affligantur ac consternentur, quàm si illos inimicis inter se animis dissidentes videant; hoc vero telo nullum est aliud, quo parentum corda, quamlibet dura et præfracta, quamlibet ad casus omnes parata atque obfirmata, lætalius transfigantur, ac transverberentur; icru hoc non secus jacent concussi ac prostrati, quàm si viscera inter se concurrant, et pugnent, cor cum pulmonibus, jecur cum splene: Quid enim aliud sunt parentibus liberi, quàm sua ipsorum viscera?

Quid ego vel antiqua ad hanc rem exempla, vel recentia, inducam? an persequar veteres fabulas, et evolvam tragœdias, ut exponam quo dolore affecta est Jocasta filiis bellantibus Polynice atque Eteocle? Quid Philippum Macedoniæ Regem, quid Severum Romanum Principem, mœrore confecerit ac extinxerit, nisi filiorum inter se odia, et inimica certamina? Philippi oratio extat apud Livium, brevis quidem illa, sed ingentis doloris index, et qualem credibile est paternum animum illo tempore concepisse; sed unusquisque id in se experitur; quin etiam qui liberos nunquam genuit, hic nihil necesse habet antiqua rerum gestarum monumenta scrutari; roget quemlibet de plebe; ab omnibus eadem audiet; videlicet, natura in hoc mutata non est, una omnibus seculis, eadem, sique similis perseverat: Quid? patres morientes, posteaquam universis vitæ hujus vel blandimentis, vel curis renuntiarunt, adhuc tamen una sollicitudine premuntur, ut filios concordem relinquant: hinc apud omnes rerum scriptores in hoc fere consumuntur orationes morientium, ut liberos, si quos relinquunt, aut nepotes, denique eos quos filiorum loco habeant, ad concordiam, benevolentiam, caritatem exhortentur: sic Cyrus major moriens apud Xenophontem; sic Micipsa apud Sallustium: Quid? femina illa Juliensis, cujus mortem Valerius narrat, quum ipsa voluntario veneni haustu e vita discederet, quum jam ex-

tre-

tremum vale dixisset humanis rebus, fortiter a se spretis contemptisque, in illa vitæ ac mortis securitate, unica residet cura concordiae suorum: talem omnino animum, mentem, sensum oportet esse Regis ac Magistratus in eos quibus præstet, si vere is est qui nominatur, et non in feram degeneravit sævisimam: si generosus Principis animus, altioribus ad imitationem, pulchrioribusque exemplaribus capitur, habet Deum, habet viciniorem sibi, et ejusdem naturæ Christum JESUM, cujus caput, et summa divinæ orationis, in exhortatione suorum ad unanimitatem, verumque ac germanum amorem versabatur: hæc erit, inquit, nota mea, hoc signum, quo intelligant homines vos esse meos, *in vicem diligere*, ac bene cupere; nec solum ita inter se suos voluit esse affectos, sed cum alienis: *Diligite*, inquit, *inimicos vestros, orate pro affligentibus, et persequentibus vos.*

Neque vero ipse ita se gessit, ut contentus præcepisse, subdlexerit se se suis ipsius monitis exequendis: Quia caritate, qua pietate complexus est suos! quam omnes suppullulantes discordiæ inter illos radicularum statim evulsit! quomodo se ipsum morti prudens ac videns obtulit, ut omnem a suis discordiam, omnes inimicitias expelleret, et atrocissimum bellum festa pace finiret, et sempiternam constitueret ac constabiliret inter omnes unionem! Principi proximus est ejus *Consiliarius*, non modo auctoritate et loco, verum etiam potentia; nec raro est Principe potentior ac pollentior, quum hic persæpe imperii habeat nomen, rem ille: caput regni est Princeps, id est, sensus, voluntas, mens, ratio sui populi: ita esse oportet, et profecto esset, ni cupiditates ac libidines animi tantum in unoquoque juris ac ditionis occupassent: illud est in hoc rerum statu reliquum, ut Rex voluntas sit regni, consilii vero mens ejus, et ratio, et id quod nomen ipsum loquitur, consilium; cujus rei aptissimam concepit ac expressit imaginem, qui dixit, *Præstare malum esse Principem cum bonis consiliariis, quam bonum cum malis*: Quod ergo est tandem consilii munus? quæ partes? (non est opus longa vel procul repetita expositione, res ipsa nos docet) quod mentis et rationis in animo, regere ac cohibere voluntatem, docere meliora, deterrere a pravis, monere,

in-

incitare, extimulare ad pulchra et præstantia, ad omne genus honestatis et laudis: Quale, quàm contra rerum naturam esset monstrum, si ipsa ratio, quam etiam gentilis Aristoteles cognovit ad optima nos semper adhortari, suadeat pessima, et iudicium ac sanitas mentis hominem ad insaniam rapiat? Bella et discordiæ ex perturbatis oriuntur affectionibus, pax et concordia e ratione ac mente: si consilii discordiam excitent, si illi faveant, desciscunt a se ipsis, corruptoresque veritus nominentur, quàm consultores: si regis affectibus per se concitatis consiliorum etiam ardentibus affectibus accedant, et quidem cum auctoritate et fide, quantum erit incendium? quæ ruina? quis poterit cadentes sistere res humanas? si quæ turba posita est in castris ut receptui det signum, ea ipsa ad aciem et pugnam vocet, quis erit finis bellandi? Quum fons sit communis omnium Rex, unde universi hauriunt, et medicina quietis publica, in quam unam intentos cuncti habent oculos, huic si venenum sit infusum ab iis ipsis qui illi sunt vel perpurgandæ, vel conservandæ adjuncti, quis ullam poterit in posterum salutis micam sperare? Quantus se aperit et quàm late patens campus! qui tamen non est in præsentia nobis decurrendus, quippe de consilii officio non scribimus; itaque pergamus instituto nostro dicere.

Publicus pater est Princeps ac Magistratus, *privatus* paucorum est magister, domesticus est *maritus*, et qui nec patris caret nomine, *pater familiae*: quod si hi omnes affectu sunt et paterno quodam sensu in eos quos regunt, quid poterunt aversari magis quàm vel discipulorum, vel uxoris, vel familiae dissidia atque odium, id est, cæcitatem quandam et furorem mentis? *Magister atque institutor*, quum formator sit morum ad modestiam, moderationem, temperantiam, humanitatem, id est, ad animi placidam quandam tranquillitatem cum suavitate, et benevolentia erga alios, quid poterit congruentius cum munere ac professione sua facere, quàm adhortari, impellere quantum consilio, jussu, auctoritate, verbis et re valeat, in concordia et amicitia discipulos continere, non solum ipsos inter se, sed adversus alios, ut quæ præcepta ab institutore ipso

Magister.

acceperunt, non ad verba et inanem quandam vel disputandi ostentationem, vel disserendi convertant, sed in corpus et sanguinem transferant, ut simul quanta sit vis illorum præceptorum, omnes intelligant, quæ non in verbis solum et levi quadam aura evanescunt, sed ita alte in animos penetrant, ut ad res atque opera transeant? in quo magister et probissime erit perfunctus officio suo ac munere, et maximam operæ suæ laudem fructumque colliget, sive humanis vocibus aliquid tribuendum censeat, sive, quod est veri atque absoluti sapientis, altius sibi spectandum statuatur, et testimonio conscientiæ suæ velit acquiescere, præmiumque expectet illud a Deo sempiternum: hoc demum est magistri, hoc philosophi, hoc sapientiæ, hoc cujusque eruditionis professoris; est enim eruditio omnis, cultus quidam animi, quo ruditatem, feritatem, duros, asperos, barbaros atque inhumanos mores deponimus, civilitatem atque humanitatem sumimus, ut alienius nihil sit ab omni litterarum atque studiorum ratione, quàm dissidia, discordiæ, odia, malevolentia, id est, quàm inhumanitas ab humanitate.

Eruditio.

Ad exacuenda puerorum ingenia, et diligentiam excitandam, facile quidem conceditur, ut levia quædam inter eos certamina suscitaret magister ludi, et tamquam eos committat; sed rem citra acerbicatem atque odia debere subsistere, nemo ignorat; nam si ad odia, si ad rixas et convicia res sit progressura, tolli certamen omne fuerit consultius, ne dum haurire se eruditionem arbitrantur, perniciosum animis venenum imbibant, et quum in hoc parata sit omnis eruditio, ut tamquam compositio quædam sit animi, et aptatio ad virtutem, ut animus per eruditionem purgatus, atque excultus, excipiendæ virtuti accommodus sit atque idoneus, nos eam in vitiorum et scelerum omnium gradum atque instrumentum commutemus; quandoquidem non est crimen ullum aut scelus, cui odium et discordia viam non aperiat, nempe dux et parens superbiæ unde reliqua omnia scelera dimanant, ut appareat non minus magistrorum diligentiam curamque in hoc debere excubare, ut discipulos ad benevolentiam ac dilectionem pronos redderent, ab acerbitate omni animorum et odio averterent ab abducerent,

quàm

quàm ut iis artibus et disciplinis pulchre instituerent, quas tradendas susceperunt: hanc operam dandum est præceptoribus ætatum omnium, ut si quid vel a natura inditum sit, vel ab institutione acceptum, vel ab usu confirmatum, mite, suave, amabile, humanum, id foveant, nutriant, educent, educant, confirmant, in pueris; ne molles illi ac teneri animi, et in quidvis fingi cerei, prius fere incipiant male velle, quàm omnino velle, et odisse sciant, antequam cognoscere, neve massa illa mollis, quæ sensim durescit, cum pessimo odii glutino coalescat, et induretur: Quid alienius a ratione, a mente, a recto consilio et sano, quàm novis puerorum pectoribus acerbicatem, amarulentiam, virus exitiabile, initio protinus instillare? Si nefarius est, et non uno supplicio, nec una morte dignus, qui semina sulcis mandanda malis venenis inficit, quid censebitur meritis is qui puerilia ista semina, unde magnæ deinceps surgunt arbores, et amplissimæ segetes, tam pravus rudimentis corruerit? Quanto præstaret, domi retinere puerum, quàm eò mittere, ubi prius disceret male facere, quàm scire quid omnino bonum sit, quid malum!

Jam, ardor ille et impetus juvenilis animi, non est discordiæ stimulis pungendus, id est, quod Pythagoras ænigmate inquit, *Non addendus igni gladius*: Quàm ætatem magis convenit coerceri ac refrenari, interdum quoque lupatis et asperri-mis echinis, quàm illam quæ suapte natura stare loco nescit? quæ prona et præceps ad dissensiones fervore suo? Si huic tam ex se se commoto atque incitato vel habenas relaxet moderator, quò sperabit illum deventurum nisi in altissimam aliquam voraginem, unde se nunquam in posterum possit extricare? Quid faciet *profectionum præceptor*, et ut Græco dicitur verbo, γοτροντο-ιδάσκαλος? an is, refrigeratas ætatis beneficio immodicas illas flammæ, rursus pestilentis linguæ aura suscitabit, et convertet veteranum pullum suum decurso jam fere spatio iterum ad carceres? quid magis ætatem illam decebit, quàm pax animi, et quies, et benevolentia cum multis, cum nullo odium ac dissensio? quorsum ergo scholas ætate illa ingreditur? cur jam annis gravis in gymnasio se exercet? quid in auditorio sedet

rugis et canis venerandus, nisi ut quod assequi per annos non potuit, disciplinæ beneficio ac subsidio consequatur? Quid, tu illum non solum tam justo et probò voto frustraberis, sed pejorem etiam domum remittes quam ad te venerat magistrum et professorem sapientiæ, tantumque aberit ut aliquid ex iis, quæ concupierat, apud te adipiscatur, ut etiam si quid boni recedentes anni reliquerant, perdat, dum te audit? Ergo institutor pueri, ac juvenis, qui discipuli non magis imbuendum doctrina sua pectus, quam fingendum animum recepit, ad omnem mansuetudinem, humanitatem, amorem formabit ac circumbabit discipulum; et magister natu grandioris, non solum nullas injiciet inimicitiarum flammam in cor auditoris, sed si quæ aliunde transilierint, omni cura atque opera extinguere laborabit; sciet, omnem suam eruditionem in animum discipuli nunquam penetraturam, nisi is quietus sit, nulla intus tempestate docentis voci obstrepente, et quasi tumultuante pro foribus, ne quid eò ingrediatur, ita ut velit maxime oblivisci sui muneris ac partium doctor sapientiæ, ut aliarum rerum omnium; certe paci et quieti auditoris dabit operam, qui reputet frustra clamaturum se, nisi quieto sedatoque pectore audientis: si exemplum alicunde repetendum est, quid opus erit vel vetustum Pythagoræ institutum ac morem repetere, cujus schola non tam erat arrium meditatio, quam amicitia? quid Socratis? quid Platonis? Optima sunt ad imitationem omnibus proponenda; assequatur quisque ex eo, quantum vires sufficient; utique assequetur non parum, si sequatur sedulo ac bona fide: Christus est exemplar hoc, et ut græci dicunt *πρῶτος μόνον*; Quid aliud fuit universa cœlestis illius scholæ doctrina, nisi caritas? quis huc descensus, nisi reconciliatio, gratia, pax?

Maritus.

Jam *maritus*, et quod uxorem, uti par est, diligit, optabit ac efficiet, quoad poterit, ut procul ab ejus animo absit cruentissima illa animorum crux, odium, atque inimicitia, et quod bene vult prospectum suæ familiari rei, dabit operam, ne familiæ, in curam et cogitationem simultarum aversæ, parum vacet domestica munia obire: duo sunt animi potentissimi affectus, et cœu tyranni quidam, amor atque odium; amor

sua

suavitate quadam et dulcedine delinitus, odium autem acerbitate perfusum, omnia animi munera in jus suum ac possessionem pertrahunt, et sibi unis cogunt servire: ergo susceptis semel inimicitia, tamquam justitio in civitate indicto, cessant omnes animi functiones, odio soli opera navatur; quocirca illud est in primis cavendum iis qui sunt officium aliquod exequuturi, ne ab eo procul expellantur, odii tamquam tormento in animum adacto, et iis, quorum e re est illos probe defungi suo munere, vehementer expedit accurare, ac elaborare; ut illi quieti, tranquillique, odiorum turbis non interpellari, atque impediti, intenti atque alacres in id, quod agendum est, incumbant; hac mente oportet esse superiores erga inferiores, Magistratus, et Principes, et consiliarios erga cives, patres in filios, heros in servos, virum in uxorem, et contrà, subditos in Principem, servos in herum, discipulos in præceptorem; si quidem tam conducit superioribus inferiores esse in officio, quam inferioribus superiores, utrisque plurimum; neque enim constare potest apta illa harmonia et concentus rerum, nisi quisque erga alium munus atque officium suum diligenter, ac bona, quod dicitur, fide, obeat: et quemadmodum compositio hæc universitatis mundi confestim interiret, si vel cœlum desineret salutare illam suam vim terræ immittere, vel terra excipere, illaque ad usus mortalium uti ac dispensare, ita in civitate, et quacunque domo, ac re familiari, omnia pessum eant et dissolvantur necesse est, si is qui præest, aliis curis a gubernaculo discedat, et qui subditus est, non præipientis voci ac voluntati obtemperet, sed animo quisque suo.

Hoc vero sæpenumero usu venit justo præmio malitiæ, ut qui inter aliquos inimicitias optavit et aluit, ita exasperavit eorum inter se animos, ut illi facile in Quosvis irritatos animi impetus convertant, etiam in illos ipsos auctores dissidii, et tamquam gladiationum lanistas, quemadmodum bestia feræ accensæ et irritatæ sævitiem illam suam in ipsos non raro magistros convertunt, et ignis vehementer accensus scintillas jaculatur in eorum ora qui insufflarunt atque accenderunt; id videmus passim et publice in civitatibus et regnis, et privatim in

vi-

viciniis et domibus accidere: ergo domi suæ *paterfamilias* concordiam fovebit, ut diligentiores sint omnes in officio, memor sapientis sententiæ, quam a Pythagora profectam esse scribit Divus Hieronymus: *Fuganda sunt omnibus modis, et abscindenda, languor a corpore, imperitia ab animo, luxuria a ventre, a civitate seditio, a domo discordia, et in commune, a cunctis rebus intemperantia*: magnopere auctoritatem in publicum lædit esse domi discordias ac simultates; quis credet civitatem ab eo posse in pace ac consensione contineri, qui propriam domum non queat regere? Philippus Macedoniae Rex, quum dissidentes Græciæ populos ad pacem conaretur adducere, et Leontinus Gorgias de Græcorum concordia librum accuratissimum in Olympia recitasset, uterque est a multitudine rejectus, ac irrisus, quòd de aliena concordia verba facerent, qui ipsi domi suæ non possent concordiam stabilire; nam Rex domi dissidentes habebat filium et uxorem, orator vero uxorem et ancillam: non adducebantur Græci, ut crederent suas querelas, rixas, discordias ab iis hominibus sapienter posse componi, qui ipsi privatas domi, vel auctoritate, vel prudentia, non sedassent.

Inferiores.

Subditi tam debent dissensiones Principum optare, aut illis favere, quàm membra, ut caput vehementi aliquo motu quatiatur: Principibus, in curam belli aversis, atque incumbentibus, nec republicas vacat regere, nec de privatis caussis cognoscere, nec singulorum querelas audire, quæ ad illum ceu patrem quendam a filiis deferuntur; exasperatus est Principis animus in bello, et efferatur magis in dies, sive dum dat cladem, sive dum accipit, et indignissimum censet privatas ad se querimonias deferri, quum ipse de capite, de salute sua, de rerum summa, vel de magna aliqua ditionis parte in periculum vocetur, non aliter rebus pacis ac togæ ferox infensusque, quàm si quis equo de equa cum pare pugnanti frenum velit injicere, et ad domestica opera revocare: Quæ insania est subditorum, bellum ulla ratione optare, et non ad belli mentionem toto prorsus corpore inhorrescere, quum illinc fons existat omnibus incommodorum et malorum omnium? quum omnes dico, paucissimos quosdam excipio, latrones crudelissimos ac impurissimos,

mos, quibus sub jure et æquitate vitam vel diem unum proferre non liceret: quantum auctoritate, quantum suadendo, admonendo, hortando, precando, denique quibuscunque rebus subditum erga superiorem tamquam filium adversus patrem valere ac posse fas jusque est, salva majestate omni ac reverentia Magistratus ac Principis, tantum laborare ac contendere deberent, ut Principem suum et conventus rectorem a turbis illis odii ac tempestatibus ad quietissimam pacis tranquillitatem traducerent; ut ex illa suavitate capitis multum in cetera omnia membra derivaretur: *Quid filius?* potesne pius existimari, qui patri odium adversus quenquam vel optet, vel alat, id est, sævissimum animi morbum imprectur, et non potius, si quis talis morbus extiterit, non aliter sanandum atque avertendum curet quàm periculosam aliquam corporis ægrotationem? *Potesne pius filius perferre patrem undis illis atque æstibus fluctuantis cordis volvi et jactari, obsideri cæcitate mentis, agitari furiis atque intemperis?* quid enim aliud est odium quàm hæc omnia? *Discipuli*, quid possunt recti, aut sani, aut profuturi ex eo fonte haurire, qui odii venenis est profusus ac imbutus? *Quis adeo est viator mentis impos, qui sitim ex fonte aliquo levaturus, non, quantum fieri ab ipso potest, purgat immundam aquam, et cœnosam ac turbidam eliquat, quam est in corpus infusus, ne noxia pro salutaribus sumat?*

Filius.

Discipuli.

Expositum est mihi alio in loco, quàm nulla eruditio vel percipi, ac teneri, vel ad alios perferri queat, sine pace et quiete animi: jam, *uxor* abutetur viro suo pro lenone, et instrumentum faciet levitatis animi sui ad explendum odium aut cupiditatem aliquam? *Sceleratam illam conjugem, quæ conjugem suum ad inimicitias extimulat et accendit!* stultum illum virum, qui se muliebris stultitiæ administrum præbet! quomodo vero marito utetur, commodo, et ex animi sui sententia, inimicitias percito, et ardenti, cogitatione omni in eam curam incumbente? quid, quod ille impetum omnem conceptæ acerbatis in quodcunque primum fors obtulerit, effundet; atque eo magis et acrius, si hoc sibi licere in illud putet, ut viro in uxorem, hero in famulos; ut quum sessor ira percussus

Uxor.

in

in equum ascendit, nec frenis, nec calcaribus parcit, nec pugnis, nec ferro, si sit ad manum, et ferventem illum sanguinem in miserum atque innoxium equum despumat, quando quidem is infelicitate sua proximus irato contigit; nec immerito Plutarchus *nihil magis fugiendum evitandumque servis docet, quam iram domini, a nulla alia mentis perturbatione majus esse famalis periculum, etiamsi ea sit in alios concepta: In vicinia, in civitate*, quid dulcius, quid amabilius aut gratius, quam superfusam esse concordiam, tamquam serenam quandam et tranquillam aërem per campos et prata adulto vere? Rident omnia, abblandiuntur, vocant, invitant, detinent; ita, videmus homines permultos, magni et iudicii et rerum usus, peragratis conspectisque regionibus terra et mari quam plurimis, oblitos patriæ et omnium necessitudinum, ibi sistere, et finem tum peregrinandi, tum etiam vivendi facere, ubi vel moribus atque instituto majorum, vel mansuetudine ingeniorum, quietissime ac placidissime vivatur; ibi ducunt esse patriam, ibi parentes, ibi cara omnia pignora et nomina, ubicunque iustitia et pax et concordia colantur; exilium esse, ubi civis civi vel advenæ facessat negotium, ubi vicinus vel curiosus, vel turbulentus vicino sit molestus, ubi animum propinquus, amicus, leviter notus, ignotus, sollicitet, et de quiete illa dimoveat ac deturbet; neque hæc modo pati est intolerabile, sed vel videre, et spectare ita est acerbum, ut multi satius ducant domos et patrias suas ac suorum majorum relinquere, et alio quam longissime demigrare, quò nullus possit earum rerum sensus pertingere, non aspectus, non auditio, non intellectus denique, aut cognitio prorsus ulla.

Quis potest lætus odia, dissensiones suorum civium aut vicinorum videre, qui sciat tempestatem illam vel subito, vel sensim, certe aliquando, se ad ipsum effusuram? Hominem ne aliquem ita alienis inimicitiis delectari, ut tempestatem excitet in eo ipso mari in quo ipse navigat? Nam quid aliud est civitas, quid vicinia, quam idem mare, idem iter, eadem navis, qua vicini vel incolæ vehuntur? Quis possit enumerare, sinistra illæ interpretationes quot sint malorum in civitate causa atque origo

si.

simultatum, odiorum, litium, rixarum, pugnarum? et maligne alienis invertendis æquissimam quidem in nos, sed tamen asperimam legem sancimus, ut nihil tam recte, tam simpliciter, tam circumspecte possit quis vel agere vel dicere, quod non ilico in pejorem ab aliis partem rapiatur, eâ illâ formulâ interpretandi, quam idem ipse edocuit, pessimus ut in alios omnes magister, ita in se ipsum: *Amicus* qui amicum videre cupit discordem, qui non, quacunquē potest, dat operam ut reponat in gratiam adversarii, hunc oportet non esse amicum, nec amare, nec amici rebus adversis commoveri aut tangi, sed esse veneno infectum, nempe simulatione amicitiae ad suas aliquas utilitates et commoda, vel malitia, qua non tam cupit habere amicum, quam obnoxium per alienas inimicitias, atque adeo servum quem premat, cui quidvis imperet coacto præsentī necessitate, quia ope illius atque auxilio indiget, metuens ne deseratur ab amico in discrimine: *Viri fortes*, quum in hoc potissimum intentum sit generosum illorum pectus, ac vigilet, ne cui fiat injuria, non tam debent curare ut factam propulsent, quam ne fiat omnino; non aliter quam justos, non adeo deest illud optare, ut puniantur qui peccarint, ac ne quis velit peccare; hoc sibi destinarunt leges, huic rei medicinam conantur ac remedium adhibere, ne quis noceat, ne pacem conturbet, ne quietem consternet ac pervertat, denique ut velut antidotum adferant contra adventantes morbos, quo sanitas conservetur; nam si viri fortes materiam quærunt virtutis suæ exercendæ, an majorem requirunt, quam obviam ire malis erumpentibus, arcere injurias sensim prorepentes, ne se proferant, ne existant? parum ne habet medicus negotii, qui in corpore valedudinario laborat ne serpat morbus ne invalescat?

Non est viri fortis, et magni atque excelsi animi, optare adversa quibus se exerceat, quibus vincendis domandisque illam desidētis virtutis quasi rubiginem extergat, sed ubi vel casibus, vel hominum vitiis ac sceleribus, acciderunt, præsentī cum illis animo congregi ac pugnare; perfert quidem vir fortis adversa, non eligit; num qui virtutem vult suam inclarescere, nimirum is oculos quærīt a quibus claritas spectetur? qui non

Tom. V.

Vvv

dat

Vicinia.

Amicus.

Viri fortes.

dat sui præclara facinora oculis conscientia, sed hominum, ostentator est magis, quam bonus, et fortiter agit amore laudis, non virtutis; optare bellum et discordiam, quod rabie ac carnificina illa delecteris, quid immanius quam sanguine oculos pascere, et humanum animum inhumanitate reficere, ac recreare? Si spectet prædam, quid avarius, aut verius quid magis latronis et quidem sævissimi, qui jugulat non contemptus spoliasset? nam sunt quidam in illa inhumanitate humaniores, qui nihil præter spoliū petant; sin gloriam facias finem discordiæ ac belli, quid crudeliter stultius aut vanius, qui per scelera et nefanda facinora famam boni et magni viri aucuperis? Quod si hoc fortitudinis nomen tantopere expetis, aut omnino pati non potes actuosam et igneam illam vim quiescere, non est quod penuriâ materiæ conqueraris; ne extra te egreditor, aut vagator; fortassis non erit semper quod agas foris, domi intra te ipsum nunquam deerit; redi ad te obsessum atque oppugnatum tot fortunæ casibus, tot naturæ incommodis, tanta imbecillitate, tot morbis, tanta animi impotentia sævissimis ac importunissimis tyrannis subdita, et ab eis agitata; quid tu alienam civitatem oppugnatum aut propugnatum venis, qui tuam obsessam et in extremo periculo deseris? tu alienis uxoribus ac liberis fers opem, quum tuam opem tui liberi ac conjux implorent? Non potest pati quietem vir fortis, tumultus alienos curat, et præsidem se offert alienæ domui, quum ex sua hostes agant prædas, et jam ardentes faces tectis subjiciant?

Materialiam tu fortitudinis a me poscis, qui tecum hostem semper habes te ipsum? An ullam majorem fortitudinem esse arbitraris, aut alios Gallos Hispanus in Italia quæris, vel Hispanos Gallus, quam animum tuum, qui semper tecum, id est, cum mente, judicio, ratione, hoc est, cum homine ipso præliatur? in quo vincendo, cave laudem ullam fortitudinis amplioem esse arbitrare; hanc, etiam qui gentes ac populos subjecerant, non sunt consecuti; Quam fœdus, quam imbecillus erat Achilles ille Homericus, quam non dignus ea quam illi circumponit Homerus personam, qui post Thebas Ciliciæ, post Cyprum, et alias permultas insignes victorias, victus prostratusque

que exigua injuriola, attollere se nullo potest pacto, non legatione amicissimorum Regum, non precibus, non muneribus, non præsentis gentis suæ periculo! Quid aliud testatur, quam se ab impotentia animi victum, fractumque, resumere in manus arma non valere? Quid Alexandrum, qui alios permultos, vicit nisi hostis internus? hæc est victoria rara, singularis, admiranda; hujus gloria et vehementer hominum animos permovet, et diuturnior est quam illa cædibus, et immanitate parta: ergo illud est fortium atque excelsorum, pacem et in se et in aliis curare, et in hoc fortitudinis suæ vires atque auctoritatem consumere, ut sit quies ac concordia, ut credant robur illud animorum, nihil esse aliud quam pacis, et justitiæ, et quietis aram, et publicum quoddam patrociniū. Quid refert, manu et armis pacem paraveris post bellum, an auctoritate bellum nascens compresseris, et fugientem jam pacem cedentemque furori incitatorum animorum, tamquam injecta manu domum et in civitatem reduxeris? certè utrumque bellum ipse confecisti, utriusque pacis es auctor, sed hōc feliciter illud incruentum, quod sine periculo tuo, sine multorum certa clade; tum etiam pulchrius, ac præclarius, quanto præstantius est res egregias, et magna laude dignas, animi quam corporis viribus perficere; animo enim sumus homines, corpore a bestiis nihil aut parum admodum distamus, nec corporis vel viribus, vel celeritate, quantumcunque eæ increscant, bestiarum permultis pares esse possumus, utique nec illæ ingenio, mente, virtute nobiscum poterunt unquam comparari; hæc sunt hominum; his qui laudantur, laudes consequuntur magnis et excellentibus hominibus dignas.

Milites in numero se et loco virorum fortium collocari efflagitant; in quo ordine duo sunt genera, alterum eorum qui stipendii gratia sequuntur signa, vel qui ex civitatibus ad castra tamquam ad asylum quoddam perfugerint desidiæ aut impunitatis; inter hos, et carnifices, aut latrones aliquos, non video quid intersit; sunt alii, tametsi rari, nonnulli tamen, ex veriore quadam et meliore militum nota, qui suas manus, arma, corpora salutis reipublicæ aut Principis devoverunt; hos existimare oportet se præsidem et tutores et custodes esse reipublicæ

blicæ, vel capitis ac mentis reipublicæ, Principis; at rempublicam non ignorant quandam esse velut conglutinationem civium per justitiam, neque enim aliud est civitas quàm hominum conventus lege ac justitia constitutus et firmatus; quod si milites custodire assignatum locum volunt, si manere in statione, si conservare quod tuendum defendendumque susceperunt, necesse est justitiæ, juri, legibus præsto adsint, pacem, quietem, concordiam, foveant, conservent, propugnent, quo mens, sensus, voces, justitiæ omnes tendunt, in quibus situs est finis universarum justitiæ actionum; denique ea quæ de viris fortibus sunt a me modo posita, de se ipsis dicta esse putent: *Eruditus* quid aliud discit in scholis, quàm ruditatem illam, et tenebras, et barbariam exuere, quantum doctrinæ beneficio progredi ac ope potest, quæ omnia scelus per humanos animos contraxit? Quid porro est barbarius, quàm inimicitiiis, pugnis, et commissis ad crudelitatem animis aut corporibus, delectari? Tum, liber tantis malis ac morbis animus formatur ad mansuetudinem atque humanitatem; unde institutionem ad bonas artes, *humanitatem* veteres appellabant; an vero, spectaculum est humanitate dignum, videre inter homines quæ belluarum sunt, non hominum, dissidia, simultates, odium, rabiem ferarum teterrimarum? Quàm indecorum est docto homine, non plus bono multorum prodesse, quàm quemvis de vulgo et inerudita multitudine!

Quorsum ergo tantarum rerum cognitio? quorsum tot acuta argumenta? tot graviter excogitata, dicta, responsa, de pace, de concordia, de bello? tanta linguæ facundia, et illa per hæc tanta bona parata auctoritas? quibus tandem in rebus consumentur opes et copiæ tantopere præclaræ? an in excitandis aut alendis dissensionibus, ut ad illa ipsa redeas, quæ ut effugeres, in scholam te tamquam in tutissimum aliquem portum recepisti? an ut voces et venerationem hominum colligas? quid est fœdus, aut quod opus alienius est a facultate tantorum instrumentorum? num non aperte hæc ipsa testantur et clamant se, vel a natura, vel a Deo ad homines propter hominum utilitates esse missa? num non se in sarcienda et

con-

conservanda concordia exerceri volunt, postulant, et quasi jure suo repetunt et contendunt? quid poterit agere majus aut præstabilius vir doctus, aut congruentius admirandis illis ingenii ornamentis? Qua tandem in re melius, aut se dignius, exercebit acumen illud ingenii ac judicii, illam copiam ac varietatem rerum, illam cognitionem naturæ et totius memoriæ antiquitatis, illam disertis sermonis eloquentiam? an ut de deorum insaniis atque impietate aliquid commentetur, aut celebret vetera vel recentia latrocinia, et eorum tempora diligenter ac anxie consignet, aut argutias quæstionum, ac disputationum araneas texat et retexat? aut inquiret ea quæ nec inveniet, nec inventa in ullum poterit accommodare vitæ usum? Percurrat omnia, nihil reperiet quod æque debeat facere vir tantis Dei muneribus instructus, quàm homines pro virili sua ad concordiam exhortari atque impellere, hoc est, ad similitudinem quandam Dei et conjunctionem sustollere, a diaboli partibus ad Dei partes traducere: hoc demum est fungi vero munere hominis eruditi ac sapientis, in quo et prodest, quibus prodesse eum Deus voluit tantâ tributâ ejus rei facultate, et quatenus potest, refert ei gratiam quodammodo aliquam, a quo accepit tam multa pulchra sane et admirabilia.

At bonus, et mansuefacta natura sua oderit ac detestabitur inimicitias haud secus, quàm caput et seminarium vitiorum omnium, et hoc eum docebit bonitas, ut multis prosit, ut quum se felicissimum esse videat, quòd odio, ira, inimicitiiis est liberatus, consecutus virtutem, et per eam incredibilem in animo tranquillitatem pacemque, alios cupiet eodem adducere quo ipse pervenit; neque enim est invida natura boni, nec quidquam esset illo miserius, qui felicitatem est per virtutem adeptus, si invideret aliis bona suis similia, si metueret ne quis eo ascenderet quo ipse: ergo et dissentientes inter se miserebitur is qui sciet quanto illi bono se fraudent, nempe quiete et concordia, et dabit quàm poterit maximam operam ut tantæ illos infelicitati eximat: sequitur *Auctoritas divina*, de qua prius quàm dico, velim ut qui discordiis vel delectatur, vel dat operam, in ipsam discordiam, et se auctore dis-

Vir bonus.

si-

sidentes, intueatur: Vis tu propter suspiciunculam aliquam, aut animi tui pravam cupiditatem, disjungi ac divelli conjunctos sacris, legibus, civitate? vis tu segregari eos qui sunt ex eodem grege, collegio, sodalitate, studiis, artibus? exigis ut amicus oderit amicum, magister discipulum, aut contra hic præceptorem, frater insectetur fratrem, filio male velit mater? quid vis? quid possis? quid concupiscis? quid contendis? O impium et nefarium, sive quia id speras, sive quia cupis, et aggredieris! *Sex sunt*, inquit sapiens, *quæ odit dominus, oculos sublimes, linguam mendacem, manus effundentes innoxium sanguinem, cor machinans cogitationes pessimas, pedes veloces ad currendum in malum proferentem mendacia, testem fallacem; sed super hæc omnia, septimum detestatur eum qui seminat inter fratres discordias*: An vero fratres sunt ulli certiores aut magis germani, quàm quos genuit Deus, regenuit Christus, ut eundem habeant duplici nomine patrem communem? Jam, qui resides et quietos animos ad motum et inimicitias suscitatur, perinde facit ac qui in confertam turbam hamatum ac venenatum mittit jaculum, incertus quem feriet; putat se frequenter duos committere, quos pugnantes libens ac lætus spectabit; involvit una patrem suum, fratrem, filium, amicissima, carissima capita, quæ ipse longissime a tumultu ac molestia omni abesse magno æstimaret, non raro etiam semetipsum.

Cæca est libido illa discordiæ excitandæ, et multarum rerum improvida; si aperiret oculos, et tamquam picta in tabella ea cerneret mala quæ nascuntur ex bello, quæ ex dissidiis ac odiis etiam privatorum, raptus, spoliationes, violentias, incendia, ruinas, cædes, cujusmodi in tertio de Concordia volumine explicuimus, neminem credo tam immani feritate imbutum esse, qui vellet cujusquam animum ad odium atque inimicitias inflammare: Proh Deum immortalem! esse hominum ullum, qui quum recordetur auctorem se, originem, causam fuisse tot malorum, habeat tamen reliquum aliquid cur illi jucunda esse in posterum vita possit, et hic communis aër gratus, quem ipse tot sceleratis cogitationibus primum, hinc fœdis facinoribus contaminavit! Atqui hominis est futura providere,

spec-

spectare finem; nam ea potissimum re a brutis animantibus distamus, quæ demisso in terram capite præsentia tantum intuentur, ventri serviunt; homo autem erectus ventura prospicit, non voluptatibus corporis, animi libidinibus ancillatur, sed judicio, consilio, rationi, virtuti obtemperat; qui aliter vivit, faciem quidem habet hominis, ingenium vero ac mores belluæ quæ impetu temerario in alienum et suum exitium rapitur: age vero, quæ potest esse in discordiæ aspectu delectatio, quum in concordia sit intuitu vel maxima et jucundissima? quam utique ad rem, non convenit eorum uti testimoniis, quibus vitæ consuetudo judicii acrimoniam corrumpit, non magis quàm vel de saporibus febre incensum consulimus, vel de coloribus vitiosos oculos: homo malus tam depravatum habet malitia sensum mentis, quàm æger sensum corporis morbo: *Vir bonus* mensura est omnium, quemadmodum acute Aristoteles de *recto* definiit, quod *sit et sui et prævi censor, flexum vero et curvum, nec sui nec recti*.

Quæ porro est bonorum hominum sententia de concordia et discordia? Rogentur omnes, una atque eadem voce respondebunt, nihil esse gratius, nihil amœnius, nihil amabilius aspectu hominum concordium ac consentientium; nihil tetrius, horribilius, detestabilius odiis, acerbitate, rabie animorum; prorsus concordia spectaculum simillimum esse gratiæ sereni veris, quum vernat, quum floret, quum arridet mundus, discordia faciem non aliam, quàm mare turbidum, et ventos concitatissimos, et cœlum tonitribus, fulminibus, nimbis ruens. Transeat jam paulisper homo ab humanis ad *divina*, a terrenis ad cœlestia; inspiciat sacras litteras, et libros pietatis nostræ, id est, oracula, quæ Deus ipse, auctor mundi hujus, humano generi dignatus est edere; hæc vero, quid sunt aliud quàm fons quidam pacis, concordia, unanimatis, ac mutui omnium amoris inter se? Ideo ille sanctus Spiritus, cujus afflatu sunt litteræ illæ prodita, ignis specie est ab humanis oculis conspectus, quod nihil spiraret aliud quàm ardentem quandam caritatem, qua gelidæ animorum nostrorum sordes discernerentur ac purgarentur; quod si administrari illarum litterarum, atque hu-

Divina.

hujus ignei spiritus, hoc est, amoris cujusdam meri, venenatas ex tam liquido, et salubri fonte, et ipsi sibi hauriunt, et aliis præbent aquas, tam fugerit ex terris salus, quàm, ut poëta dicunt, *justitia*, nec mentiuntur; si ipsi inimicitias et odia vel suscitant, vel augent, vel fovent, vel certe dissimulant? si speculatores dormiunt, si custodes vel ipsi lupos submittunt, vel taciti eos intuentur, si sal terræ infatuetur, quomodo factua hæc saliemus? quo confugiemus, si pernicies est ipsi eadem saluti immista? *Interpretes sanctorum voluminum*, qui abstrusa et recondita sensa exposita atque enucleata rudioribus tradunt fratribus, et sublimia spiritus sensa monumentis litterarum ad usum et præsentium et posteritatis consignant, quid spectant? utrum diei unius incertas voces, iniquas, instabiles, an æternum se Christo approbari, et pulcherrimi laboris pulcherrimum præmium experunt?

Quod si magni isti viri, et quibus humanum genus nunquam sit solvendo, ut ingenia altissime sustulerunt, ita et affectus ad res magnificas ac excelsas erexerint, obviam odiis omnibus atque inimicitias ibunt, ut eisdem vestigiis insistentes, quibus doctor ille felicitatis nostræ, vehementer se et sua tanto præceptorum discipuli approbent, Imperatori rirones: *Sacerdotes omnes* faciant in mentem revocent, quanto sint titulo ab Apostolo Paulo donati, qui se atque illos ausus est coadjutores et cooperatores vocare Christi JESU; at Christi opus unicum pax est, et reconciliatio exitiabilis discordiæ: tum meminerint se esse Apostolos, id est, missos, quò vero missos? declarat idem ipse, qui mittit: *Ite*, inquit, *predicite evangelium omni creaturæ*: at evangelium *bonus est nuncius*; nemo melior, nemo gratior, quàm qui pacem adfert; sic scriptum est in vaticiniis Isaïæ: *Quàm pulchri super montes pedes annuntiantis et prædicantis salutem!* paucissimis verbis sanctum ministerium absolvit, dum et in excelso eos ad prædicationis intelligentiam et libertatem collocat, et expeditos pedes ostendit, et quid prædicaturi sint docet, pacem nimirum et salutem: sic Christus prædicavit, caput, magister, exemplar prædicantium; sic illum Apostoli secuti; hæc est disciplina velut per manus tradita, ut nullo a crimine solli-

Scriptores
sacri.

Sacerdotes.

citius averterint suos, quàm a dissensionibus, ad nullam virtutem accuratius traduxerint, quàm ad mutuam caritatem; hoc est caput pietatis hujus, nec aliter pervenietur quò intendimus idcirco huc sacramenta omnia et mysteria religionis nostræ pertinent.

Ergo Christi sacerdotes, interpretes se et tamquam sequetros esse pacis ne ignorent, pacis, et hominum inter se, et hominum cum Deo, ut qui vicarii sint Christi, et ab ipso eodem quum in hanc provinciam mitterentur, audierint; *Quidquid ligaveris super terram, erit ligatum et in cælis*; et alio in loco quum quasi instruerentur ad munus obeundum: *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittentur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt*: de pace igitur, de concordia, multa et multum audiant, legant, meditentur, commententur; ad pacem suadeant, hortentur, impellant; efficacissimas de pace adferant rationes, quæ non leviter summis animis hærentes, levissima quaque aura deleantur, sed quæ alte penetrant, quæ aculeum in auditorum præcordiis infixum relinquunt, quemadmodum Periclem fecisse, magnum Athenis oratorem, scriptores veteris comædiæ significant; auctores sint omnibus non modo ut crebro sermonibus de concordia intersint, sed ut legant eos qui hortati sunt ad pacem, et unionem animorum, dehortati a dissidio, sive ii sint seculi scriptores, sive pietatis nostræ; hæc agant publice in concionibus, hæc privatim in colloquiis, hæc secreto in consiliis, et dum hominum noxiis audiendis dant operam, ut ubique sint filii Dei, Apostoli Christi, sacerdotes Christi, imitatores Christi, non solum pacifici et reconciliatoris, sed pacis ipsius ac reconciliationis: Quàm est deforme, quàm turpe, abominandum, nefarium impium, sacerdotem Christi, et Dei omnipotentis, occasionem ullam bello, et rixis, et discordiæ præbere, vel aliunde subortam atque existentem non protinus evellere, etiam cum ipsis fibris! Ex eis sunt nonnulli qui conviciantur, rixantur, et manifesta odii sui signa proferunt; ii exemplo atque incitamento sunt spectatoribus ad similem deformitatem, neque enim dedecere arbitrantur quod ille fecerit magister morum, lux, et dux, et sal-

vita nostræ; tum detrahunt fidem atque auctoritatem sacris monitis, et operi sanctissimo, ac omnium utilissimo; ipsos decet ea præstare primos ad quæ hortantur; sic mundus conversus est ad rectam pietatem, quum homines viderent eosdem se habere operis auctores, quos consilii, nec ab oratione vitam discrepare, quod vitium quum in professoribus humanæ esset sapientiæ animadversum, omne fere detraxit pondus illorum præceptis.

At in nostris philosophis studiosi mundanæ sapientiæ quum illud viderent, quod esset in suis desideratum, stupefacti exclamabant: *Qui sunt isti qui ita vivunt ut loquuntur? ita loquuntur ut vivunt?* Nemo facile explicet quantum ejusmodi præcipiendi ratio virium et momenti habeat ad efficientiam eorum quæ conatur: jam, *cujusmodi sunt illi qui ansas odiis ac simultatibus præbent impia subtilitate? Odisse non potes, odii signa potes ostendere; non potes amare, amoris indicia potes subtrahere:* non disputo nunc de ejusmodi invento; illud dico, nolim quemquam tam periculose esse ingeniosum; *Potes tu rivum prohibere, quum fontem vel aperueris, vel reliqueris? potes tu ita ignem includere, ut se non proferat? ego vero vix fieri posse credo ut non se amare indicet, prodatur, testetur, quisquis amat: (1)*

— *Quis enim bene celaverit ignem,
Lumine qui semper proditur ipse suo?*

Hoc gentilis quidam dicit, sed natura animadversa rei: amorem qui cohibet, vel efficit ut majore se impetu mox effundat, vel certe frangit, ac diminuit: Dominus noster non solum affectum præcipit, sed quod necessariâ ex affectu nascitur operâ, si possis: *Orate, inquit, benefacite iis qui oderunt vos:* et Paulus: *Si esurierit inimicus tuus, cibum illi dato; si sitierit, potum; ita enim carbones ignis congeres super caput ejus: noli vinci a malo, sed vince in bono malum:* Quanto illi flagitiosius ac sceleratius qui odia serunt, qui bellum excitant, qui alunt, quo quid esse

(1) Ovidius. Heroides. Epist. 14. vers. 7.

potest execrabilius? ut qui Principes hortantur ad bella, qui in populis tamquam classicum canunt; ut ille concionator in quodam regno, qui abhinc annos duodecim populum in advenas omnes et exteros irritavit: neque vero hæc sunt solum diligenter prudenti ac pio sacerdoti evitanda, sed quoties res postulat, exerendus est zelus ille zelo Christi simillimus, et proferenda est libertas, non tacendum, non dissimulandum, non connivendum: *Propter Sion, clamat ille, non tacebo, et propter Hierusalem non quiescam:* et alio loco: *Exalta vocem tuam tu qui evangelizas Sion.*

Paulus hortatur Timotheum, ut evangelium pacis prædicet, instet *opportune ac importune;* non quod *importunum* velit esse verbum Dei, aut prædicatorem ipsum, sed quod, quam homines vitiis detorti, ac depravati, *importunitatem* esse arbitrantur, ipse *opportunitatem* sibi esse sciat; zelatores Christi unicum illius præceptum caritatem zelent; hoc est prædicatoris munus, sicut Isaias inquit, annuntiare pacem, prædicare salutem, quæ in sola sita est pace; hoc repetant, hoc infigant, inculcent; tot bella jam continenter gerunt duo capita orbis christiani; traxerunt in partes reliquos omnes Reges, Principes, respublicas, populos, nationes Europæ totius; tot clades datæ atque acceptæ sunt; provocarunt mutuo ad singulare certamen illi in quorum persona, et vita, et salute, tot gentium et regnorum vita et salus est posita; diminutæ sunt vires orbis christiani, ut metuendum sit ne non simus futuri pares communi hosti: *Quid hic tacemus? quid mussamus?* Telemachum sanctum virum memoriæ tradunt, quum Romæ in amphiteathro gladiatores spectaret, et illi mutuis se vulneribus conficerent, prosiliisse in arenam, amenti similem, et medium inter illos alternis utrumque complectentem, exclamasse: *Quid facitis fratres? quæ causa est tantæ discordiæ?* Nos omnes christianum orbem tamquam in arenam digladiantem, et se se conficientem, taciti spectamus! Quin clamamus, quin ostendimus, nec hunc vocari posse catholicum, nec sacrum, neque illum christianissimum, nec alium fidei defenso-rem, nisi ea exequantur quæ sunt christiani, nempe, bene vel- le, amare, non nocere, prodesse qua possit; non constare chris-

Provocatio
pernitiosa
ad singulare
certamen.

tianismum sine caritate, non fidem catholicam, nihil sacri aut sancti relinqui seposita caritate, hoc non uno loco disertis esse verbis a Christo pronuntiatum et edictum: hæc quidem christianus ad christianos dicat, nam etiamsi gentiles, ut Seneca, Plato, et alii, orationem haberent ad Principem plenam gravitatis, acuminis, ingenii, prudentiæ, qua ostenderent quam parum inter bonum Principem et bellatorem conveniret, amatorem suæ gentis, et patrem patriæ, et belli origine causa nutrimenta plurimum distaret: sed de christianis dicamus, ut cæpimus.

Hoc pacificationis officium, quum est *sacerdotis omnis Christi*, tum est vel *maxime Pontificibus* congruens, qui propius nobis atque exactius referunt personas Apostolorum, atque adeo Christi ipsius; hoc opes, quamquam hæc ad rem nihil faciunt, sed hoc auctoritas, qua plurimum valent, et valere eos par est, hoc ratio postulat dignitatis, ut paci et concordiæ commisi ac concrediti sibi gregis deesse absque nefario scelere non possint: dicit aliquis: Bene hæc quidem, et ita esset faciendum, sed *displicebunt hominibus*: Quid ergo hominibus ad gratiam loquuntur? hoc scurrarum est, vel assentatorum, non bonorum hominum, et virorum gravium, non sacerdotum Dei: audiant Paulum optimum et sacerdotem, et concionatorem, et Pontificem: *Si hominibus placere studerem, Christi servus non essem*: Quam grata commutatio, servi gratiam amittere, ut domini nanciscaris! privati, ut Regis! lunam excludere, ut solem admittas! Vir seculari sapientia præditus mavult jacturam facere favoris hominum et gratiæ, quam conscientiæ, mavult Regem lædere, quam mentem suam, et mentis dominam virtutem, tu christianus non audebis hominem offendere, ut Deo obsequaris? Nec dubitabis inimicitias potentissimi suscipere, ut invalidissimum ac miserrimum animalculum tibi concilies? *At esurient*: quid, tu ab hoc te homine nutriris ac sustentari credis, et non a Deo, qui te et illum benignitate sua alit? quid huic proderunt gemmæ ac metalla, si ille manum suam contraxerit? annum suum super ingratum orbem extendat? sed finge id futurum *ut esurias, ut inedia contabescas*, non id erit diuturnum; tanto celerius ad illas

illas epulas revolabis, quæ te verius immortalem atque immarcessibilem efficient, quam poëtica illa ambrosia et nectar: O beata fames, quam cœlestis panis exaturabit! felix sitis, quæ divino rore restinguetur! an non ipse rerum omnium Dominus et pollicitus est, ac recepit, *beatos fore qui propter justitiam esurirent et sitirent, quoniam ipsi saturarentur*? Ergo tu non perferes paullisper sitim et famem, et in diversorio, in quo ater est et durus panis, et cœnosa et noxia aqua, parumper te sustinebis, quum scias in proximo siligineum esse paratum panem, et vinum suavissimum, et aquam liquidam et saluberrimam?

Jam vero converto orationem meam, et dico eos magis placituros hominibus, et in majore futuros precio, modo sermoni moderato, ac prudenter pio, vita respondeat, et intelligant homines non illos vel respectu suorum commodorum latrare, vel servitute pravi alicujus affectus, sed Dei se exhibere administratos, ut tamquam fistulæ quædam sint, quæ sacro illo divino Spiritu animatæ, sonum illum emittant ad eorum salutem quibus aliquid significant; id facile vita declarabit, sine qua fucata et simulata existimatur omnis adhortatio; tum etiam oderunt omnes consultorem, qui non ad utilitates eorum quibus consultit, refert quæ dicat, sed ad suos, vel suorum: magnus Princeps erat Theodosius Augustus, major multo quam nunc christiani universi; Ambrosius, Episcopus Mediolanensis, dignitate non major quam quivis nunc Episcopus, opibus vero multis hujus temporis haudquaquam comparandus; at hic Episcopus tantum Principem a sacris repulit, quod Thessaloniciæ civium paganorum cædem a militibus fieri esset passus; cæssit Princeps non homini, non Ambrosio, sed ministro virtutis illius Dei, quæ se in sancti Pontificis mentem insinuaverat, nec alio deinceps fuit loco apud animum Principis, quam numinis cujusquam terrestris: Quantum potuit efficere Leo Pontifex apud Atilam pia oratione, sed quæ pio ex pectore nasceretur! ut præteream Martyres, qui illa perfecerunt quæ nullis armis, nullis lacertorum et exercituum viribus, perfici potuissent; unde ortæ sunt primum tam immensæ opes ecclesiæ, nisi ex veneratione et cultu piæ libertatis, ut Principes et potentes viri non

Magno erit
in honore sa
cerdotes.

non aliter sanctos viros suspicerent, et haberent in pretio, quàm instrumenta et tubas quasdam sancti illius Spiritus et divinæ voluntatis? Quid nostri respondent, quum hæc audiunt? *putas nos æque ut illos profecturos?* Quid istuc est? nunquam tentarunt, vel frigide aliquando ut consultius esset non attigisse, et divinant se non profecturos? quomodo ergo majores nostri et Martyres profecerunt?

An homines tunc, quos in sententiam suam adducebant, meliores erant quàm his temporibus? immo pejores, tyranni crudelissimi, sine Deo, sine religione, sine jure ac lege, liberi, et in omnem licentiam soluti ac effrenes: Ipsa tunc ne verba efficaciora, quum sint adhuc eadem, et paratus ille idem patronus ac tutor, qui dixit: *Quum steteritis ante Principes et Reges, nolite præmeditari quid sitis responsuri, dabitur vobis in illa hora Spiritus, et eloquentia, cui homines non poterunt resistere, neque enim estis vos qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui illa vobis dictat?* At ipsi hortatores meliores; scio; sed id ipsi agant, in hoc incumbant, ut particulam certe aliquam illorum probitatis expriment, quo et partem aliquam maximorum facinorum ipsi sua bonitate præstent: verum fac non solum displicere, et esurire, et nihil proficere, sed etiam cædi atque adeo occidi; quid Christo similis, atque ideo beatius, quàm plagis aliquot tantum margaritum comparare, cui emendo omnes terræ totius opes satis non sint? *Ego vero censeo, inquit Paulus, non esse vitæ hujus mala omnia, atque incommoda, digna cælesti illa felicitate, quæ revelabitur in nobis:* Quid amplius, aut magis expetendum, quàm mortem per tot cruciatus naturæ debitam, tanto cum scenore Christo impendere, et quasi debitum posse imputare? compendio tanto brevior, quum semel dumtaxat moriaris in Christo, toties in natura? Censen, te si morbum aut præsens hoc periculum evadas, futurum immortalem? aut ullum habes certum aut statum tibi vitæ finem? hodie si evadas, forsitan absumere cras, ut casus intercurrunt in vitam varii, subitii, inopinati, admirabiles; quid ergo juvat incertæ brevitati tam anxie consulere, certæ æternitatis securum ac oblitum? Negat Socrates vitam accepturum se sub hac conditione, *Ne philosophia,*

Socratis oratio.

ne

ne admonendis libere hominibus det operam, cujus sane verba gravissima et pulcherrima non pigebit adscribere quæ sunt apud Platonem in Apologia: Quod si me, inquit, viri Athenienses, ea nunc lege absolveritis, ut ne amplius huic inquisitioni sapientiæ navem operam, neu verser in rebus præclaris cognoscendis, in quo vero studio, si quando deprehendar, mors sit mihi capitis condemnato obeunda, ego vero conditionem hanc recusem; equidem vos, viri Athenienses, singulari quadam benevolentia omnes complector; parendum tamen potius duco Deo immortalis, quàm vobis: itaque quamdiu et spirabo et potero, nunquam philosophiæ curam abjiciam, nec vestri admonendi, moreque ac modo meo adhortandi ad virtutem, quemcumque fuero ex vobis nactus.

O pudor nostræ pietatis! Socrates, homo gentilis, in tenebris, in nocte, incertus omnium quæ nos habemus certissima, reus apud judicem in discrimine capitis, audet dicere se magis pariturum Deo, quàm populo Atheniensi, nec cessaturum ab eo ipso opere, quod illi crimini dabatur, et ob quod erat in periculum vocatus vitæ; vir christianus apud christianum in loco, in quo non modo est tutus, sed plenus etiam venerationis et augustæ cujusdam majestatis, nihil audebit monere ex iis quæ Deus jubet, quæ sunt muneris sui ac officii? Quid? si non sit tutus, certe non magis periclitari poterit, quàm tunc Socrates; at quanto est beatius huic nostro propositum et paratum præmium, quàm Socrati? Philosophum quidem illum, et plane sapientem hominem, si quis inter illos fuit, magnæ utique, sed tamen incertæ ducebant conjecturæ; nos vero ab ipso iudice, teste Domino, ab illo qui tot se argumentis signisque Deum esse ostendit, cui uni obtemperandum esse potius quàm hominibus Socrates non ignoravit, ab eo ipso auctore humanæ felicitatis, quid audivimus? *Beati estis, quum maledixerint vobis homines, et persecuti vos fuerint, et dixerint omne malum adversum vos, mentientes propter me; gaudeate, et exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis:* Sed quid nos rationis ad id suadendum conquirimus, et non potius ipsius unius Christi vita et actiones omnes pro omnibus argumentis sufficiunt, pro omnibus exemplis sunt exemplum unum,

Exemplum et via Christianus.

unum, quod æmulemur, ad quod nos fingamus et componamus? quisquis eò cupit pervenire quò Christus pervenit; eum oportet eadem via ingredi qua est ille ingressus; unica est ad unicam beatitudinem via, nec alia possumus illuc pertingere, quàm per Christum, et in Christo: Joannes Apostolus nos docet, *Eum qui se in Christo manere dicat, oportere sic ambulare, quemadmodum Christus ambulavit*: quemcunque Christus in se receperit, eadem ducet via, qua idem ipse ingreditur, neque enim, quum in navi sedeas, alia potes, aut alio proficisci, quàm quò navis.

Quid ergo opus est aliis præceptis morum, aut alia vivendi formula? Hæc est una regula, hic canon, ad quem nos et nostra omnia coaptemus; optimi Principis exemplum Homerus proposuit Achillem sævum ac immitem, prudentis autem Ulyssen vafrum ac mendacem; Xenophon Cyrum non descriptum *qualis esset*, ut ait Plato, *sed qualem esse conveniret*, qui nec magnus aut magnopere imitandus esset Princeps, etiam si omnino fuisset is quem describit philosophus eloquentissimus; habet suum Africanum Cicero; habent alii alios; quò nobis figmenta aerror hominum prave judicantium de virtute? Non potest cæcus cæco viam præire; Christum Deus humano dedit generi, videns videntem cæco inter abrupta iter facienti, ut homo, hujus manu vel lacinia apprehensa, certus ac tutus eò perveniri quò illum communia omnium mittunt vota: O quantum tibi mortales omnes debent, Servator Christe Jesu, quibus dignatus es non solum morte tua salutem perditam ac deploratam reddere, verum etiam vitâ exemplum ad æmulationem adferre Principis, subditi, patris, filii, magistri, discipuli, domini, servi, potentis, imbecilli, opulenti, egeni, denique cujuscunque personæ sine virtute, præstantis potentia, opibus, auctoritate, dignitate, sine illis ipsis rebus, inferioris ac minoris, ut inde quisque tantum sumat sibi, quantum viderit opus esse! Hunc sequantur majores adversum minores, ut tales se præbeant qualem ille erga nos; hunc minores adversum majores, ut tales sint qualem ille erga Patrem: hortatur nos sanctus Apostolus, ut ea sit quisque mente, eo animo ac sensu, quo videmus fuisse Christum
Dei

Dei unicum Filium naturalem, qui quum ea ageret, sic se gereret, ut perspicue intelligere omnes possent illum esse Deum, ejusque divinitatem admirabiles actus apertissime testarentur, non tamen Patris æqualitatem sibi unquam vendicavit semper, illum sibi anteposuit ut Patrem Filius pientissimus, et divinam majestatem humana infirmitate contexit, ut quisquis carnis solum oculis, aut humana fretus sapientia, humilitatem illam esset intuitus, de sublimitate dubitaret; neque enim satis illi fuit, humana facie Numen vestiri, paupertatem quoque, inopiam, famem, sitim, labores, sudores, fletus, ignominiam, cruciatus, deforme supplicium circumdedit, et alia quæ etiam inter homines non dominium, aut libertatem, sed servitutem quandam, neque eam honestam aut tolerabilem, sed abjectissimam indicant ac extremam.

Hæc omnia facile pertulit, ut Patri quidvis injungenti morem gereret sine exceptione, non usque ad famem, non usque ad dolores et cruciatus, sed usque ad mortem, et eam omnium turpissimam, et ultimæ contumeliæ; quæ omnia quorum utilitatibus sunt data nisi hominum? quorum res est tantis mysteriis acta, nisi hominum? ut homines et salutem invenirent veteris morbi, et exemplum vitæ totius, quod unum instar esset omnium præceptorum totius philosophiæ, et quidquid humano posset ingenio excogitari: utrumque Apostolus Petrus docet inquires, *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus*: huc ipse idem Deus divina et mitissima nos voce hortatur, vocat, allicit: *Exemplum do vobis, ut quemadmodum ego facio, ita vos faciatis*: et alio in loco: *Discite a me*: Quid discemus Pater omnium ac magister? quid nos jubes discere? quid exprimere ac effingere? an mundum condere? an erigere hominum gentem collapsam, cæcis reddere oculos et lucis usum, mundare elephantiasin, revocare mortuos ad vitam? non possumus; hæc tuæ sunt infinitæ facultatis ac potentiæ: Quid ergo? ostentationem potestatis, fastum ditionis, superbiam et fastidium inter inferiores, contumaciam in majores, invidiam inter pares? hæc quidem possumus; hæc volumus, hæc solemus; sed tu ita te gessisti, ut hæc a tuorum mentibus revelleres et extirparès; Hoc vis nos abs te discere, hoc reddere et exprimere, *mitem ani-*

mum, moderatum, demisse de se sentientem, benevolum erga alios, non inimicitias querentem inter ingratos, inter eos a quibus ipse odio habeatur, sed ab aliis quesitas, ac illatas, tollentem atque dirimentem, nec recusantem per odium sui, per damna, per suam ipsius mortem, discisos, et discordes, pace conjungere, benevolentia coadunare.

Grave hoc quidem nobis, non in prima et integra natura, sed in tam inveterata malitia; sed fortassis spe mercedis omnia perferemus; quod tandem proponis primum? *Invenietis requiem animabus vestris: Ecquid magis inquietat ac vexat cor humanum, quam superbia, sævitia, odium, simultates? Ecquid perinde serenat, tranquillum et beatum reddit, ut moderatio, mansuetudo, pax? Hic est in vita mortali gustus immortalis illius felicitatis: Ergo negotiator propter compendium, et leve, et incertum, et non diuturnum, peregrinationes terra ac mari difficillimas ac periculosissimas suspiciet, perferet famem, sitim, algorem, æstum, molestiam vectionis navi, equo, rheda, per arenas, per rupes, affectus domabit et subjiciet legibus nationis ejus in qua negotiatur, etiam si iniquissimis, et a suo ingenio ac moribus longe alienis atque abhorrentibus, patietur Principis gentis illius, et privatorum, arrogantiam, superbiam, convicia, contumelias, ut tandem ad lucrum vilissimum perveniat; homo christianus nihil omnino faciet, nihil feret maximi hujus et sempiterni præmii gratiâ? Cedo vero: Quod tandem tu præmium, Christe, tanti obsequii, tam fidelis operæ, tam pii es laboris consequutus? Elargitus est se Christus omnium saluti, paruit Patri usque ad infimum supplicium; ideo illinc eum Pater usque ad fastigium sustulit rerum universarum, imposuit eum hominibus, dominum dedit inferis et dæmonibus, extulit super cælos, supra Angelos, ut illius nomini omnes cedant, omnes se submittant, omnes tanti Principis majestatem et potentiam reveantur ac adorent, illius regnum, ut salutare ac prosperum, ita maximum et potentissimum, sentiant elementa, cæli, homines, dæmones, Angeli: quod si nos volumus in partem regni admitti, necesse est laborum et curarum partem non derectare, atque eadem via, quantum erit virium cujusque, ad eandem metam contendere.*

JOAN.

JOANNIS LUDOVICI VIVIS

DE CONDITIONE VITÆ CHRISTIANORUM

SUB TURCA.

ESt inter christianos homines odiorum atque inimicitiarum tanta acerbitas, et tam cæca rabies, ut ea multi mortales perciti atque acti præcipites, nihil dubitent in se ac alios pessime consulere, et in eas voragine se ac suos omnes, vel votis ac desideriiis, vel etiam, quatenus possint, re ac opera conjicere unde nunquam deinceps emergant; optant alii, non unius aut alterius hominis cædem atque interitum, nec inimicitias inimicis concludunt, sed populorum, civitatum, nationum, gentium cladem læti ac libentes spectarent; alii novationibus rerum student, et cuperent non solum Principem mutatum, sed Turcam, aut impium aliquem Regem, et a nostra pietate non tantum vita et actionibus, sed nomine quoque ac professione abhorrentem: ad quam tam impiam ac nefariam animi libidinem varii variis de causis rapiuntur: sunt qui hoc cupiant, quod sub Christiano Principe (christianos hic de nomine ac professione nuncupo) sub tali ergo Rege duram vitam et intolerabilem transigunt, pressi vel a Rege ipso, vel ab iis quibus Rex publicas administrationes concedit ac commendat, vel ab hostibus quos ille in se lacessivit, quum illis a finibus ditionis suæ arcendis par non esset: in quo utrique, et Princeps et subditi, non mediocre flagitium admittunt; ille quidem, qui muneri suo non satisfacit, et patrem professus, hostem se præstat, causamque ejusmodi querelis præbet, christianus vero privatus etiam culpandus, qui ita rerum vitæ hujus curâ, et cogitatione, a cursu cælestium revocatur, ut suam et aliorum quietem inturbet.

Unus est finis, quo omnes tendimus, nempe felicitas illa sempiterna; una via qua ingrediendum, vera pietas: Quantum refert, modo ab hac via non depellare; quid extra illam fiat? quid pravus aliorum atque incitatus animorum tumultuetur impetus? Quam parvi refert christiani hominis, tam exiguum atque incertum vitæ curriculum sub quo Principe de-

Pressi a suis
Principibus
christianis.

Yyy 2

cur-

currat, decurrat modo, ut metam possit pertingere quò contendit? Viatores videmus paullo prudentiores, ac moderatiores, viâ omnes molestias, et visu ac perpessu indignissima, sive in diversoriis, sive in via ipsa, tacitos præterire ac devorare, in id modo spectantes ac intentos, quò profectionem destinarunt, cultu modico ac interdum sordido, splendore illo atque illa dignitate deposita, qua sunt in patria; ferunt excludi se, extrudi, non haberi honestissimis hominibus honorem, tractari se ut famulos, illam adversum se exerceri petulantiam, cujus sunt ipsi domi coercitores ac punitores; quid? eos, qui in aliena regione negotiantur, si quid illis vel a privatis gravius, vel a Principe existat, vel etiam a solo, aut cælo, quomodo aspiciamus concoquere ac pati, et quasi in statione perdurare, ne lucri spes abruptatur? quæ Germaniæ frigora tolerant Itali, et Hispani, atque adeo Bœtici, mercatores? quos Ægypti aut Africæ ardores Galli et Germani? quæ tributa, indictiones, duritatem oris, verba atque etiam interdum verbeta contumeliosissima? omnia mollit ac condulcorat spes rei augendæ; quid milites perferunt in castris ob vilem stipem? quid athletæ ob victoriam? quantum venatores propter feram occidendam? Tam valide spes aliqua animum omnem a presentium rerum cogitatione ac sensu ad se avocat: at vero, quod nos ita in cura præsentium rerum immoramur, an non aperte declaramus non ita animum nostrum spe aliqua duci præmii, ut illorum? alioqui quanto minus, quàm illi de quibus dixi, hæc præsentia sentiremus, occupati atque intenti in eam vitam, quæ immortalis est post hanc mortalem futura.

Obediendum
Principibus.

Idcirco sancti Apostoli, quum viderent non debere christianum suum cura rerum vitæ hujus intricari, *Obedire nos rec- toribus ac præfectis nostris jusserunt, non solum commodis et mitibus, sed asperis quoque et difficilibus; nec parère nos tantum volunt, sed et pro illis orare celestem nostrum Patrem, ut sapienter populum regant cujus administrationi præsent: id, quum disertis verbis præcipiunt, tum ipsi, ac Martyres, deinde omnes, præstiterunt: Cypriano Cæcilio quum esset tamquam crimen objectum a Præfecto, quod in Cæsarem conjurasset, respondit: Longissime absumus nos chris-
tia-*

tiani ab ista culpa, qui Cæsari, etiamsi alia sacra, alios deos colenti, tamen quia Princeps est noster, bene et cupimus, et precamur, et rogamus Deum nostrum, ut mentem illius ad cogitationem verorum honorum adducat: Nam quid potest tantum Princeps eripere, quod non majus sit quod odium, quod res turbatæ, et avocatio a religione eripiat, ac tollat, sive bona inter se diversorum generum conferantur, fortuita cum corporeis, aut animorum, sive etiam generis ejusdem?

Alii speciem sibi quandam confinxerunt stultam libertatis, ne nominatam quidem in vetustis Romanorum ac Græcorum monumentis, nedum expressam, ut cuique impune liceat quantum libeat; quod quum sub christiano consequuturos se desperent, ideo vel Turcam mallent, quasi is benignior sit in largienda libertate hac, quàm christianus: Quid tu dicis? sita vero est in hoc libertas, quod nihil ad publicum bonum ærario civitatis pendeas, vel Principis fisco? quod penitus sublata sint vectigalia? magistratus vel nulli, vel auctoritate debilitata prorsus et imminuta, ut a privato non differant? quod impune liceat cuivis malefacere? ubi visa est libertas hæc? quando audita? quis populus, quæ respublica vel punctum posset temporis in tali libertate consistere? an non si omnia omnibus licerent, brevi fieret ut nemini liceret quidquam, et pro Principe uno excluso, sexcenti nascerentur postridie, nec esset ullus, qui se non in illius reponi ac collocari sedem vi, armis, cæde omnium peteret ac contenderet? Cedo, quod tandem tempus volunt vel Athenis signare, vel Spartæ, vel Romæ, in quo maxima viguerit libertas? nullum invenietur tam solutum ac liberum, in quo non magistratus, leges, forum, judicia, pœnæ, præmia valuerint, in quo non vectigalia fuerint.

Species li-
bertatis.

Transeo, cum non solum æs, vel argentum, vel aurum rei erat publicæ impendendum, sed sanguis quoque ac vita volenti nolenti, quod contigit vel sub florentissima libertate; contra potius, ea existimatur libertas summa, legibus ac legitimis magistratibus quiete obtemperare, et bonos se ac moderatos præbere cives, voci legum aut magistratuum præsto esse, et imperiis prompte ac alacriter parère; immo vero hæc una est libertas

Libertas
quid.

vera, ut velis bene vivere, hoc est, animi vitiis vacare, et impotentissimis tyrannis animi motibus ac cupiditatibus non servire, quæ sola est servitus, ut nec Reges ipsi dici possint liberi, quamdiu his obsequuntur; proxima est libertas, quæ ex priorè illa derivatur ac deducitur, quiete et pacate legibus ac magistratibus tamquam publicis parentibus obedire, qui, sicut est in Mimo, *Amandi sunt si boni, sin aliter, ferendi*: nam male et per alienam injuriam vivere, libertas non est, sed effusissima atque effrenis quidvis agendi licentia, et flagitiorum ac scelerum impunitas: quidam se non putant satis liberos, nisi quidvis in quemvis liceat, sublatis legibus, summoto metu pœnarum omni, et reverentia magistratuum: aliis ob oculos vana quædam obversatur imago libertatis, quæ animos imprudentes in errorem adducit, quæque non solum cum chartis exolevit ac computruit, sed nulla potius ullo fuit tempore, ullo in populo, nec ipsi, qualis sit, satis scirent explicare etiam si maxime vellent ac conarentur, tantum se libertatem clamant cupere.

Evolvant vero, legant rerum veterum monumenta omnia, invenient nulla esse nunc tam dura, aspera, difficilia tempora, quibus non pejora atque intolerabilia fuerint Romæ, non modo sub Cæsaribus, quorum vix unus atque alter non importunissima fuit bellua, sed sub ipsis consulibus; an huc adducam civilium bellorum nomina, Antonios, Octavios, Brutos, Cassios, Dolabellas, Hirtios, Pansas, Cæsares, Pompejos, Marios, Syllas? adde his Gracchos, Fulvios, Carbones, Saturninos, Glaucias, et aliam turbulentorum civium manum; quid? juvabat ne aliquem illis temporibus Romæ vivere, aut omnino natum esse? ut mortuorum consolationes inde peterentur, quod tam miseris esse absuptos temporibus felicitatis et maximi cujusdam beneficii loco deberet deputari: sic Sulpicius consolatur Ciceronem, sic Cato habitus est felicissimus, quod eo modo e vita exisset, atque eo tempore: si quis superiores ætates memoria repetat, invenient pauperem populum exiguum pependisse vectigal, sed ex facultatibus exiguis ac prope nullis, sterisissæ tamen

in

in acie noctes ac dies armatum, ferentem labores ac pericula militiæ, cum stipendium numeraretur malignissimum, diu nullum, ita ut, mergentibus se in sortem usuris, corpore et sanguine crudeli esset fœneratori satisfaciendum: denique non opus est ambagibus: Quid fuit aliud Romana respublica, nisi tacitum quoddam regnum nobilitatis in plebem?

An Athenas libet inspicere? non placebunt: nihil fieri potest turbulentius illo populo, nihil levius, nihil ingratius, ut nulli essent infeliciores, quam qui vel aliquid ad communes et publicas utilitates contulissent, vel qui insigni virtute aliqua et laude præstarent: An placebit Sparta, etiam gentilibus sapientibus improbatâ ut Platoni et Aristoteli, consensus quidam ad bellum et duram inhumanitatem? Quæ est ergo libertas hæc, quam ipsi nec optando, et cogitationibus, talem possent fingere ut civitates et hominum coetus ac communio constare cum illa posset ac perseverare? Sunt, qui, quorundam Principum aut nationum odio, malint Turcæ et cuicumque Principi barbarissimo subjici quam illis, ut Italorum quidam, quorum Galium alii, Germanum alii, alii Hispanum tam infense oderunt, ut malint centies mori, et quod morte est pejus, indignissima et nefaria cujusvis imperata facere, quam sub illis vivere; si meminerunt cladium Italiæ, res quidem est acerba, et profecto defenda; sed an non plures atque atrociores ipsi olim toti humano generi intulerunt? ignorant has esse rerum humanarum vices, ut victor vincatur, et patiatur invitus ac gemens, quæ aliquando fecerat lætus ac exultans? Roma est capta et expilata: grave sanè et odiosum bonis omnibus; quis enim vellet id factum? ne ipse quidem Princeps, cujus auspicio res putatur gesta: sed reducat Roma in mentem ac recordationem, quot ipsa urbes ceperit, expilarit, incenderit, diruerit, solo æquarit; non modo tecta et populum, sed vestigia quoque deleverit civitatum vetustissimarum.

Quid? idem ipsi Itali, quomodo matrem suam Italiani tractant? an humanius et mitius, quam exteræ istæ nationes? an vetera nomina iterum commemorem, Marios, Syllas, et hujusmodi? nunc in istis ipsis cladibus, quarum memoria recentis-

Qui oderunt
Principem
aut nationes

Aliud genus
vanæ liber-
tatis.

tissima est, et sensus adhuc urit, an non sæviora multo ipsi designarunt Itali in Italiam, quàm Germanus, aut Hispanus, aut Gallus? *At oderunt gentem, cujus sentiunt incommoda:* Putant ne talem se eam gentem in amicos, et junctos vel ditione, vel fœdere, præbituram, qualem in hostes armatos, aut hostium civitates, atque agros? aliam sentient amicam, quàm inimicam: non tales experiuntur Neapolitani Hispanos, quales Insuberes: Neapoli statur legibus, habent cives cum peregrinis, cum militibus idem forum, eundem judicem, omnibus ex æquo jus dicitur secundum leges et jura; inter hostes nulla putatur legum communio, licere in eos credunt quidquid lubeat: *Principem vero non posse pati extraneum*; nimis est delicatum, ne dicam insolens, quum et olim mundus tam diu passus sit Romanos magistratus, et in unaquaque natione scimus res collapsas et prope perditas exteri Principis cura esse ac providentia erectas ac restitutas, in Hispania, in Germania, Britannia, Gallia, in ipsa eadem Italia: at qui ab extero tantopere abhorrent, cur ipsi accersunt non futuri mox accito pares? et si Hispanum, vel Germanum, vel Gallum sic fastidiunt et oderunt, cur Turcam, et Scytham, extremæ feritatis, ac barbariei, non abominantur, differentibus, diversis, contrariis moribus, lingua, commercio, religione?

Non desunt qui christiani dicuntur, non amore pietatis, aut etiam professione vitæ, sed tantum velut quodam cognomine, quòd nati sint inter christianos, haud aliter quàm dicerentur vel Romani, vel Carthaginenses, vel Scipiones, tam facile, tam libenter cujuscunque superstitionis, et impii deorum cultus, futuri, quàm sanctæ religionis nostræ: ad istos tam deploratòs, seu verius deplorandos, longe esset repetenda oratio, ut qui ad humanum essent sensum mentemque revocandi, a qua tam longe recedit quisque, quàm a religione, sine qua, si quis acute rem expendat, non est homo, sed bellua; itaque multo alia his opus esset oratio, seu pharmacum verius; nam quemadmodum Circe illa pharmacum habebat, quod humanæ faciei ac naturæ redderet, quos ipsa eadem pharmaco alio ex hominibus bestias fecerat, ita malitia hominem in belluam

mu-

mutavit, convertit rursus in homines ratio ac religio: non intelligunt insani isti, si hic humana omnia consumantur, nihil penitus inter hominem interfuturum et bestiam, nisi quòd bestia simplicius conformiusque ad naturam vivit, hoc est, feliciter, homo vero majore malitia, ac proinde rerum cura, obruitur, ac premitur, id est, miseria perenni; quæso, num etiam si optio daretur, eam eligerent conditionem vitæ, ut omnia cum corporibus interirent? sed hæc opinio, quæ non solum animæ vitam eripit, et eam, sicut Cicero insectatur, *tamquam capitis damnatam morte multat*, verum etiam religionem extinguit, et Deum de cœlis ac mundo detrahit, majoribus est a me aliquando viribus aggredienda, et, quod de Christi auxilio spero ac confido, penitus extirpanda.

Interea autem omnes, quibuscunque aliquid in animo restat honesti ac boni respectus, attendant: quum adhuc ferveret Sanguis Christi, et firma esset constansque christianorum hominum fides, et proinde religio pura atque incorrupta, nihil erat utilius ecclesiæ, quàm agere sub Principe impio, a pietate nostra, sententiâ abhorrente, professione hoste, nam in fide tam solida, et tam alte radicibus immissis, non erat periculum ne quis ullo metu perterrefactus, aut voluptate delinitus, aut spe illectus, nutaret; vincebat omnia, superabat, prosternebat, conculcabat validissimus cunctorum adfectuum amor; nec aliter minas, terrores, verbera, tormenta, cruciatus, mortem, fides, caritate fulta atque adjuta, excipiebat, quàm marinos fluctus, et tempestatum, impactus scopulus aliquis vetustus rupis durissimæ, ut ita infigi ac confirmari fides videretur, quemadmodum stipes aut saxum fistuca percussum: ergo altius acta sunt per martyrium fidei nostræ fundamenta, quique ictus eò putabantur infigi, ut luxarent et revellerent, hærentem ac fixum stipitem altius demittebant: nulla in terram decidebat cruoris Martyris stilla, ex qua non centum christiani viderentur surgere: adeo erat efficax sanctus ille cruor, qui exemplo Principis et auctoris sui, pro ipso eodem libenter fundebatur: jam, ad permovendos saxeos illòs et ferreos homines, quàm erat illud validum, videre constantiam profitentium, ut durum duriore fran-

In tractatu
de Anima et
Vita.

Martyrium.

geretur, intueri robur humano majus, plane cœleste, et divinitus adjutum!

Primus Cæsar christianus.

Constantinus.

Philippus Vostrensis, Princeps Romanus, ad annum V. C. millesimum, christianum nomen magis est professus, quàm præstitit pietatem; insecuti nihilo secius Principes idem in nomen christianum exercuerunt odium, quod superiores, Decius, Diocletianus, Maxentius, et alii; primus bona fide baptizatus est Constantinus: fuit dies ille, nescio an tam ecclesiæ prosper, quàm multis forsàn videri posset: certe D. Hieronymus in vita Malchi Monachi, non perinde videtur esse illo facto lætus; cessavit enim martyrium, id est, fidei coticula, accensio caritatis, fundamentum ac robur totius religionis; securitas illa peperit negligentiam et oblivionem maximarum virtutum, non minus quàm longa et certa pax otiosis militibus desidiam atque ignaviam; paratior erat quisque in præsentem, aut certe impendenti periculo, quàm nunc sumus metu sublato; nam etiam num in tam alta hac securitate adituri pericula aliqua, vel naturæ, vel casuum, ut intraturi mare, aut prælium, aut evidens aliud capitis et vitæ discrimen, sanctius nos gerimus, et paramus nos diligentius divini judicis examini, quàm quum lauti accumbimus frequenti et læto convivio: ingressus est Princeps ecclesiam, non ut verus ac plane christianus, quod fuisset sane felicissimum et optandum, sed invexit secum nobilitatem, honores, arma, insignia, triumphos, supercilia, fastum, superbiam, id est, venit in Christi domum comitatus diabolo, et, quod fieri nullo modo poterat, voluit duas domos aut duas civitates conjungere, Dei et diaboli, quod non magis potuisset efficere, quàm Romam et Constantinopolim, quæ tanto et terrarum et maris tractu separantur: *Que communitio Christi ad Belial?* inquit Paulus: refrixit paullatim ardor, nutavit fides, degeneravit tota pietas, cujus nunc umbra atque imaginibus utimur, easque, ut ille dicit, utinam retineremus.

Sed quemadmodum dies ille Constantini tristis pietati fuit et dolendus, ita ille acerbissimus, nefastus, aterrimus illucebit, quisquis nunc his moribus, et hac vitæ ratione, populum aliquem Christianum ditioni subdet vel Turcæ, vel Principis cu-

jus-

juscunquæ a pietate nostra nomine alieni, ac professione; immo vero non illucebit, sed perpetuas tenebras et noctem inferet: vos qui immunitatis, qui libertatis nomina tanti facitis, reputare decet vos omnes Turcæ, non alio futuros loco, quàm pecudes, quas ad utilitates modo et fructus suos alit, non ad participatum ullum commodorum, honorum, non denique earum rerum, quæ communes sunt civibus inter se, quum illi non simus futuri, nec civium numero, ac ne hominum quidem; non pateretur nos augere opibus, potentia crescere, vigere honoribus, pollere dignitate; incrementa nostra omnia haberet suspecta inimicus nobis lege, inimicus professione, inimicus odio, et suo et avito, nec ulla se nobiscum crederet devinctum lege, nullo jure, non fœdere, non communionem, non humanitate et natura ipsa omnibus communi; quidquid ipsi liberet, existimaret licere oportere, et jure victoriæ, et quod non censeret ullas esse leges, ullum jusjurandum, ullam fidem, qua soluti affectus possent alligari, aut vehementia impetus retardari ac impediri; nam qua fide victoriam exequatur, testes sunt Rhodiani milites, qui nisi se mature subduxissent, crudelissimo illos dolo statuerat omnes intercipere.

Fides Turcæ.

Sed nec ad ipsos suos populares, et eisdem initiatos sacris, meliore utitur fide: victo et capto Sulthano, Mamelucos paratos se defendere, quum in fidem accepisset, universos contrucidavit; id quum ausus sit non sine aliquo populi sui sensu, quid eum facturum in nos censemus, secundo suo populo, et applaudente? Quòd si ipsi eidem mitius aliquem nostrum aut honorificentius placeret accipere, aut vix liceret ei invidia suorum, aut nobis acerbissimus esset is honor tanta invidia infectus ac contaminatus; nam quocunquæ aliquis nostrum receptus esset loco, ab eo se exclusum ejectumque vir Turca interpretaretur: *Cui, non dico Principi, aut Bassano, sed Genuissaro, vel satelliti, vel gregario militi, non liceret quidquid esset collibitum in nos, in liberos, in uxores, in fortunas nostras? quid ni? nempe hominibus in canes illorum opinione.*

Utinam hujus rei non tam acerbum haberet christianus orbis exemplum, et hæc potius conjecturis a nobis fingerentur,

Zzz 2

quàm

quàm tristibus adeo experimentis! An ulla gens, aut ullus omnino hominum, tam extremam est servitutis aliquando conditionem passus, quàm nunc patitur inclyta illa, et ingeniis, et litteris, et armis, Græcia? quod mancipium miserius servit, quàm illa Græcia, quæ olim pro solo libertatis nomine tantum effudit sanguinis, tantum armavit militem qui ad certissimam atque indubitatam mortem ire non dubitarent pro libertate? ut nunc nullus in tanta regione nascatur ingenio paullo liberiore, aut impatienti servitutis, qui non primum omnium Græciam sibi relinquendam, et fugiendam ducat velut ergastulum ultimæ servitutis, in Italiam se aut in alias orbis partes conferat, magnum secum, quocunque eat, circumgerens documentum, quid patiendum sit viventibus sub Turca: Hæccine ferrent viri fortes, armati bellatores, et jactatores libertatis? hæc parati sunt perpeti, qui pati non possunt indictionem aliquam extraordinariam christiani Principis, aut silvam, vel aquulam, vel piscem, vel leporem ex publico privatum fieri? O quàm cæcis oculis ista intuemur, et dum præsentī cupiditati servimus, nihil cunctamur in apertos malorum gurgites nos immergere! Tu ergo, ut lenticulam aut intertriginem sanes, hauris venenum, et quia parum acute cernis, utrumque tibi lumen extinguis.

Quid porro Principes? an putant vero, si sub illius ditionem ac potentiam venerint, etiamsi initio sedulo dissimulet, et amicorum eos ac sociorum nomine dignetur, non cum tamen, paullo mox ut invaluerit, et vires confirmarit, ad morem suum patrium rediturum, ut nemo pedem unum terræ possideat, quem possit suum dicere, omnes servi ac mancipia illius et sint et nominentur, et cuicumque impurissimo carnifici ab eo misso præbenda sit cervix sine ulla detrectatione aut cunctatione, si dominus jubeat? Ubi tum erunt feroces isti ac teneri, qui ne verbulum quidem affinis aut propinqui possunt perferre? Erit hæc, dura quidem, sed tamen justa Dei ultio, ut qui christianum parem et fratrem suum non tulerit, extremæ conditionis servitutem, sub crudelissimo domino serviat: dicent hic mihi nonnulli ex his qui sanctitatis opinionem affectant: *Honores, opes, decus, dignitas, vitæ conditio, carnalia sunt*

omnia; valeant; christianis non curanda: valeant sane per me, atque utinam jam pridem jussissemus hæc valere, quæ si non tantopere in nobis invaluissent, ac insedissent, nemo inter nos de Turca loqueretur.

Sed agedum, excutiamus spiritalia: Erit ne adeo spiritualis quisquam nostrum, tam obfirmo atque obdurato animo ad sensum rerum omnium vitæ hujus, qui perpeti ac tolerare possit quod est Græco quotidie devorandum? objici nobis, ut crimen, atque ignominiam, nomen hoc Christiani, quo tantopere jure gloriamur? Poterit audire tot blasphemias, tot maledicta, tot convicia nominis Christi, et Dei omnipotentis? Quod si quis inter illos vel verbum unum per imprudentiam contra Mahometem miserit, vel vita sit ei protinus, vel religio amittenda, e vestigio enim aut moriendum est illi ipsi, aut ad eam ipsam sectam transeundum cui maledixerit: An non plerisque omnibus, si hæc viderent, animus haud aliter accenderetur, quàm Matathiæ Macabæo, ut occideret et Judæum idolo sacrum facientem, et id fieri jubentem gentilem? Quid illud omnium gravissimum et acerbissimum, abduci liberos parvulos in remotissimas regiones, ut ibi abnegato Christi nomine, et tota pietate in oblivionem missa, serviant domino spurcissimo ac impio? Quis id nostrum perferret? quis non mallet mori milites, quàm id videre, vel etiam audire? Neque, inter hæc, audent Græci filios suos objurgare, reprehendere, castigare flagitia, formare ad virtutem et studium honesti, virga et flagris, quum res poscit, admonere disciplinæ, ne illi irritati ad Turcas se conferant; et hoc filii audent parentibus minari; a quibus Turcis, si quis sit semel receptus, nulla vi, nulla ope, nulla arte potest unde venerat, redire; et quum inter animantia omnia, solus homo scelere suo corruptus, a natura sua discesserit, quia et a Deo, fit ut si sibi relinquatur, nullum animal efferatius evadat, nullum magis barbarum atque incompositum nec ulla fera bellua tam sit immanibus moribus et inhumanis, tam belluæ similis, ac homo: Quales ergo illic adolescere atque educari pueros est credibile, solutos, effrenes in licentia atque impunitate vitiorum omnium, semota disciplina? Quæ potest in

Discipline
adjuvant
pietatem.

Jam, religio mirabiliter efflorescit studiis adjuta sapientiæ et bonarum artium, quibus eruditus, atque excultus animus, acutius recondita divinæ sapientiæ mysteria intuetur, nec remotus est ad divina gradus cognitio atque exploratio rerum humanarum et mundi hujus, cujus notitiam corporis sensibus capimus, atque usurpamus; Apostolus Paulus *Invisibilia Dei per visibilia cognosci* ait, et primam Abrahæ cogitationem, accessumque ad verum atque omnipotens Numen adorandum ac colendum, ex astris illi, ex cœlis, ex ordine et constantia mundi esse ortam, auctor est Philo Judæus is qui de Mundo scripsit, ut non injuria videatur dixisse Psalmista, *Cœlos enarrare gloriam Dei*; nec alia major est superstitionis ac impietatis causa et occasio, quam ignorantia; at studia humanitatis, id est, philosophia, et reliquæ ingeniorum atque ingenuæ artes, ut honore, velut gratissimo quodam et saluberrimo favonio, exhilaratæ, flores ac fructus fundunt, ita contemptu aut etiam neglectu flaccescunt ac emarcidæ collabuntur: Græcis, aut Romanis, rerum potentibus, magni sunt in disciplinis omnibus progressus facti; sub Gothis, et barbaris illis ac feris dominis, ita elanguerunt, ut parum admodum abfuerit, quin vitam omnem penitus ac spiritum exhalarent; quàm tenues, quàm invalidas earum reliquias patrum ætas et nostra accepit!

At Turca quàm alienus sit ab omni cultu animi Scythia sanguinarius, quis non vel fando audivit? sub eo, quod sit artium decus, qui vigor, vel ex Græcia discamus; nisi forte meliores nos putamus fore; aut pollentiores ingeniis, magisque factos atque aptos ad litteras, aut natura et nutu quodam ingeniorum magis ad litterarum studia propensos, Græcis, a quibus artes ac disciplinæ omnes, cultusque et ornatus ingeniorum, et natus est et auctus, et in ceteros omnes mortales propagatus; si ille pristinus, qui jam olim ardor deferbuit, adhuc in nobis duraret, fortassis credi posset pie victurum christianum sub Turca; sed quum videamus inter nos, plena et florenti ecclesia, propter numum unum centies pejerari nomen Domini, ubi perjurio non solum a divino iudice parata est spiritalis animadversio, sed etiam ab humano corporalis, quid futurum arbitramur non numo uno, sed tanta merce-

Qui tales
sumus sub
christianis,
quales erimus
sub turca?

ce-

cede proposita commisi? Et qui sub Turca contra christianos, contra patriam, contra penates, contra religionem, meret ducato uno, an non religionem ipsam deseret, et se abnegare profitebitur, si is jubeat, aut se cupere significet, propter decem?

Quid, ii qui hic inter nos de fide sunt dubii, num illi non levissimo momento impulsu deficerent? Nec illi ipsi, qui nunc sunt firmi ac constantes, fortassis stabilitatem illam suam perpetuo possent conservare; quantum putamus contagii ex dubiis et inconstantibus fidei Dei hominibus, ad sodales, ad convictores, ad familiares, et eos quibuscum versantur, et colloquuntur, affricari ac hæreere? non minus atque ex putri aliqua ac fœda scabie: Cui non injiceret scrupulos illa tam frequens dubitatio, inquisitio, examinatio, altercatio, præsertim accedente in partes diaboli veteratoria astutia et fraudibus? Nam si in rebus, quæ corporeis sensibus expositæ sunt magis atque obviæ, quàm ea in quibus sita est fides pietatis, humana cavillatio aliquid semper invenit, quod convellat, quod luxet, et præstigiæ sensibus nostris fiunt, ut veritas sæpe obscuretur ac cogatur latere, non id quidem rerum vitio, aut magnitudine luminis nostrorum ingeniorum, sed tenebris atque hebetudine mentis nostræ, ut merito ille dixerit: *Nimum altercando veritas amittitur*: Quid futurum est in religione, in ea quæ sensum omnem humanum excedit, quæ est *substantia rerum spectandarum, argumentum non apparentium*?

Fortior quidem Deus diabolo, et omnium veritas fortissima; sed nos, qui a Deo ad diabolum defecimus, quæ a partibus nostris videntur stare, facillime recipimus, ægre quæ faciunt pro divinis, pressi hoc carnis pondere, quæ nutu suo ad ima nos dejicit, id est, a cœlestibus ad terrena, ut magno conatu sit opus, quo tam onusti clivum hunc ascendamus, quum ultro per pronum delabamur: *Adfert tempus ipsum veritati splendorem ac lucem, et ipsa veritas posteaquam diu latuit, emergit tandem*: fateor, sed interea dum tempus cunctatur, dum illa emergit, nos immergimur, ac perimus.

Postremo, quum hic inter nos, ubi incitatur monitis, auctoritate sapientum, exemplis bonorum, deterremur ab impietate, ignominia, dedecore, foro, judiciis, pœnis, nihil vel videmus, vel

vel audimus, quod ad impietatem aperte ac palam adhortetur, atque impellat, aut a virtute, probitate, pietate avertat, atque arceat, respectum tamen Christi inter postrema posuerimus, nunquid si inversa sit vitæ et rerum ratio, non potiora erunt nobis, quæ jam nunc priora esse quàm pietatem existimamus? Quid jam ergo est reliquum, quod furiosi homines, perdiri, desperati, consecuturos se sub regno Turcæ sperent? *Non opes, non honores, non dignitates*, quis enim hæc canibus concedit cujusmodi nos illis erimus? *Libertas* quæ esse poterit sub tali domino, immo sub talibus dominis, nobis præcipue, quum nulla sit ejus populæ ejusdem gentis et hæresis? *Litterarum* nulla erit cura, nulla mentio; *pietas* in periculo: Quid restat? ut nova aliqua rerum natura condatur, cujus bonis insani isti sub Turca perfruantur.

Quòd si quis adeo sit forti atque audaci animo, ut contemptis aliis rebus omnibus, pietatem tamen se sub impio Rege conservaturum confidat, id tamen non debet aliis optare ac procurare, de quorum constantia ac firmitate nihil habet exploratum; sed et ipse qui sibi nunc videtur stare, ne se efferat animo, juxta monira D. Apostoli, sed circumspecte agat, metuens casum: non est omnino committendum, ut tentemus, ut velimus, ut optemus experiri qualis illa futura sit vita; in tantam tentationem morum, ac pietatis, nullo penitus modo, quantum præstari a nobis possit, debemus sinere ut inducamur; nam et illis, quos confirmaturus et corroboraturus erat ille spiritus, cui pares non sunt mundi universi et totius naturæ vires, præcepit tamen Deus, vigilent, orent, ne inducantur in tentationem, incerti utrum in ea pugna occumbent, an evadent incolumes; quanto id est nobis omnibus magis orandum, tanto infirmioribus, omni animorum robore ac viribus deserti ac destituti! precibus est hoc contendendum, et omni arte, ingenio, ope, viribus connitendum; cavendumque ne tanta pernicies et tam præsens malum contingat.

JOAN-

JOANNES LUDOVICUS VIVES

D. JOANNI EPISCOPO LINCOLNIENSI,
a Confessionibus Inclyti Britannicæ Regis

S.

AUDIO pacificatorias aliquot legationes ultro citroque inter Principes missas ac remissas, quod responsi ferant, ignorari; mihi vero bellum hoc nec humanis viribus excitatum, nec hominum voluntatibus videtur geri: Galli nihil magis cupiunt, quàm pacem; vos a bello abhorretis; Cæsar quietem exoptat; et a tot, bellum aversantibus, bellum trahitur; pacem desiderant, nec usquam est illam reperire: Quis non videat, esse voluntatem aliquam, quæ humana plus possit, polleatque, cujus imperiis hæc agantur, quum pax inveniri non queat, quarerentibus eam iis, in quorum manu videtur residere, quum votis exoptant, quos nos præstare posse credimus? Non inter se belligeratur hominum genus, sed cum Christo; ideo pace indignum est: *Non est pax impiis*, non est concordia superbis, solus bonus bono amicus est, malus nec bono amicus est, nec malo: ferunt paci orbis propemodum aliud non obstare, quàm quod neutra pars vult eam prior petere: Quid potest arrogantius, aut superbius dici, quàm hoc, vere ex diaboli schola, qui propterea sempiternus erit hostis Deo, quòd ut veniam petat, nunquam animum inducet? Quanta est veri ignorantia! Si quis res ipsas acutius perspiceret, intelligeret nihil esse magnificentius, nihil amplius, honoratius, excelsius, quàm ultro et priorem venire ad poscendam pacem; quid enim est aliud, *Faciamus pacem*, quàm, reprimamus *cedes*, depellamus *latrocinia*, constituamus *concordiam*, reducamus et confirmemus humano generi *commercia*, *religionem*, *litteras*, *disciplinas*, *tranquillitatem*, *securitatem*, *gaudia*, mundo novam quandam et hilarem *faciem*, discutiamus *tristitiam* orbis, *vivant boni*, et *vigeant* malorum vero et consceleratum hominum *coerceatur audacia*.

Impiis nulla
pax.

Pacis bona.

Hoc qui prior dicat, qui alterum ad auxilium tantæ et tam
Tom. V. Aaaa præ-

præclare rei advocet, non video cur inhonoratior habendus esset, si inimicus homo non superseminasset zizania, et veras rerum naturas corrupisset, ac pro solidis ac germanis virtutibus laudibusque, depravatissimas opiniones humanis mentibus ingessisset: Narrant Hispani nautæ, esse in novo isto Orbe, quem repperunt, insulas quasdam, inter quas si bellum incidat, honestissimus et sit, et habeatur, qui pacem ab hoste roget; alterum scelestum, et omnibus in commune hostem, qui rogatam neget; et indignissime eos ferre, quorum hostes in postulanda pace ipsos anteverterint, officio pulcherrimo ad illorum sententiam, atque amplissimo: Quid nobis literæ? quid humanitas prodest? quid tot artes vitæ? tanta educatio? quid magisterium Dei omnipotentis? cum inter hæc tam admirabilia, corruptissima geramus naturæ judicia? Illi rudes et barbari populi, citra litteras, citra cultum ornem, et pietatem, veras sanasque opiniones a recta et pura natura edocti sunt; verum nostra hæc mala invexerunt duo inexhausta vitia, illis hominibus incognita, ambitio et avaritia, quæ ad summum profecta, efficiunt, ut nihil ulli sufficiat, quum aliquid semper desit altissimo gurgiti cupiditatis: itaque, nec nos illæ opes jam capiunt, nec ulli honores explent, animalcula, quibus et in alimenta viventium, et in sepulturam mortuorum dimidium agri jugerum sufficit, cogitatione per terras omnes ac maria circumvagamur, omnia turbantes, concutientes omnia, dum animi libidinibus obsequimur; nec nos fragilitatis nostræ, et quorsum evasuri simus, vel quotidie cadentium numerus, vel ipsi corporum nostrorum morbi admonent.

Quis non ceu monstrum detestetur, in tanta naturæ infirmitate tantam inesse ferocitatis ac malitiæ firmitatem? Geramus bellum, et vincamus *Turcæ devoraturus, et victurus accisus, et victorem lassus*; sic minorum animalium pugnas aquila dirimit ut utrumque absumat: si natura constitutum esset, ut isti corpusculo non nisi magna terrarum et maris spatia possent satisfacere, illa esset forsitan culpanda si nostri tuendi causa, hos tumultus longe et late excitaremus; nunc sacculus iste angustus, tam exiguis rebus non plenus modo, sed etiam redundans, tam

ci-

cito periturus, quantas movet tragædias? Providentissima natura! quæ ut nemo homini homo noceret, corpora nobis tribuit paucissimis explebilia, quo fraudes atque injurias mutuas justius tamquam nostro ipsorum testimonio condemnaret, et scelera nobis esse unis imputanda convinceret; ceterum nos obliti naturæ, obliti Dei, in mutuuum exitium concurrimus; hæc quotidie audimus, sed rimosis auribus; quotidie cogitamus, sed fluxa mente; eoque vitiorum ventum est, ut jam et morbos pro sanitate complectamur, remediaque rideamus tamquam senum delirantium inventa: verum hanc astutam, et insipidam sapientiam Dominus ostendet esse meram insaniam, et pallam in illo suo die quum justitia convertetur in judicium, et occultius aliquanto, quum unusquisque hoc corporis involuctro solutus, sistetur tribunali suo, judicis justis, et severis: quin etiam in hac vita interrogetur seorsum reputatio cujusvis horum, qui magna arrogantia profitentur humanam sapientiam, qualis sapientia sit, noctes et dies odio, invidentia, timore, elatione animi, iracundia, fraudibus, imposturis, terrore agitari, lacerari, distorteri? neque diurna pace, neque quiete nocturna perfrui? Hæc videlicet est sapientia hominum, hæc magnitudo, per alienam perniciem miserum esse.

Huc usque provectus sum justo dolore ob mala ætatis hujus, quum christiana gens, ejecto respectu omni caritatis evangelicæ, et Christi sui immemor, viribus suis ad se perdendum abutitur; nec unquam ipsa in apertius aut majus se se adduxit discrimen, imminente occasione suæ hoste potentissimo, abalienato Christo a tam fædo et deserto populo, qui relictis ejus sanctissimis signis, ad vitiorum omnium et idololatriæ castra perfugit, translato Dei honore ad homines et metalla, ut qui accuratius tractamus quæ sunt mortalium hominum, quam quæ Dei viventis in secula seculorum: idcirco ita vivimus, et agimus, velut filii abdicati, ut repulsi a tutela et cura Dei videamur, dimissi nostræ stultitiæ, cujus unius opera sunt clades, et ruina, et miseria omnis Europæ totius: at inter hæc, labiis Deum pacis honoramus, quum corda infecta sint hostili inter nos et cruento odio, non Principes modo, sed

Aaaa 2

pri-

Novi orbis
mos maxime
laudabilis.

Ambitio et
Avaritia.

Corpora
nostræ pau-
cissimis ex-
plebilia.

privati etiam, qui maximam et arctissimam amicitiam præ se ostentat; ut nunc verius, quàm ætate ulla alia, dici possit OMNIS HOMO MENDAX: nec ad homines solum, quod utique ferendum esset, aliud gerimus ore apertum (sicut inquit ille) aliud clausum pectore, sed erga Deum quoque, nefaria oblivione non reputantes illum cogitatus nostros acutius inspicere, quàm nos ipsos: loquimur tamquam filii Dei, vivimus tamquam ejus hostes: sed finem faciam, præsertim apud Te, qui hæc neque ignoras, et correctæ velles: utinam melioribus monitis non tanta esset objecta scelerum nostrorum moles. De conjugio meo alias ad Te scripsi: Ricardus Patus, sororis Tuæ filius, et Antonius Barcherus, cliens Tuus, mira alacritate in studiorum studio decurrunt; nihil illis opus vel incitatoribus, vel frigida, quod scio multo Tibi gratissimum esse.

VALE MI PATER.

Octavo die Julii, 1524. Brugis.

JOANNIS LUDOVICI VIVIS

DE COMMUNIONE RERUM,

AD GERMANOS INFERIORES.

Sapientes quidam e gentilitate, animadversis acute ac diligerenter humanis rebus, pronuntiarunt *Vitia in præcipiti, virtutes in arduo esse sitas*: alii sensu eodem *Res bonæ ferri adverso flumine, malas autem prono et secundo*; ita nos nostra sponte ad vitia prolabi, magna autem brachiorum vi contra annis cursum reniti: haud secus quàm qui, ait Vergilius, (1)

::: *Adverso vix flumine lembum*

Remigiis subigit: si brachia forte remisit,

Atque illum in præceps prono rapit alveus amni;

::: *Sic omnia fati* (2)

In pejus ruere, et retro sublapsa referri.

Olim

(1) Georg. lib. 1. vers. 201.

(2) Georg. lib. 1. vers. 199.

Olim in Germania res pietatis erant ita constitutæ, ut firmæ ac stabiles gratissima quiete perseverarent; nec quisquam fas esse ducebat de ulla earum rerum, quæ receptæ jam essent, ambigere: inventus est qui primum auderet quædam in dubium revocare, initio modicè ac verecunde, mox aperte, non solum ut disputaret, sed ut negaret, abrogaret, tolleretur, permulta tanta confidentia, quanta si de cælo et arcanis divinitatis esset delapsus, aut de calceo vel pallio suendo foret quæstio: ea fenestra aperta, jam non quæ speciem aliquam dubitandi possent præbere, sed quæ per tot annos accepta, et approbata essent ab ecclesia, rejecta sunt ut falsa, inutilia, noxia.

Ex dissensione opinionum ventum est ad dissidium vitæ, cæptum est non jam amplius linguis et calamis certari, sed hastis, gladiis, bombardis; illis vero, qui pro ficto quodam libertatis nomine, et æqualitate inferiorum cum superioribus iniquissima, bellum moverant, successerunt qui non illam modo exæquationem, sed communitatem rerum omnium decernant, postulent, efflagitent, ad eamque obtinendam homines supra modum evangelici, quique nos pro christianis non habent, sumunt arma, conjurant adversus magistratus, ut per illorum cædem, et incendia domorum, turbatis civitatibus, impetum in bona et fortunas omnium faciant: Quid excogitari potest conformius jussis Christi? Nimirum, Dominus noster, aut ejus Apostoli, si hic inter nos adhuc agerent, non aliud præciperent: profecto verum est præcipites ferri nos in facinora et scelera, levemque impulsus sufficere ad fœdissimos lapsus: (1)

Ut cum carceribus se se effudere quadrigæ,

Addunt se in spatia, et frustra retinacula tendens

Fertur equis auriga, neque audit currus habenas:

si res hæc nulla rationis agitur specie, sed violentiâ tantum et robore brachiorum, jam non secta hæc est, sed latrocinium: Quid aliud vel Spartacus volebat, qui movit bellum servile? vel Catilina, qui conjuravit adversus patriam? vel piratæ, qui

ter-

(1) Georg. lib. 1. vers. 121.

terras et maria inquietant prædandi gratia? Quid opus est adversus hos verbis, aut disputatione? sola vi vis arcetur, armis arma, et dolo dolus comprimitur: Quòd si armantur exercitus adversus eos qui abegerunt ex agris pecora, et otriverunt segetes, quid istis erit faciendum, qui in visceribus grassantur civitatum, nec quemquam esse quietum sinunt, impetunt probos, et moderatos, astu, vi, ferro, incendiis? Qui estis hujusmodi, cogitis Principes et magistratus in vos sævire, non satisfacuros alioqui muneri sibi a Deo mandato tuendi suum populum: minatus est aliquis incensurum se domum quampiam; an non vos ipsi, si magistratus essetis ac civitatis custodes, noctes et dies advigilaretis ut illum mactaretis publicæ securitati? Judicate ipsi de vobis, qui conspiratis in incendium totius urbis: si fera aliqua, leo puta vel draco, in abdito quopiam ageret civitatis loco, unde subinde improvisa prodiens, laniaret obvios, quàm teneret cives omnes sollicitos et intentos, quoad pernicie illa adeo præsentis, et anxia formidine liberi essent?

Vos dies et noctes consilia initis crudelissima, quemadmodum rapiatis, perdatis, trucidetis; quis mirari possit tam esse magistratus intentos, ut vos ex vestris latebris extrahant, et tam præsentis peste civitatem suam expurgent? et ut appareat quàm vel ridiculam vel indignandam fabulam agatis, dum hæc tantopere nefaria, et non dico a mansuetudine pietatis christianæ, sed ab humanitate omni, aliena atque abhorrentia tractatis, agitis, decernitis, evangelium Christi habetis in manibus, et epistolas Apostolorum ejus; Vide quem ignem ex quo igne accendunt! Dominus ait: *Veni, ut ignem mitterem in terram*, *ecquid volo aliud, nisi ut ardeat?* isti faces accendunt, non quibus animos nostros salutari igne inflamment, sed quibus nefario igne, templa, domos, fortunas omnium: quid potest dici congruentius?

Non sum adeo inhumanus, nec tam male de vobis omnibus sentio, ut existimem omnes, qui communionem hanc rerum expetunt, ferro et incendiis grassari velle: credo inter eos esse non paucos moderatores, nam in hoc negotio tria hominum genera versari arbitror: præcipui sunt, et aliorum ductores,

Tria istorum
hominum ge-
nera.

ac

ac magistri, vafri quidam, facinorosi, impudentes latrones, qui moveri magnam hominum manum posse sperarunt, cupidine, tum divitiarum, tum consequendi quicquid animo esset collibitum: alterum genus est quorundam, qui vel desidia atque ignavia, vel fortuitis casibus, vel immoderatis sumptibus, profusis patrimoniis, aut laborem defugientes, quo facile parari posset victus, communionem bonorum optant; nec inter hos desunt, qui mediocri opulentia, majores divitias expectent si locupletum hominum fortunæ in prædam concesserint: tertii sunt, quos ego non tam prava voluntate peccare autumo, quàm ignorantia et tarditate mentis, quibus ex quocunque mysticæ scripturæ dicto, imperitissime ac stultissime intellecto, quidvis persuaseris levi opera; quod malum quantum his temporibus, et quàm late damnum attulerit, nemo facile dixerit, præsertim prona crudelitate in res vel novas, vel libidini gratas, et contra eos quos oderant: itaque isti quum audiunt: *Caritas omnia reddit communia, in prima illa ecclesia omnia fuisse fratribus communia, Dominum nostrum jubere ut qui habet duas tunicas, det unam non habenti*, continuo adducuntur, ut statuatur ita oportere fieri, nec aliter posse nos caritati et religioni christianæ satisfacere.

Ex his tribus generibus, primi sunt non magis sanabiles, quàm latrones; secundorum prava cupiditas cohiberi potest facile; tertii non multum absunt ab innocentia, in quos competit illud Petri: *Scio fratres, quod per ignorantiam fecistis*: primi relinquuntur potestati civili, in quam aperte peccant; decernat de illis juxta receptas leges *qui non sine causa gladium portat*: Quod si non temere gladium gestat adversus fures, adulteros, circumventores, quid contra sentinam hanc malorum omnium terribilissimam et pestilentissimam? Secundorum cupiditas etsi non caret culpa, quamdiu autem est sine aliorum fraude, pœnam non meretur, lex enim civilis in cogitatus et occultas cujusque cupidines non penetrat: quod est unius Dei.

Postremi digni sunt et clementia, et doctrina, qua meliorum moneantur; istis visum est mihi quæ dederit Spiritus Domini scribere, ut rectius de rebus sentiant, seque a consortio segregent hominum consceleratum, ac facinorosorum, qui aliud

aliud non quærunt, quàm socios latrocinii complures; sperant enim per vires et potentiam multitudinis nacturos se impuniter suorum facinorum: quod frustra sperant; non enim nunc primum continget quod nunquam antea sit visum; et ut præterita omittam, sumant experimentum, quàm in irritum omnia ipsorum cadant consilia, adversante Deo tam nefariis ac impiis conatibus: dolendum profecto esset hosce innocuos in dispari causa parem exitum sortiri cum illis immanissimis latronibus.

Itaque jam de quæstione ipsa cum eis agamus quos sanari posse spes est aliqua: Cedo, quæ vos cur postulatis ut communia sint omnia? adducitur statim exemplum Apostolorum, quod in ecclesia illa nascenti et purissima, fervente etiam tum in christianorum cordibus Christi Sanguine, nemo existimabat quidquam esse suum, sed omnia illis erant communia, et distribuabantur ut cuique erat opus: Rectissime id quidem factum, quis neget, et conveniens caritati, si probe expendas singula? Sed visne tu in nomine christiano, quod Christo gratia per universum terrarum orbem patet, fieri quod tum fiebat inter paucos in eadem civitate congregatos, nempe Hierosolymis? Num idem postea est factitatum inter Gentes? quid tale vel in Asia, vel in orbe reliquo est factum prædicantibus Joanne, Paulo, et aliis vel Apostolis, vel eorum discipulis? Paulus non præscribit Timotheo de divitibus, ut facultates suas communes proponant omnibus, sed sic: *Divitibus hujus seculi præcipe, non sublimiter de se sentire, neque sperare in incerto divitiarum, &c.* Quid, quod nec legimus illud esse Hierosolymis vel jussum, vel prædicatum ab Apostolis ut fieret, sed recens baptizatos ex ardore ingenti caritatis eò impulsos; neque enim a Domino acceperant, apud quem Zachæus publicanus sic de vita sua profiteretur: *Ecce Domine dimidium bonorum meorum do pauperibus, et si quem defraudatus sum, reddo quadruplum*: accipe quid audiat a Magistro veritatis; non jubet eum omnia in commune proponere, sed hac parte satisfactum censens caritati, dicit: *Hodie salus huic domui facta est*: at dicit idem Dominus alio in loco: *Qui habet duas tunicas, det unam non habenti; et, si vis perfectus esse, abi, vende omnia que habes, et da pauperibus, et reversus sequere me*: excutiamus hæc quæso te.

Cent.

quæ Censesne tu eum esse ex illis non habentibus cui alteram tunicam jubet dari Dominus, qui habebat quidem, sed per luxum ac nequitiam profudit, deinde propter desidiam non habet, quum labore ac industria parare possit si velit? non credo te adeo esse stupidum ut existimes Dominum suadere ut benignitate mea aliam hujus ignaviam et socordiam; non est hic non habens, sed nolens: audi Apostolum, velut interpretantem Magistri dictum, ad Thessalonicenses: *Sunt inter vos quidam ambulantes inquiete, nihil operantes, sed curiose agentes; his autem, qui hujusmodi sunt, denuntiamus, et obsecramus in Domino Jesu Christo, ut cum silentio operantes, panem suum manducent, quoniam si quis non vult laborare nec edat*: præcipit omnino Apostolus, ne iis subveniatur, qui otiosi et desides nolunt sibi panem labore aliquo vel industria quærere: Quod si hic, quum nihil habeat, quia tamen habere non vult, pro habente judicatur, et indigno qui accipiat, quid de illo erit sentiendum qui habet quantum sat est, plus tamen aver, postulat, quærit? Sed expendamus ipsa verba Domini: *Qui habet duas tunicas, det alteram non habenti*: dare audis, non rapere; tu non vis elicere, aut impetrare, sed extorquere, etiam per vim, per incendia, per occidionem: dicitur vero de duabus tunicis, ut det alteram; non jubetur quis communia facere sua omnia, sed dare superflua, retinere necessaria; tu, non explorato, ac ne considerato quidem quæ sint cuique necessaria, quæ superflua, petis, rapis omnia; non animadvertis, senex sit an juvenis, sanus an æger, maritus an cælebs, onustus liberis an contra, rudis an peritus; tum cujus artis peritus, utrum ejus per quàm possit quæstum facere, an quæ non sit in precio, filios habeat an filias, nubiles an nondum; quæ domi ejus vides, aliena sint an propria, commodata an commendata, an credita, nihil horum penitus, sed tamquam si lupo esses, aut ursus, uno impetu cæco sine cogitatione, sine consideratione, irruis, invadis in ejus facultates, et in illam ipsam unam tunicam, quam Dominus ei reservat, et hoc, ut præ te fers, ex immodica tua erga illum caritate.

At ex vobis dicunt nonnulli: *Quod non recte faciunt ultro, faciant saltem coacti*: juxta illud Domini: *Compelle eos intrare*: et

Tom. V.

Bbbb

Deus

Qui habet
duas tunicas

De commu-
nitate Apo-
stolorum.

Deus permisit ut Hebræi spoliarent Ægyptios, et ejecit Amorrhæum, et Hiebusæum, ut introduceret filios Israël: nullum est tam leve momentum rationis, quod vos, aliis in rebus lentissimos, in istis non permoveat, et quocunque libuerit totos convertat: An vero potes tu invitum me et reluctantem pertrahere ut beneficiam? Num opus ullum esse bonum censes, cui refragatur sententia voluntatis? Quis adeo est demens, ut, *Compelle eos intrare*, ad violentiam referat, et non potius ad assiduam admonitionem, de qua Paulus aperte ad Timotheum: *Prædica verbum, insta opportune, importune, argue, obsecra, increpa, in omni patientia et doctrina?* scilicet, ingrediuntur animi, quo corpora contra voluntatem detruduntur? Non misit Dominus suos instructos iis armis, quæ apta sunt ad vim, de qua tu loqueris, nempe, hastis, gladiis, balistis, scorpionibus, sed de qua ego loquor, verbo veritatis, et vi prodigiorum: Hebræa vero carnalia sunt, nec in lege spiritus habent locum nisi ad spiritum reducta, alioqui cur non insipidam illam et mortuam quoque legem recipimus, cum puerilibus cærimoniis? Itaque spoliatio Ægyptiorum, et ejectio Amorrhæorum, ad altiorem sensum pertinet, nempe ad internecionem carnis et vitiorum, quum ad requiem promissam tendimus: ceterum in ipsa etiam carne, non rapuerunt filii Israël aurum et argentum Ægyptiorum, sed impetrarunt, quum Dominus illos gratiosos fecisset apud Ægyptios, et Ægyptii vexati tantis malis libenter eo precio redemerunt se ab ultione Dei Jacob, quem adeo potentem et severum experiebantur.

Cum Amorrhæis autem et Cananæis noluit Dominus quidquam esse commune filiis Israël, sed propter eorum scelera delevit eos de terra, in quam ex promisso introduxit sobolem Abrahamæ atque Isaac.

Illud porro, *Vade et vende omnia quæ habes*, non ad communionem spectat, sed ad denudationem ab omnibus, ut expeditus expeditum, nudus nudum Christum sequeretur usque ad crucem, et mortem; nam qui præcipit vendere et distribuere, non intelligi vult, ut communes possideat opes cum aliis, sed ne quidquam possideat cujus cura a sequela Christi impe-

diatur: quòd si in vobis tantus est respectus caritatis et perfectionis christianæ, non aliena invadere, sed vestra distribuere deberetis: Quàm egregia et plane festiva interpretatio dictorum Christi! ille tibi dicit: *Da pauperibus omnia quæ habes*; tu conversus ad proximum dicit: *Audis ne, quid ille præcipit, ut ego accipiam, quæ habes*; tibi vero id præcipitur, ut des, non ut rapias, ac ne ut petas quidem: Quid Magistro caritatis cum peccatis? dare ille docet ex animo, quod est caritatis; non petere, quod est cujusvis etiam nequissimi; multo minus rapere, aut extorquere, quod est latronis: ideo Paulus ait, et quidem juxta verbum Domini, *Beatius esse dare quàm accipere*, dare enim ad æterna bona evehit, accipere autem horum est terrenorum, quæ momento temporis effluunt; dant autem libenter non nisi optimi, accipiunt vero eo libentius, quo sunt pejores.

Sed revertamur ad exemplum Apostolorum, quo vos uno maxime confiditis, quasi per omnia similes illorum, quum nihil de prisca illa sanctitate placeat præter nomina, quibus vos ad desidiam, et luxum, et insolentiam vestram abutimini; nam si vetera illa tantopere vobis probantur, cur non illorum fidem imitamini, patientiam, mansuetudinem, clementiam, alacritatem spiritus? cur non exhibetis vosmetipsos omnia omnibus, ut omnes lucrificatiis? cur non ad prædicandum evangelium, et gloriosam pro Christi nomine obeundam mortem, in Africam vel Asiam conceditis? Paulus *Debitorem se omnibus esse*, profitetur, et *laborare manibus*; vos alios vultis laborare manibus, et debitores vestros esse dum in cauponis et ganeis desidatis: sed Luca verba hæc sunt Capite quarto Actuum Apostolorum: *Multitudinis autem credentium erat cor unum, et anima una; nec quisquam eorum quæ possidebat, aliquid dicebat esse suum*: non dicit neminem possedisse quidquam proprium, sed non dixisse: addo etiam pro vobis, nec existimasse quidquam proprium; dicere enim in sacris litteris non raro pro sentire atque existimare usurpatur, ut: *Dixi, Custodiam vias meas*; et, *Dixit insipiens in corde suo, Non est Deus*; et, *Dixi, Vadam et affluam deliciis*; et, *Quum hæc omnia feceritis, dicite, Servi inutiles sumus*: sed erant eis omnia communia, videlicet, quod quum nemo existimaret se

Compelle
eos intrare.

Hebræa car-
nalia.

quidquam habere proprium, fiebat usu et levatione necessitatum omnia fierent omnium; quum quòd refert historia possessores agrorum argento ex venditione illorum conflato, possuisse precium ante pedes Apostolorum, non colligitur hoc fecisse omnes, sed nonnullos, nam de Joseph cognomento Barnaba meminit, non erat autem opus exemplo peculiari unius, in quo erant alii pares.

Accedit huc, quod id non ex jussu cujusquam, sed instigatione caritatis fiebat; nam Petrus Capite proximo Ananiam castigans, qui de agri precio detraxerat quod occultaret, dixit: *Num non tuus erat ager, et agri precium tuum, ac penes te?* itaque non propter pecuniam, quam retinuit, multatus est, sed propter mendacium, quo Deum se se falsurum speraverat: sed pergunt: *Caritas omnia reddit communia*, cum naturæ legibus (nam amicus cuique, juxta sententiam Aristotelis, *est alter ipse*, ideo Pythagoras *Omnia esse amicorum communia* ajebat) tum vero lege Dei quæ potior est, quàm natura ipsa: indubie si ego te vere ac plane ex animo diligam, non minus existimabo oportere te meis uti, quàm si tua essent; vicissim tu facies, si me ames; tum fiunt communia omnia in amore mutuo, quæ amicitia nuncupatur; sed caritas mea etsi facit tibi mea communia, non tamen facit mihi tua communia, caritas enim mea in me exercet suas vires, non in te: salsum vero, si quis hæc utatur oratione: *Amabo, mi frater, da mihi tua omnia, quia amo te*; quin potius, respondebit alter: *Da tu mihi, si me amas, nam si ego dederò, non id erit signum me amari abs te, sed si accepero*: jam vero, caritas facit omnia communia usu quum est opus, non possessione; mater enim locuples, quæ unigenam suum tenerrime amat, non protinus ei possessione cedit bonorum, sed non patitur ei quidquam deesse eorum quibus indiget: novum caritatis genus, ex abundantia illius invadere aliena; et quia tu efflictim me amas, rapere mea me invito, ut quum tu nihil habeas, ego multum, efficias ut vice versa, ego repente nihil habeam, tu omnia: tu hanc caritatem facile approbares piratis, lenonibus, fœneratoribus, aleatoribus, ebriosis, decoctoribus, flagitiosissimo atque impurissimo cuique.

¶Hæc

¶Hæc qui docent, si ita sentiunt, suntne homines, an belluæ? si non sentiunt, sed persuasuros se sperant, vel sunt impudentissimi latrones, vel ad quos loquuntur, non habent pro hominibus: tu si veram germanamque habes caritatem, edetum in te ipso, tum in aliis, actiones atque opera caritatis; in te sunt ea quæ D. Paulus recenset in epistola ad Corinthios prior: *Caritas patiens est, benigna est, non emulatur, non agit perperam, non intumescit, non est indecora, non querit quæ sua sunt, non irritatur, non accipit in malam partem, non gaudet de iniquitate, congratulatur autem justitiæ, omnia sustinet, omnia credit, omnia sperat, omnia perfert*: erga alios autem exercetur caritas, ut quacunque vales adjuves, et prosis, in animo, in corpore, in fortunis, voto, verbo, opere, per te, per alios quoscunque, quoad ejus possis præstare. Optare quidem debes, ut omnes ab spiritu Domini regantur, et caritas Dei valeat in eorum pectoribus; judicare autem de cujusquam animo, non est tuum: *Quis es tu qui judicas servum alienum? domino suo stat, aut cadit*: *Quid agit quisque, quid dat, quid retinet, quid possidet, vis tu scrutari, et ex iniquitate judicii tui statuere? magnum hoc est argumentum non duci te caritate, sed invidentia, temeritate, et pravis cupidinibus; caritas enim omnia suffert, ut modo dicebam, omnia bona credit de dilecto, omnia sustinet, omnia sperat.*

Ostensum est communionem hanc nulla esse lege jussam; consequens est, ut doceamus ne posse quidem fieri, etiam si maxime expediret: et quia res ingenti clauditur ignorantia, examinemus paullo diligentius singula, nam isti, si quid dicatur animadverterent atque intelligerent, non dubito quin permulti eorum in nostram sententiam transirent: vultis esse communia omnia: raceamus de statu illo hominis inculpato, quem *innocentia* vocant; loquamur de hac nostra natura proclivi ad vitium, et mala omnia: sunt quædam naturæ ita communia, ut propria non possint effici, cujusmodi *cælum, sidera, et hic aer spirabilis*: sunt alia communia, quæ occupatione fiunt propria, ut *piscis in alto captus, et avis telo dejecta*: sunt alia legibus et jure civili communia, ut *agri vacui, qui fiunt occupantis; et in theatro, vel templo, quem quisque locum ceperit, ejus fit ad tempus*:

jam,

Opera caritatis.

An possit esse rerum communitas inter omnes in hac natura.

Caritas omnia facit communia.

jam, sunt quædam usu communia, alia possessione, quæ propter usum est parata; nam si usum omnino detrahas possessioni, res est inanis prorsus, et umbra sine corpore: porro omnia jubet esse communia: latum verbum *Omnia*, et plane stolidæ cujusdam temeritatis; ea enim nemo valeat determinare, nec ubi tandem consistat, nosse: dixerit fortasse inter istos paullo cordatior quispiam: *Omnia quæ sunt humani usus*: Percurramus per hæc ipsa.

Animus.

Habet homo animam, corpus, externa: Vis in animo virtutum esse communem? Vis acumen, scientiam, usum rerum, prudentiam, judicium, memoriam? Vis in corpore robur, valetudinem, formam, integritatem, acumen sensuum, ætatem? Hæc cuique sunt propria, non potes communicare aliis: restant externa; quæ tandem ista sunt omnia, quæ postulas fieri communia? ego sum studiosus, tu miles; hocine videtur tibi æquum, ut libri mei sint communes tibi, mihi vero tua arma? placet dare puero, quæ sunt senum, in victu, in vestitu, in cultu, senibus vicissim quæ puerorum? ægris quæ sanorum, et e contrario? nihil fuerit ineptius ac perversius: onera sunt ista, non utilitates. His accedunt, quod alii sunt heri, alii famuli: placet ne omnes vel heros fieri, vel ministros? quis unquam sanctorum vocavit servos ad pileum, et movit bellum servile? Censen tu omnes debere esse magistratus, aut contra, omnes esse privatos? lex Christi, et famulos, et dominos, et magistratus, et privatos distinguit; non confundit ordinem ille, cujus opera omnia ordine et præscriptione persistunt, tantum animos format ad mansuetudinem, clementiam, humanitatem, et obsequium, quod multis locis Apostoli testantur; Dominus enim noster, qui dixit: *Qui primus erit inter vos, gerat se ut postremum*: non primatum abrogavit, sed aperte constituit, verum moderatum, et modestum, ea mente quasi esset postremus: An non Petrum pascendis ovibus suis præfecit, et Paulus potestati superiori obsequentes nos esse jubet? Qualis autem relinquere-tur species reipublicæ, in qua nemo esset rector aliorum et præses? quale corpus foret sine capite? qualis navis sine clavo, et gubernatore? qualis homo sine mente? quid inæqualius illa æqualitate?

At

At uxores videlicet erunt communes: Quid esset causa majorum malorum? pater filio in hoc non concederet, nec filius patri, nisi forte inter pecudes; unum ex omni hominum memoria refertur exemplum Seleuci Syriæ Regis, qui filio Antiocho, quem tenerrime diligeret, quod amore novercæ captus contabesceret, et in discrimen venisset vitæ, uxorem cæssit, quod in paterna indulgentia primum ponitur; Paulus tradidit illum Satanae, qui uxorem accepisset viduam patris sui; et Salomon stultum excordemque illum pronuntiat, qui cum adultera uxore habiteret; Plato, qui in sua republica ausus est de communicandis uxoribus disputare, explosus, ejectus, exhibitus, irrisus est, non a christianis modo, verum etiam ab ipsis philosophis Gentilibus: Sed quid opus est hac de re verba inter nos facere, quorum Deus, et Dominus, adulterii damnat non solum illum, qui uxorem alienam impudice attrectavit, sed qui vel concupiscens aspexerit? nimirum, Pater ejus dixerat: *Ne concupieris uxorem proximi tui*: honorem, credo, et decus commune facies, ut non minus homo sceleratissimus accipiat et stupidissimus, quam probissimus et sapientissimus; ut accipiat, quidem, nullo negotio perficies, sed ut detur, reclamabunt superi, et inferi, et parietes ipsi.

Uxores.

Honor.
Ironia.

His rebus omnibus detractis quid fit reliqui? opes, quibus quisque eget: Quid petis? ut egeno succurratur: æquum est, non te utique extorquere, sed unumquemque facere, ut qui eget accipiat; eget vero, qui non habet, nec parare potest, vel per ætatem, vel per imbecillitatem, aut inscitiam, non qui abligurivit omnia, postea impudenter perit, immo efflagitat tantquam suum, fucus otiosus, alienæ industriæ insidians: in opibus sunt domus; harum autem et rei familiaris communitas nulla esse potest in tanta varietate ingeniorum; est alius natura solitarius et taciturnus, alius ex casu quopiam mœret, aut luget; alius languet, aut ægrotat; sunt senes invalidi, et senio graves; sunt occupati magni momenti cogitationibus, ut de collocanda filia, de summa belli, de re familiari aut publica; versatur quis in studiis litterarum, contemplatur humana aut divina, orat cum intentione pietatis, vis tu in secretum istorum irrumpe-

Opes.

Domus.

pere, et captantem quietem ac silentium interpellare? ne domesticus quidem, aut conjux, vel filius gratus esse posses per id temporis, quanto minus hospes, aut civis alienus, et ignotus; etiam caupones, et qui in diversoria omne genus hospitum ad se vocant, et recipiunt, habent sibi et familiæ suæ cœnacula, et conclavia separata, ad quæ non admittuntur hospites: Quàm multi sunt etiam in civitate, quos etsi non odimus, eorum tamen usus et consuetudo est nobis odiosa! hæc tanta importunitas non aleret profecto concordiam, sed magna in cujusque pectore odia et simultates: Apostoli, et Dominus nos ter, fons totius caritatis, etiam sine foco et lare, subducit nihilominus se non raro a turba, quandoque etiam ab ipsis discipulis, in montem, in locum desertum ac solitarium; nimirum, incurrunt tempora, aliis majora et plura, aliis minora et pauciora, ut est cujusque ingenium et mores, in quibus omnino velimus esse nostri, et quasi intra nosmetipsos secedere, nec quidquam contigerit gravius et molestius, quàm altum illud silentium interrumpi.

Prætereo necessitates corporis, dormire, quiescere, levare vesicam, purgare alvum, pedes abluere: tu ergo dum alter captabit somnum, cantabis, si videbitur, aut saltabis: sed plerique istorum assueti dies et noctes in cauponis, et gancis, et lustris, agere, seu verius habitare inter strepitus et clamores absonos, nec silentium, et quietudinem vel sentiunt ullam, vel requirunt, nec corporis purgamenta ritu pecorum aliis præsentibus verentur reddere: jam definias usum suppellectilis: sumis tu vestem meam, aut poculum quo ego nunc non egeo, intra horam egebo; non referes nisi postridie; quæ communicio est hæc, ut cujus res sit, non possit uti quum velit, alter autem quamdiu velit, utatur? hocine est concordiam et amorem mutuum gignere, conservare, augere? immo est totius amoris venenum, qui mansuetudine, bonitate, commoditate morum procreatur, nec est ullus, qui tantam importunitatem non aversetur, et oderit: Quid de pecunia? si tu quantum tibi sat est habes, qua fronte a me postulas meum? an ut et tu abundes? atqui istuc est quod tu in me damnas: Quis vero videre poterit æquis

Pecunia.

æquis oculis, quod solertia, labore, assiduitate, parsimonia collegit, otiosis se invito distribui, et industriam suam alienæ ignaviæ desudasse? Accenditur in similitudine artium atque officiorum invidia; et extincta erit, si tu indignus possideas id quod ego bonis artibus quæsi; si ultro ipse dederò, facile patiar; sin cogar, quis dubitet, quin futurum id sit animo meo intolerabile? vult enim quisque ad suum, non ad alienum arbitrium, et amare, et benignus esse, ac beneficus: Cogesne tu me sine summa mea indignatione, ut opus si libens fecero pulcherrimum, faciam invitus? quis non hanc servitutem esse censeat, ut recte facere non in mea sit manu, sed in tua, qui me compellis?

Tolle ab hominibus hos animorum motus qui affectus dicuntur, fortasse communionem rerum perfeceris; finge novos quosdam homines, et rempublicam Platonis non solum a Philosophis derisam, sed a natura ipsa rerum ejectam; nam in his hominibus, et his affectibus, non communionem introduces, sed odia, dissensiones, rixas, jurgia, pugnas, bella; natura enim nostra aspernatur eam, reclamatur, repellit: quippe, res humanas omnes condidit Deus propter usus hominum; usum necessitas peperit; regit autem ingenium, et scientia utendi, tamquam gubernator navem.

Natura communionem rejicit.

Quod si nec omnibus eadem est necessitas, nec eadem scientia utendi, quæ ratio est, ut usus sit idem? belluis omnia sunt semper communia quod nec egent nisi ad præsentem pastum, nec peritiam acceperunt variæ utilitatis; humano generi ingenium tam varium, diversum, multiforme, aperte testificatur non posse ullo pacto eundem esse rerum usum; justitia et sapientia opus est ad regendos populos ac cœtus hominum; illas qui habet, aptissimus est rector; vis tu Magistratum illi esse communem cum puero imprudenti, cum lenone impurissimo, cum pirata vel gladiatore crudelissimo? nec putabis interesse quem præcias tuæ civitati, optimum, prudentissimum virum, callidum usu rerum atque experimentis, an perditissimum, nequissimum, flagitiosissimum? Est opus consilio; nihil putabis distare, referas ad hominem cordatissimum, an ex-

cordem? conservanda est pecunia; nihil differet, commendetur homini frugi, ac bonæ fidei, an luxurioso decoctori? nihil referet de agris, homini diligenti, et industrio, an segni et otioso? tradas curandam rem familiarem parco, et frugi, an ebrioso, aut nequam, sine ulla mente et cura? Non potest exercitium rerum esse idem, ubi exercendi ars est diversissima: Auctor universi mundi, qui tantum discrimen inter homines posuit, non potuit manifestius nos docere, non minus discrimen oportere esse in possidendo, ac utendo.

Sed taceamus de mente, in quam homines isti sine mente non penetrant; aperi paullisper oculos, si sinit crapula: Videt ne alios pueros, alios juvenes, senes, viros, feminas, fortes, imbecillos, sanos, ægros, proceros, pusillos, hæc tua est sententia, res tam differentes eadem mensura metiri, idem bovi dare quod asino, tantundem equo quantum elephanto, sic vestiri piscem, ut simiam? Impetra novam rerum naturam a Deo, tunc forsitan et communionem hanc assequeris rerum quam animo confingis, et Messiam quem expectas; de qua impietate nefandissima nihil loquar in præsentia, erit aliud dicendi tempus: vide jam quantopere natura huic tuo (voto ne dicam, an libidini, an commento?) repugnet; fac ut, seu vi et potentia Principis alicujus, seu ingentis exercitus armati, omnia ad æqualitatem et communionem redigantur; non poterit ea æqualitas biduum totum perseverare; alii quod acceperint, potando, ludendo, scortando, victu lauto et vestitu profundent, et minus statim possidebunt; alii labore ac solertia quærent ut plus habeant; quod expensum fuerit, vel dissimulabit modestus, vel temerarius et ferox reposcet; qui paraverit, dare recusabit; inde rixæ et pugnæ inter omnes: De præ eminentia, scilicet, nulla erit contentio, quum in communitate illa unusquisque et alteri parere dedignabitur, et postulabit aliorum obsequium?

Quod si nunc, urgente necessitate, et admovente tantas faces egestatis, tam multi inveniuntur segnes, et qui mori malint quam manum admovere operi, quid futurum censemus æqualitate rerum omnium et communionem indicta? vel hæc sola recusatio laborum, aut ad inopiam rerum omnium nos redigeret,

dum

dum nemo arare vellet, aut fodere, aut ædificare, vel certe bellum atrocissimum excitaret, ut victores cogere victos laborare, in quo rursus inæqualitas major et iniquior multo, quam prius: Quid loquar de dignitate, de honore, quid de principatu? tolle hodie consules, senatum, Principem; pro duodecim sublatis senatoribus existent cras duodecies millia, pro duobus consulibus duo millia, pro uno Principe mille, quorum quisque sæviorem exerceat tyrannidem in suam multitudinem, quam quilibet ex iis quos vos sævissimos et importunissimos esse ducitis, quod per eorum consilia non licet vobis orbem terrarum cæde atque incendiis miscere; sed quale tandem sit, sive placitum, sive institutum hoc, sive, ut aptius loquar, latrocinium, ex iis qui id tantis animis, et tam immaniter ac scelerose cupiunt, procurant, qui se duces, auctores, suasores, impulsores, magistros præbent, quibus maxime conducit, facile fuerit absque ullis argumentis perspicere; *A fructibus eorum*, inquit Dominus, *cognoscetis eos.*

Boni et moderati homines, quacunque secta, quacunque opinione de pietate ac moribus quieti agunt, semper modici, moderati, contenti suo quamlibet parvo, frugi, laboriosi, diligentes; etiam indigentiam rerum omnium et inopiam extremam facilius ac libentius tulerint, quam ut subventum sibi cupiant per injuriam alienam; malunt fame et egestate contabescere, quam interturbare pacem et quietem cujusquam; a seditione autem non aliter abhorrent atque a sentina et origine malorum omnium, in qua nihil est tutum, nihil relinquitur incontaminatum, omnia profanantur et violantur: at isti egregii duces et signiferi nihil aliud postulant, quam seditionem, cædem, incendia, confusionem, et permisionem cunctarum rerum; sunt homines imperiti, sine ullo judicio prorsus et corde: Hoc primum quale est ad recte judicandum tantis de rebus, et ad innovandum orbem terrarum? nulla se exercent bona arte; eorum plerique opifices sunt, sed segnes, et quibus laborare instar mortis, affixi semper scamnis cauponarum et lupanarium; Quid aliud isti post decocta patrimonialia egentes atque inopes cupiant, quid aliud sibi censeant conducere, quam rerum uni-

Cccc 2

ver-

Adversus ju-
deos; et al-
ludit ad trac-
tatum de Ve-
ritate fidei
Christiane.

Quales sunt
qui commu-
nionem hanc
volunt.

versarum confusionem quandam, ad alendam suam segnitiam, et libidinem? quod scelus capitale reformident homines perditis et desperatis vitæ rationibus? mors parata est egestati; malunt perire majus aliquid ausi, juxta proverbium quorundam, *Dives, aut suspensus*: Qualis tandem existimanda est lex, quæ magis favet improbissimis quàm probis, utilior est impurissimis et turbulentissimis, quàm moderatis et quietis?

Adjunxerunt se his milites; *oleum camino*; O quales auctores pietatis, qui animas, ternis aureis scutatis in singulos menses, venales circumferunt, et bombardæ globo pectus opponunt! hi scilicet, spe maximarum prædarum, inverti et confundi omnia recusabunt? homines probi et moderati nihil volent partum sibi nisi juste ac legitime; et qui propter exiguam pecuniolam in bello, extra bellum, in agro, in urbe, propter symbolum autem in caupona, non dubitabit fratrem suum ense transfodere, hic erit mihi magister pietatis adversus leges patrias, adversus fidem Principi et patriæ debitam, adversus recepta a Patribus Ecclesiæ, adversus jura omnia et humana et divina? O miseros, quibus hujusmodi homines satis magnum habent pondus auctoritatis, ut eos in re, qua nulla est major, seducant, et quidem specie religionis et ex Dei jussis! Non est noyum, perditos et consceleratos homines seditiones et bella concitare, ut egestati suæ remedium quærant, quacunque possint, fecit hoc L. Catilina, fecerunt servi aliquot, quorum erat prætextus pulchrior pro libertate, sed ausum esse quenquam religionem deorum immortalium suis facinoribus obtendere, novum est omnino atque inusitatum, ac ut manifestior sit insolentissima vecordia, caritatis titulum crudelitati et latrocinio præscribunt; hoc veto non satis possint indignari quibus isti periculum creant, securi autem non satis ridere.

Novi Apostoli; sed ab illis veteribus toto cælo et solo differentes; illi cervices suas offerebant pro Christo, isti alienas impetunt pro gula sua et libidine; illi si quis quæ haberent cepisset, non repetebant, *Fertis*, inquit Apostolus, *si quis vos cædit, si quis expoliat*, isti raptum eunt aliena; illi Magistratibus et Principibus obtemperantes propter Deum suum Christum,

hi

hi Magistratibus et Principibus insidiantur propter Deum suum ventrem: in quo ergo conveniunt? in eo quod hi Apostolos se nuncupant ut illi, quasi ad nomen statim res consequatur, et evangelium circumferunt in sinu, etiam quum scortantur, quum adulterantur, quum ebrii vomunt, quum jugulant fratrem suum unius floreni gratia: equidem jam pridem nihil sum adeo admiratus, quàm potuisse in humano genere inveniri, non unum aut alterum, sed aliquot millia, qui in tantis rebus tam leviter caperentur, nec habuisse tantillum mentis, ut quàm stultum esset in ratione, quod illi attulissent, perspicerent, quàm impium in religione, quàm sceleratum in vita: Vosne si essetis homines, vel ausi fuissent illi de re tam impudenti verba facere, vel tertium illorum verbum taciti ac patientes pertulissetis? non estis profecto homines, nec vos esse facile intellexerunt illi a quibus estis turpissime decepti: sed estis vos, et naturæ munere perparum nacti mentis, nec illam usu, exercitio, diligentia excoluistis, immo si quid habebatis paullulum, illud otio, desidia, ingluvie, libidine obruistis, atque extinctis funditus.

Denique hominis plerique vestrum habent prorsus nihil nisi formam, vultis tamen de altissimis et reconditissimis rebus disputare, censere, decernere, vel decernentibus fidem illico accommodare; in judicio aliarum rerum in vita omni cunctabundi, seu tardi potius, in hac una, quæ est omnium prima, maxima, gravissima, celeres ac præcipitati; sed sit hactenus sive ruditate, sive tarditate, sive temeritate peccatum; reliquum est, fratres, juxta consilium Apostolorum, ut *segregemini a genere hoc pravo, nec ducatis jugum cum peccatoribus, ne vos justa Dei ultio cum illis involvat*: nec illi certe si (quod avertat Deus) forent superiores, magis vobis parcerent, quàm aliis; sed ubi alios omnes spoliassent, affixissent, occidissent, in vos, et uxores vestras, et liberos vestros, rabiem sui latrocinii converterent; quòd nunc non palam agant, causa est quòd sicuti est in veteri dicto, *Conjungunt homines mala*, foris habent satis negotii, quo occupentur; eo si essent perfuncti, sentiretis non esse magis pios, nec magis abstinentes erga vos, quàm in reliquos;

quos;

quos; omnia vestra bona, fortunæ, possessiones, uxores, liberi, libertas, sacra et profana concederent in jus et libidinem non meliorum, sed potentiorum; etiam regnum, et tyrannis teterrima, atque acerbissima, et latrocinium publicum impunitum receptum pro lege per vim atque arma.

Vos autem, fratres, relictis his sanguinariis atque incendiariis latronibus, redite ad veros duces ac magistros, tum pie vivendi, tum recte sapiendi, Christum atque ejus Apostolos, qui nos omnes ad mansuetudinem, ad patientiam, ac caritatem adhortantur, vocant, invitant, ut sine invidia aliorum acquiescentes rebus quisque propriis, quamlibet exiguis et difficilibus, sobrie, diligenter, industrie quærat victum non diu necessariam, sed ad peragendum iter hoc vitæ brevissimum in omni sanctitate atque innocentia, quæ via est ad æterna illa bona certissima; cetera, quæ sunt dissidii, contentionis, simultatum, belli, non Dei sunt, qui auctor est pacis totius, et concordiæ, sed diaboli, qui sedulus, quacunquæ per universam hominum gentem potest, inimicitiarum et discordiæ fortissima semina spargit, ac fovet; hanc autem Dei viam, quietis, moderationis, modestiæ, sobrietatis, pacis, experiemini dulcissimam, apertissimam, et huic vitæ tranquillissimam degendæ, et ad alteram illam consequendam sempiternam cui conditi sumus.

Brugis, M. D. XXXV.

LE;

LEGALIA.

JOANNIS LUDOVICI VIVIS

VALENTINI

AEDES LEGUM,

AD MARTINUM PONTIUM JURISCONSULTUM.

Quum in humanam societatem venissem a Deo nostro Imperatore, (*Sumus etenim homines hominum causa creati, neque nobis nati solis, ut ajebat Plato*) pedetentim in locum munitissimum pariter et amcenissimum quendam me contuli, quo nihil in terris affirmabant illi Principi Deo gratius atque jucundius; civitatem eam appellabant, ubi consilia, cætusque hominum jure sociati, ubi justitia et pax, ubi humanitas, fides, hospitalitas, et aliæ, quæ in hominibus hominum causa sunt, virtutes: in medio quodam ejusce civitatis loco, natura vallatissimo, atque septissimo, unde tutari civitas tota facile poterat, arx quædam aspectu quàm jucundissima eminebat, ad quam me primum propio, ut ædificium ingens, factumque faberrime, contemplerer, deinde ingressus, spectaculis armisque visum pascerem, et si quid forsitan novi esset, ejus formam in nostram Valentiam mox transferendam curarem.

Ut ergo propius accessi, Turrim conspicio a fundamentis ad fastigium amussi perpendiculoque rectissimo exædificatam, totam sibi concolorem, et consonantem, quæ modo mihi ex mollissimo tophe, modo ex durissimo videbatur constare marmore; illic enim marmorum genera pene omnia, divino potius quàm humano constructa ingenio, aspexi; Parium; Carariense; Luculleum; et viride quod Laconicum vocant; Porphyriten quod dispunctum leucosticton; ophiten versicolorum; basalten; onychiton; alabastriten; et quum tot tamque diversæ marmorum essent formæ, in unaquaque tamen, aliarum omnium cernebantur species, atque ita multum, ut unum quodvis marmorum, cunctorum in se facies imaginesque habuisse credidisses, et cui-

cun-

cunq̄ue alteri retulisses marmori, concolorum illi esse dixisses; quumq̄ue esset domus tam culta, tam speciosa, erat etiam, ut videbatur, recta, quod ajunt, nec blanda usquequaque et arri- dens, sed aspera nonnullis in locis, atque cruenta, aliàs terrens, aliàs invitans et rogans; nulla ex parte saltus, deserta, montes, solitudines, undique civitatem, hominesque ipsos spectabat: culmen, ex quo tota rectissima ad solum deducebatur, *Lex illa erat aeterna divina*, quæ universum mundum regit, imperan- di prohibendique sapientia, quæ est mens, omnia ratione aut cogentis aut vetantis, Dei, illaque non modo senior est, quàm ætas populorum et civitatum, sed æqualis illius, cælum tuen- tis ac regentis, Dei: miratus ego hanc rei adeò festivam lepi- damque novitatem, quum ingredi, altiusque omnia rimari vel- lem, Atriensem annosissimum quendam offendi, qui cum mul- tis contendens hominibus, eos ab aditu prohibebat; hic anti- quus, venerandæ majestatis, sed nonnulla in se habens, quæ ran- cida videbantur, quæque putidum quiddam olebant.

Ad eum ego, *¶ Parens optime, quis hic habet? Ille, por- recta fronte, et deposito supercilio, contuitus me intentius, ve- lut noscitaret, Tu, inquit, filie, si aures audibis, nam ex nostris mihi videris congeronibus, nosque amare; neque vernaliter arfor:* Hæc, inquam, dicis, quæ tua est humanitas, congerro vero tuus ne sim, parum scio, gerro certe, et magnus quidem sum; sed profecto quis hic inhabitet, scire maxime aveo: tum ille:

¶ O quam, filie, fritinnio copi cupedia, ut quemadmodum, elatas jam tot hornos taxim redandruantes, tango, simitu cum glossa gentis cur- rinalis, sapientiam, reliquasque arteis, et scientias pertertias, ita et mi, antequam dividia, et tortis, superbus fuam, esset tangere ocqui- niscentem incursum umbram mendacissimam, apludam, canicas, at- que adeo, rudus, et foriam nomorum, et veras, duonas, ollas castas, signatas, quæ omnes hostimento quodam naturali pactæ sunt areæ, cum splendore sis in cascam dignitatem redostire! quod frigutio ne nonquam fuat, et reliquæ artes aliquando recententur primumque numen februa- tæ accepsant, meliores enææ semper verminentur, atque in totum frien- tur, et fræcessant, quibus olim demagis putum quid fuit? Atque id quoniam, Manliana jussa! etate in eas acerba infabre agunt certi quip-

Nota bene.

quippiam inuncatores, mencipes, et convasatores dignitatis ollarum, qui aliud quàm sublestatas silitas, sed everriculum totius orbis usiæ quo decalanticant fellantque universa, non expectant; velut focolator om- nium cimmeriarum furnitatum Accorsios; deinde durior ille, et stupi- dior saxo et ferro ex quo fuit; et hujus mali corvi malum et bardum ovum; et Nuncius quidam ex Aretio; et Immolatos; quos mi cunctos unose immolatos, et exdorsuatos, atque insublime gabalum diirectos, maxumus tangere duit Æsar antequam porrigines, gangrenas et illas conscribellassent nomorum.

Sunt et alii (nam multesima hæc est colludvio) assæ totius squalæ, ac alienæ feritatis, et omnium fallarum, atque injuriarum, com om- ni proludio collutulantes, obvarvantes, atque exfundantes cunctum jus, postremo universa speciei porcentes et tetrantes, quorum nomenclaturæ mi, atque orbi toti, sunt tam querquera, obscenæque, ut externer, ollos nominari quom audio; quos autumo ad bostum quietis homonum esse a viro Dædalaque maga in hoc medium universi elementum immisos; et, quod mehe magis deartuat et corporat, in judiciis, iniquantes ho- mones, triconum Principes, et optumi perperones, tam aurigantur; ut, voluntas seu adsit seu facessat, obliteratedis ollis cascis hostientissimis No- mothetis, Nomophylacibus, Consoltoribus, passim musti musiones isti com suis somnorinis hauriendi sint; olli, nunc, Vespillones (pax) opuliscunt, flavissas habessunt; olli, adipati, luca vestimenta tunicantur; olli, præter omnem bonum oisum, rationemque homanam, dapalibus frunis- cuntur; boni et frugi, macelli, petillique, cum sis gramia, et esuri- gine, atque aporia vegrandi, gluta gigerita, quid hæc? bobillas a- troces, atque utinam heluelas et myctirim aliquam, cum apisci queunt, Suffetes esse reentur sebe, peniculamento diloricato amicti, et fiunt vix hectæ: Utinam a tebe, tisque aliis similibus sociennis, qui veteres, ollas et veras sophias, calendari atque exterebrare commalaxatis, pros- ferarem uti huc innuberetis, et adituaremini, neque tudiculararet pro- gnariter impancrare has allodapas et atroces copias fastidilitas, ut eas de optima thesmorum arearumque possessione luxaretis, evallaretis, ab- jugaretis, averuncasseretis prorsus! dapaticum esset opus; et creprera res non est, sed mana quin Tutanus et Tutilina inibi adessent; tum et etiam neutiquam furvum quin verum justumque nihil pigrarent, nihil protollerent, et vobis, paulum licitante et anitante, sebe ipsæ, summa com Fugia, assererent.

Tom. V.

Dddd

Hui,

Hui, tum inquam, quid iste mihi sermonis tam diu a me auscultatus loquitur? Quæso, pater, putas ne te loqui cum matre Evandri, aut cum aliquo ex vatibus, Faunis, vel Aboriginibus? Si vis te intelligam, recentiore utere sermone, namque ego non sum natus Ænea Lavinium condente, neque fui Salius frater, aut sodalis Titius, qui tam obsoletam intelligentem linguam: Quid? inquit ille, Sum ne arfatus te superseptuose? Quid, inquam, superseptua quæris? ne hoc quidem intelligo: Papæ, congerro, inquit ille, non agnoscis hæc castrensia verba, quibus nugari solemus, ut alii circum nos apertostent ore admirabundi venerabundi etiam? Vis igitur ut tuatim loquar, quando meatim loquutum non intellexi, et vescu cum dixti sermonem, ad quem vultuabaris, quum tamen nullus perscrutari domum hanc legum rite possit, qui plene veram tersamque latinam, et antiquariam hanc modice saltem, non imbiberit? an non vides tot ante fores τὸ μᾶλλον ἐπιστοδὸς observantes, nec introeuntes, quippe qui a me institui aspernantur, qui sum in id solum hic constitutus, ut ad hujus ædis ingressum viros huc adventantes idoneos reddam? Namque sunt tantæ, ut inquit Cicero, antiquitatum effigies, et verborum prisca vetustas, actionum genera majorum consuetudinem vitamque declarantia, in vestibulo, arrio, xistis, porticibus, aulis, cœnaculis, cœnationibus, diætis, areis, conclavibus, adytis, cubiculis, cameris, horreis, ut qui ad illa sine antiquitatum cognitione tentet ire, frustratus voto, πρὸς λύραν ὄνον, in rei progressu se se inveniat necessum est: sed his finem demus; interrogationi tuæ paucis respondebo.

Ad Iyram
asinum.

Habitant hic, ut de hominibus taceam, justitia, prudentia, temperantia, fortitudo, salus, amor, pax, concordia, victoria, fides, bonis solatium, et quale optant otium, malis et consceleratis hominibus terror, damna, vincula, ignominia, verbera, exilia, mors parata, salva inter improbos innocentia, et horum retardata compressaque audacia, civitatis incolumitas, vita hominum quieta et beata; hic itidem religio habitat, sanctitas, laus, honor bonis, et gloria; castitas et pudicitia securæ; orphanorum et viduarum consolata orbitas; proborum locupletatur paupertas; hic artes illæ, hic scientiæ, hic illæ antiquorum

tres

tres gratiæ, hic novem Musæ, hic virtuti, modo aliud præter se ipsam desideret, suum est certum paratumque præmium: suscipe, suspice, et in supero limine perlege versus: (1)

Aliud nempe
Deum.

*Crescite virtutes, fecundaque floreat ætas,
Ingeniis patuit campus, certusque merenti
Stat favor, ornatur propriis industria donis;
Surgite sopite, quas obruit ambitus, artes,
Nil licet invidia, domus hæc dum præsidet orbi.*

Illam enim omnia, vigentibus legibus, vigent, quibus debilitatis, atque prostratis, ne punctum quidem temporis extant; idcirco magnus ille ac prudentissimus Aristoteles civilem scientiam, architectonicam, dominatricemque appellat; hæc enim, inquit, et quas disciplinas in civitatibus esse, et quales quæque addiscere, et quousque oporteat, disponit, quid quæque agere, et a quo abstinere, ipsa constituit, idque se audacius dicere ait Cicero; præpotens et gloriosa philosophia hosce habet fontes omnium disputationum suarum, quæ in jure civili et legibus continentur, ex his enim, quum dignitatem maxime expetendam esse videmus, tum vero et justus ac honestus labor honoribus, præmiis, splendore decoratur; cui sententiæ personam L. Crassi assignando, iudicium suum cum illius auctoritate conjunxit: atque equidem, ne nos ipsa fallant vocabula, quum dico legem, eodem auctore Cicerone totius eloquentiæ Romanæ Principe, a me dici nihil aliud intelligi volo, quam imperium sine quo nec domus ulla, nec civitas, nec gens, nec hominum universum genus stare, nec rerum natura omnis, nec ipse mundus potest; nam et hic Deo paret, et huic obediunt maria, terræque, et hominum vita jussis supremæ legis obtemperat: hic ego obsecro, inquam, optime pater, quando introeundi mihi aviditatem adauxisti, et jam multo notiore loqueris sermone, age, fare, potero ne et ego istius ædis visere penetralia, sacra sacraria, mysteria omnia, et sacramenta conspicerem?

Lex quid.

Dddd 2

Quid

(1) Claudianus de Cons. Mall. Theod. Paneg. vers. 260.

Quid prohibet, inquit ille? tu certe quàm illiterati illi multo rectius, verius, clarius: tum ego: Ante vero quàm introducor, summopere velim te percunctari, qui fit ut tam nobile, conspicuum, et ut videtur forte esse ædificium, non validius sit quàm aranei tela? Nam id unus ex septem Græciæ Sapientibus Solon, idem quoque legum sanctissimarum prudentissimus lator, prædicare consueverat, quod et Catonis illius, senioris, id est, Romanæ gravitatis, sententia confirmare visa est; *Minutule*, dicebant ipsi, *bestiola, velut muscæ, culices, formicæ, et id genus alia, irretita cæssibus illis detinentur, at majora, ut canes, felles, oves, equi, et similia, tenui rupta structura, indemnâ evadunt*: Atriensis vero, nihil his commotus verbis, leni sermone respondit.

Leges, quarum est germana justitia, rectæ, sicut ædificio hoc contueris, æquabilesque omni sui sunt parte; hæ vero per se mutæ sunt, atque surdæ, nihil ipsæ nec loquuntur, nec audiunt; ad hæc, nec vident ipsæ quidquam; at viri quidem his adhibentur, quibus loquentibus, ipsæ loquantur, quibus videntibus, ac audientibus, videant ipsæ, atque audiant; hos Judices appellare soliti sumus, quos ἀπὸ τῆς Δίκης Δικαστὰς Græcia nominavit, qui et *loquentes leges* dicuntur, quemadmodum etiam leges *mutos judices* merito quis appellavit; hi si præidenti justitiæ se se voluerint conformare, cujus imaginem Chrysippus Stoicus philosophus optime depinxit, exhibebunt se se graves, sanctos, incorruptos, severos, inadulabiles, castos, temperatos, prudentes, quos nec gratia flectet, nec timor deterrebit humanus; odio, amicitia, ira vacabunt, atque misericordia, non patientur unquam argentanginam, nec argenteis hastis oppugnabuntur; vides ut neque clivum hujus nostræ arcis asinus, quemadmodum Philippus Macedo dicebat, auro onustus, cui sunt omnia fere pervia, possit conscendere.

Quod si aliqui judices inveniantur, ut esse quamplurimos haud dubito (modo ii judices jure sint appellandi) qui bovem, ut ajunt, in lingua facile ferant, qui numorum missilibus con-

niveant, immo et oculos claudant, aut minis Summatum valde turbentur, atque commoveantur, hi sunt qui bestiolis im-

becillibus acres sunt et severi, majores vero, minimo quoque eorum motu, expavescunt, judicia, jura, leges, justitiam deserunt; hæ sunt aranei telulæ, quæ minutula irretiunt animalia, majoribus cedunt, neque vero iis solis, sed levibus quoque, quum majoribus libet; quamobrem non jura, neque leges, sed nebulones quidam, et judices nihili, sunt araneæ, qui neque judices vere sunt, id est, jus indicentes, neque dicastæ, quasi jure sacerdotes, neque leges loquentes; non enim in hujusmodi perditorum hominum vocibus leges constitutæ sunt, sed naturæ normâ, ad quas judicia sua qui accommodat, is solus *ἀδελφαστος*, Ægyptius judex, is Bocchyrus ille stachane quoque, ut Doreus ajunt, æquior, is demum judex, is demum justitiæ antistes censendus est; ceteri vero non pluris faciendi, quàm in scenis aut in picturis judices, qui judicis nomen tantummodo habent, re omnino carent; quapropter sui dicti, sive Solon Salaminus, sive Scythes Anacharsis, sive, ut tu etiam dixisti, Tusculanus Cato, rationem viderit, quum ego neque judices, neque leges aranei telas esse videam.

Hæc quum dixisset, constitit paulisper; et ego: mirum quàm tuus iste me sermo, pater, oblectarit; sed quæso dic mihi, ut si unquam hanc in ædem penetraro, quamvis nunc non sit animus, quanam via tam multi varique recessus, quos hinc ex limine cerno, lustrandi sunt? Non credo, inquit, ædis hujus philosophum illum Stagyritem ignarum fuisse, ut qui quæ hic sunt, *moralibus suis et de Republica* libris tam optime expresserit; quo inquam modo? Nam ultra hanc, inquit, quam conspicis ædem, forum quoddam est perstrepsens ingenti hominum sycophantarum clamore usque ad ravim, etenim in litè judices sunt cum actoribus, hi cum reis, rei cum patronis, et advocatis, hi rursus cum illis aliis, et singuli quique cum omnibus, unius pecuniæ causa; illuc ii evadunt, qui per hanc latam non admissi januam, totam ipsam ædem extrinsecus ambientes, per posticulum tandem se se conjiciunt, arbitantes fore ut in hoc verum legum, juris, æquitatis, domicilium illac ingressi perveniant; quin et sunt nonnulli, qui admissi quidem ad sacram hanc visendam, interdum quoque inhabitandam

Lex telæ rancarum.
Solon.
Id est involabilium.
Cato.

Judices leges loquentes.

Proverbia.

Proverbium

Naturæ norma.

Forū licium.

ædem, quum alius conscenderunt, semitas quasdam inveniunt, quæ tametsi aliis conformes principio esse videantur, perducunt tamen lævorsum in hoc, quod modo dixi forum, tamquam in foetidissimam sentinam, nec facile ipsam in Ædem reducunt; nam eis putris illa et corrupta pecunia amaricinum olet, atque balsamum, et lucri suavissimum odorem esse putant ex re qualibet, vel ex lotio, ut Vespasianus Imperator qui ex urina vectigal commentus est; hac isti, errore semitarum falsi, iter arripiunt, atque illuc deferuntur; hanc viam plerumque, et quum convivaremur recta, et inter fabulandum cum senioribus festis diebus Vacunæ, accepi vocari summi juris; cui verbo quidam confestim varia subdebant proverbia, alii summam esse malitiam, alii summam injuriam, alii summam crucem; eam viam procul abesse dicebant ab æquo et bono, idcirco non in veram legum ædem remittere semel per ipsam ingressum, sed in forum ejicere litigiosum.

Tum nonnulli animum levantes, rogabant me quidnam de hac Ædè, deque illo foro sentirem, et ut aliquid dicerem comiter provocabant: Ego videri mihi, respondi, litem et amicitiam nostrorum poëtarum, seu si mallent Empedoclis, quem philosophum, quem poëtam appellarent, ut liberet, ita hoc nostrum contubernium sacram amicitiam esse, illos vero clamores carnificinam litigii: hic subridens adjecit quidam, Et dixisses potius, Attiensis pater, *argentificinam*, quàm carnificinam: memini hic indignari plerosque, quòd forum illud nullus ingredi posset, quamlibet indutus et ornatus, quin tamquam si in prædones incidisset, abiret nudus, esseque jam illud tritum hominum sermone proverbium, *Oculis præsentiozem nullam esse medicinam, quàm si advocatum causidicumque nullum unquam videas*; eos, *piscatores* jam vulgo vocari, quòd callidissimè mille fraudibus versutiisque omne hominum genus expiscentur, atque ita desquamatos, domum remittant leniores, glabrioresque quibusvis anguillis atque murænis, ita exdorsuatos, ut non sit magis conger quum estur; verum, quod cum primis miserabile est, id eis interdum nondum satis esse videtur; integros ipsos homines cum suo victu et vestitu deglubunt; itaque prima con-

Lucri bonus odor avaris.

Proverbia.

Lis et amicitia.

Proverbium

Causidicis piscatores.

sultatione de occludenda illa, quæ ad lites ducit via, obsepiedo etiam postico conscelerato, demoliendoque, si fieri potest, foro ipso toto, et in perpetuum tollendo, se deliberare velle aiebant: nondum proximum illud consilium habitum est: magno id ego desiderio expecto: Quàm vereor ne nunquam habeatur!

Hic ego, melius inquam, pater, sperandum est, nam mihi humana ingenia magis in dies magisque relictas a patribus tenebras excutere videntur, et ad lucem illam avorum aspirare: sed quid istud est, quod de æquo bonoque modo dixisti? Nam apud Aristotelem, voce licet Græca, simile tamen quiddam mihi legisse videor: est, inquit ille, juris legumque regula et via: Et quæ tandem ista, inquam, est? Tum ille, ausculta, inquit, senem illum *Celsum* in atrio ipso exerte clamantem, contubernales suos, *judicesque omnes magna voce admonentem, Videant, provideant, suspiciant, despiciant, circumspiciant, introspeciant, custodiant semper, ne delirent, ne aberrent a juris via, atque adeo ab ipsa legis lege, quod est bonum et æquum*: Quid, inquam, hic audio? Nonne ego bene suspicatus sum, te de Aristotelis *epiticia* loqui? Et quàm multa ex illo nostro Peripaterico sene, de hoc æquo et bono tecum disserere vellem, quàm multa etiam ex monumentis eorum, qui humani divinique juris consultissimi fuere, nisi vererer, ne ego qui a foribus solum, ut vides, leges salutavi, alieno decore conspicuus existam, ac (1)

*Ne si forte suas repetitum venerit olim
Grex avium plumas, moveat cornicula risum
Furtivis nudata coloribus.*

Itaque intra pelliculam meam me continebo, et paucis verbis quid Aristoteles de hoc bono et æquo in volumine Ethicorum quinto sentiat, disseram, quamlibet faciam ineptè, quin *πλαῦ-
κασεῖς Ἀθήνας*, sed dicam tamen, nisi quid forsitan tu aliud es acturus: ego, inquit ille, ubi a rabulis et importunis illis qui-

Noctuas Athenas.

ri-

(1) Horatius. Epist. lib. 1. Epist. 3. vers. 18.

ritatoribus me explicui, nihil quod aliud nunc agam, habeo, nam feriæ hodie sunt; ac nescio etsi haberem quidem, an aliud agerem libentius.

Epicia.

Tum ego: *ἐπιείκεια* hoc æquum et bonum unico Aristoteles appellat vocabulo, quam dicit *Non id jus esse, aut eam legem, quæ sit scripta et expressa, sed legis emendationem atque interpretationem*; sunt enim multa de quibus legislator præcipere non potest, ea judex, qui legum personam gerit atque sustinet, viderit, flectatque legem ut exigit rei, de qua agitur, natura, quemadmodum et Lesbii fabri suam illam plumbeam normam, quæ, siquidem est ex flexilis metalli lamina, ad cujusvis structuræ rationem facile aptatur; neque velit semper jus summum sequi, quæ sæpissime summa injuria est, sed ipsi naturæ normæ, ad quam, ut dixisti, leges omnes conditæ, directæ, ac formatæ sunt, se se accommodet; videat quid ipse legislator diceret, si adesset; neque vero aut parum rectam aut iniquam fore protinus legem credat, quippe nec peccatum in illa, nec in suo conditore, sed in ipsius rei natura erit, quæ tam varia, tam multiformis est, tam late patens, ut certis limitibus concludi ac definiri tota nequeat: idcirco recte juris normam æquum bonumque esse dictum est, hoc enim in cujuscunque modi legibus constituendis prudentes legum latores sibi caput ac mentem esse volunt; sunt enim innumerarum litium incitamenta, et fomites, non solum orationatim, ac dictionatim, sed syllabatim etiam, litteratimque, ut quidam faciunt, persequi ac mordicus tenere leges velle, et non potius ad ipsam legum vitam, normam, rationem, legem, mentem, sensum, spiritum, animum, viam, quamprimum recurrere, quod est æquum et bonum.

Cicero de Servio Sulpicio.

Quocirca mihi Servium Sulpicium Cicero summe illis verbis laudare videtur, quibus cum in legatione vita functum commendat: *Nec vero silebitur*; inquit, *admirabilis quædam, et incredibilis, et pene divina, in legibus interpretandis, æquitate explicandis, scientia*; omnes enim qui ex omni ætate hac in civitate intelligentiam juris habuerunt, si in unum locum conferantur, cum Servio Sulpicio non sunt comparandi, neque enim ille magis jurisconsultus, quam

quàm justitia fuit: itaque quæ proficiscebantur a legibus, et a jure civili, semper ad facilitatem æquitatemque referebat, neque constituere litium actiones mallebat, quàm controversias tollere: hæc in nona adversus M. Antonium actione Cicero: Quo sermone, mea quidem sententia, Sulpicius impense laudatur, cum non nisi magnorum maximeque præstantium ingeniorum sit, illam juris æquitatem invenire, et haud scio an minoris sit, quàm legem condere; ego sane prudentiæ majoris existimarem, omnia, juxta loca, tempora, personas, res denique ipsas, perpendere ac metiri, et non semel, ut legum conditores fecere, sed quotidie novas leges mira æquitate invenire ac ferre: atque hoc quidem est quod Aristoteles in libris de Republica sentit, *Cum gubernari feliciter civitatem ait ab optimo viro, quàm ab optima lege*: Hæc quum dixissem, rogavit me Attiensis, ingredine vellem? Abnuī per id temporis, promisi tamen, brevi me simul liberatiorem morbo, simul majore cum otio rediturum, ut totam ipsam ex Antistitum voluntate perlustrem Ædem, eosque omnes noscam, qui illam inhabitant, quod est opus sane non unius aut alterius horulæ: ille, vale facto, intro se recepit, foresque ambobus pessulis occlusit, ne quis se inscio Ædem intret.

Aristotelis sententia.

ÆDIS LEGUM FINIS.

JOANNIS LUDOVICI VIVIS

VALENTINI

IN LEGES CICERONIS PRÆLECTIO.

Credo ego vos omnes mirari, quid sit, quòd philosophus ipse coram tot jureconsultis leges Ciceronis enarrem, et enim hanc provinciam, ut quamvis etiam aliam, in qua de legibus disseritur, non philosophi, sed jureconsulti esse, nullus fere non existimat, longeque aliud esse philosophum, et peritum legum atque juris: pauca tamen verba me facientem attentis et auribus et animis si audieritis, intelligetis, ut spero, quid hac in re philosophum deceat: an ejus sit leges enarrare; an ejus de legibus disputare; an ne liceat quidem ipsi, quod multi putant, leges vel nominare: in quo loco a divisione mihi est incipiendum. Principio quidem jura, legèsve, alia esse naturalia, alia divina, quædam gentilia civiliaque, militaria etiam nonnulla, neutiquam ignoratis. Jus naturale finitur ab Aristotele libro de Republica primo, quod habet eandem vim ubique, illudque est, quod habent omnes scriptum in cordibus suis, eduxeruntque secum ex matris utero; idem enim immutabile prorsus habent omnes nationes, sentiunt de illo uno eodemque modo, nec est quisquam gentis ullius qui huic juri sua sponte non assentiatur: nec mirum; quoniam eadem est invariabilisque in omnibus hominibus natura, qua sola dictante in corde suo unusquisque leges varietatem non admittentes descripsit; neque vero quia sic uni homini videtur, nec quia sic uni senatui, uni reipublicæ, nec quia sic regno, non denique quia sic orbi, sunt leges illæ ratæ atque acceptæ, sed quia sic nobiscum ortæ, nobiscum adoleverunt, non senescentes; ingressit enim ipsa natura, cujus sunt subtilissimæ et imperscrutabiles vires, unicuique primum nascenti, deorum venerationem et cultum; ingressit congressus, ac humanæ communicationis appetitum, quem ne solitudinum quidem amantissimus, nec ipse *μισάνθρωπος* Timon, queat a se penitus rejicere.

Divisio juris.

Jus Divini positivum.
Jus naturale

Timon osor hominum.

In-

Ingressit etiam delictorum nonnullam crubescèntiam, et male actæ vitæ conscientiam, furias, ut poëtæ dixerunt, exagitantem, quæ impios et consceleratos homines vexant atque perterrent; indidit et superiorum, aut prudentium, aut senum, aut Principum reverentiam, quam a se quisquam nisi cum homine deponere non possit: subdicebo nunc de viri et feminae conjunctione, de susceptæ prolis educatione, et id genus ceteris, quæ omnia pertinent ad jus naturale: hæc igitur quum ita sint, nullum opinor vestrum dubitare, quin leges divinæ, gentiles, civiles, ac militares ab ipsa lege naturæ profectæ sint; quamquam mihi nullum videtur esse jus naturale, quod non sit idem etiam gentium, jus enim omne atque æquitas inter solos homines est, nam in ipsis belluis verius umbram et tamquam vestigium quoddam, ut reliquarum virtutum, ita et juris quoque esse dixerimus, quàm jus ipsum; verum, sicut dicere inceperam, ex illo ingenito Dei cultu universali, particulares Dei deorumque religiones sunt subortæ, nam etsi unusquisque, duce natura, et esse Deum aliquem, et exhibendam illi reverentiam et pietatem sciat, nescit tamen utrum is Deus sit homo aliquis, an animal aliud, herbæve sit, vel lapis, an res quæpiam, quæ vel non sentiat prorsus, vel non sentiatur; nescit etiam quale opus est in eum ipsum Deum servare pietatem, quales observantias, quales ritus, cærimoniasque: in civitate quoque constituenta, quamquam a natura illud accepit habendam esse civium rationem, colendam justitiam inter eos et pacem, ignorat tamen, quibus præceptis, qua ratione, ac arte, id quàm facillime assequatur; nec absurdum est certo fine incerta esse media, ideo namque videmus de lege naturæ, utpote venerando Deo, tuendaque hominum societate, neminem aut consulere aut eligere, sed de mediis aptioribus atque facillioribus, quibus illuc perveniatur; de fine enim, ut Aristoteles inquit, rebusque certis nulla est neque electio, neque deliberatio, neque consilium.

Jam, hoc naturali jure (nam legem et jus nunc converto) proposito tamquam signo sagittariorum, quisquis expeditissimam ad illud collineandum semitam, normam, rationemque

Ecce z

in-

Positivæ.

Jus naturale
et gentium,
idem.Omnia orta
ex jure natura.

inveniet, is nimirum vocabitur merito legislator, is audiendus est, huic parendum, huic attribuendum negotium de hac ipsa re hominum generi utilissima disserendi, nam quid majoris fructus atque utilitatis, quàm hominem ad finem in quem natus est ducere? qui finis si prius quid sit viderimus, perscrutabimur tum facile, ad quem pertinet ipsius cognitio atque scientia, ex quo efficitur, ut arbitror, clarum quis maxime hominum leges populis, civitatibus, et gentibus dabit. Omnes qui philosophiam tractaverunt, aut quorum supra vulgare istud non nihil altius ingenium fuit, disserueruntque de ipsa mortalium in hac vita beatitudine, in ceteris mire dissidentes, in illam unam sententiam conveniunt, unumquemque hominum ad virtutem felicitatemque, quantam mortalis nostra exiguitas capit, sola natura duce posse pervenire; quippe quum vivere secundum naturam hominis, bonum ultimum, absolutum, et perfectum, illud dicerent quod τέλος appellatur, essetque eadem hæc indifferens in cunctis, in re aperta nequibant tergiversari quo minus profiterentur genus humanum neminem complecti ad beatitudinem ineptum, illum namque creasset Deus frustra, videreturque ipsi permagnam injuriam fecisse. Tum quòd nihil alicujus speciei uni singulari potest convenire, quod aliis congruere nequeat; quapropter ea, quæ fortunæ, temeritati, vel improborum hominum vesanæ subjacent potestati, nihil ad ipsius beatitudinis rationem et summam fassi sunt attingere, decorare plerique sunt opinati, nam quum hæc ipsa extra nostram voluntatem posita essent, aliorum potentiæ subdita, fieri posset uti nos beatos reddere aliquando in manu nostra non foret, quod non secus natura non sustinet quàm quod aliquem creet, cui potestatem adimat bene vivendi.

Hoc ex principio, optimo certe et verissimo, vestigando, complures sunt falsi, quum viam quærunt vivendi juxta naturam; et dum hæc his alia videtur, et ab aliis petenda, quàm illis, alius est etiam illorum vivendi modus, alia ratio quàm horum; Epicurus enim in bestiis ipsis vim naturæ requirens, quas videt nil nisi voluptatem curare, voluptatem sibi præfigit statum vitæ felicem; fuit prius ejusdem sententiæ Aristippus

Vivere secundum naturam.

Nemo est ineptus ad beatitudinē.

Opiniones de finibus.

Epicuri.

Aristippi.

Cy-

Cyrenaicus, qui ab indole illa et moribus Socraticis degeneravit, quam Eudoxus Gnidius plurimum confirmavit, quòd homo esset frugi, minimeque voluptuosus: Hieronymus Rhodius, quòd videret molestissimum omnibus esse dolorem, indolentiam felicitatem esse putavit hominis: complexus est utrunque Lucretius Carus poëta Epicureus his verbis: (1)

*O miseræ hominum mentes, o pectora cæca!
Qualibus in tenebris vitæ, quantisque periculis
Degitur hoc ævi, quodcumque est? nonne videtis
Nil aliud sibi naturam latrare nisi utque
Corpore sejunctus dolor absit, mente fruatur
Fucundo sensu, cura semota, metuque?*

Calipho vero, Polemon, et Diodorus noluerunt in bellis naturam inquirere, sed in hominibus, opinantes non eodem modo illam se se in utrisque habere, ad hoc quod in bellis forte degeneraret; ita quum perspicerent hominis naturam integram, bene affectam, minimeque pravis rebus et opinionibus infectam atque corruptam, ad virtutem esse multo propensissimam, a vitio vero non minus rectam atque sinceram naturam abhorrere, quàm a peste aliqua animorum omnium atque mentium (natura enim nos, ut est præclare a Marco Fabio scriptum, ad mentem optimam genuit) adeoque discere meliora volentibus promptum est, ut vere intuenti mirum sit illud magis, malos esse tam multos; nam ut aqua piscibus, ut sicca terrenis circumfusus nobis spiritus volucris convenit, ita certe facilius esse oportebat, secundum naturam, quàm contra eam vivere; quocirca virtutem ipsam necessariam in primis humanæ perfectioni, illique in bonis ultimum esse voluerunt, addentes autem partim doloris vacuitatem, partim voluptatem; Zeno vero, Zenonisque inventorum æmuli, qui sunt de scholæ nomine Stoici vocati, nudam ipsam virtutem et honestatem nullis aliis comitatam rebus, se sola contentam, beatitudinem esse censuerunt;

Eudoxi.

Hieronymi Rhodii.

Lucretii.

Caliphonis, Polemonis, Diodori.

Zenonis.

Stoicorum.

(1) De Rerum Nat. lib. 2. vers. 14.

runt; opes vero, et quæ dicuntur corporis bona, si detur optio, esse eligenda, ac si adveniant recipienda, minime appetenda si absint.

Aristotelis.

At Aristoteles longius acutiusque ceteris omnibus naturam introspeciens, cum eam videret in brutis, utpote ad sensum ventremque viventibus, quibus ut nulla est mens, ita nec mentis sancti honestique ulla cura, non esse inquirendam, nec in hominibus puram, expressam, atque nativam posse inveniri, simul quod mutantur passim hominum sententiæ proinde ut cuique varia die varium videtur, simul quod est propter immixta scelera, nefandasque vulgi opiniones, ipsa natura in hominibus depravata, et ad multos errores detorta, repetenda altius, ubi omni peccato labeque vacaret, integra, sincera, clara, munda, genuina persisteret, intellexit; ideoque quod præcipuum in diis esset, quaque re ducerent maxime vitam illam suam beatam, id in hominibus finem quem inquirimus, affirmavit esse; parentes vero, patriam incolumem, amicos, genus, cognatos, divitias, ornare quidem felicitatem voluit, quæ (1)

Arist. somnia de felicitate.

Qui uti scit (ut inquit Terentius) ei bona (sunt) ei qui non utitur recte, mala:

Aristonis. Pirrhoneis. Herilli.

Aristonis vero, Pirrhoneis, et Herilli, qui selectum in rebus nullum ponebant; jam pridem explosa sententia est. Videtis, naturalis hominum finis speculationem et scientiam, cum sit de natura cognitio, philosophicas esse partes? ejusdem igitur erit de aliis, quæ ad finem attinent præcipere, is enim demum invenit, qui vestigat, atque inquirat; et is etiam tamquam optimus civis hujus universæ civitatis, quæ totum genus humanum capit, inventa sua publicos in usus in medium reponit; quam ob rem quum sint omnes leges ad bene beateque vivendum inventæ, et latæ, bene beateque vivere philosophus doceat; quidni etiam leges ipsas, quasi quædam media et expeditas ad finem humanum vias, ipse ferat? Quo modo enim ad finem is legislator ducet, cui est et virtus et virtutis finis quæ

fe-

(1) Heauton. Act. 1. Scen. 2. vers. 22.

felicitas dicitur, incognita? Accommodabit profecto fini tum convenientiora, tum commodiora, cui est totus ipse finis, intrus, ut ait ille, et in cute, notus, atque exploratus.

Ad hæc, bonæ legis qualitates, totamque rationem, tres philosophiæ partes sibi dividunt investigandas; perquirat siquidem naturalium cognitor rerum, sitne lex secundum naturam, an loco, temporique, an etiam universis, quibus fertur, satis congruat, commodaque sit? an uni solum parti bona, reliquis vero iniqua sit? an obtineri possit quod jubet, quod vetat? quàm utilis, quàm necessaria, quàm rebus præsentibus, quàm futuris, apta atque conveniens? At hæc, nemo pervestigabit, nisi qui hominum, qui temporum, qui locorum ingenia naturasque sit contemplatus; disseret moralis, an justa sit, et honesta? virtutibus quàm consentiens, quàm a vitiis dissidens? At vero, sitne in ea aliqua cavillationibus, controversiis, litibus, id est, pesti salutis quietisque civitatis, ex ipsis verbis materia et occasio? perscrutatur dialectica; quàm qui ab hoc quieto juris disputandi genere putant abhorrere, audiant quid de Servio Sulpicio, peritissimo ætatum omnium jurisconsulto, dicat Cicero in libro quem de claris Oratoribus ad Brutum scripsit: *Sic enim inquam, Brute, existimo, juris civilis magnum usum et apud Scævolum, et apud multos fuisse, artem in hoc uno; quod nunquam effecisset ipsius juris scientia, nisi eam præterea didicisset artem, quæ doceret rem universam tribuere in partes, latentem explicare definiendo, obscuram explanare interpretando; ambigua primum videre, deinde distinguere, postremo habere regulam, qua vera et falsa judicarentur, et quæ quibus positæ essent, quæque non essent consequentia: hic enim attulit hanc artem, omnium artium maximam, quasi lucem, ad ea quæ confuse ab aliis aut respondebantur, aut agebantur: dialecticam mihi videris dicere, inquit: Recte inquam intelligis: hæc Cicero. Quæ ideo induxi, ut qui rationalem philosophiam, quam appellant logicen, a legum notitia credunt esse alienam, ei quàm utilissimam, et cum primis necessariam esse cognoscant.*

Philosophi examinat l. gcs.

Tu es igitur vita, philosophia, dux; tu virtutum indagatrix, expultrixque vitiorum; quid enim non modo nos, sed omnino vita ho-

Dialectica necessaria iuri. Philosophiæ laudes.

mi-

minam sine te esse potuisset? Tu urbes peperisti, tu dissipatos homines in societatem vitæ convocasti, tu eos inter se domiciliis primo, deinde conjugis, tum litterarum et vocum communione junxisti, tu inventrix legum, tu magistra morum et disciplinæ fuisti. Audebo igitur jure meo de legibus philosophus ipse disserere, quum etiam Cicero non tamquam jurisperitus, sed tamquam philosophus libros hos de Legibus ediderit, Platonem philosophum in illis duodecim libris æmulatus, ut in libris de Republica fecit, et sapius alibi: quamquam hoc interest, ut Macrobius docet, inter hujus atque illius libros, quod Plato rempublicam ordinavit, Cicero retulit; ille qualis esse deberet, hic qualis esset a majoribus instituta, disseruit; tametsi Cicero ipse persona *Q. fratris* paullum ait allatum esse suis legibus novi; ac re verâ respública illa Romana, quæ fuit usque ad civiles dissensiones, aut erat optima, aut ad optimam quàm proxime accedebat, paucisque commutatis specimen fuisset optimæ. Verum ut ad philosophos redeam, priscas urbes atque respúblicas qui instituebant, et philosophi erant, et habebantur; philosophus certe Mercurius Trismegistus, Ægyptiarum legum lator, Quintus ille Mercurius, qui Argum interemit, ob eamque causam Ægypto præfuit, atque Ægyptiis leges et litteras tradidit, quem Ægyptii, ut Cicero tertio de Natura deorum libro scribit, Thoth appellant, eodemque nomine anni primus mensis apud eos vocatur; philosophus etiam Lycurgus Lacedæmoniarum; philosophi Draco, et Solon Atheniensis; Locrensiùm Zaleucus; Thuriarum Charondas; Gnidiarum Eudoxus ex Pythagoricæ disciplina; quin etiam Pythagoras plerisque magnæ Græciæ civitatibus leges dedit, Syracusis expulso Dionysio; Plato, quem a Thebanis et Arcadibus, ut suis civitatibus leges ferret, oratum tradunt; ordinavit suos Stagyritas Aristoteles, ut Piræos scribunt Meledinura.

Venio nunc ad Ciceronem, cujus est in hoc opere tripartita disputatio. Primum docet quid sit jus ingenitum unicuique, quod naturale dicitur; deinde quæ sit deorum immortalium religio; postremo qualia imperia, et magistratus esse conveniat in felici republica, et optima civitate; princeps enim est jus naturæ, secundum est jus divinum, e quibus tamquam

Platonem et
Ciceronem.

Legiferi.

Jus Divini
positivum.

e fontibus jus gentium atque civile oritur, quorum utilitatem brevibus explicabo. Multi fuerunt philosophi, qui rejecta rei familiaris, et publicæ cura, adeo rerum speculationi, contemplationique se se dederunt, ut secedentes in solitudinem ab hominum congressu semoti, noctes insomnes ducentes, dies totos sine nutrimento, obliti sui, quasi meri spiritus in corpore corpori non commixti, velut hic existentes, aliam vitam viventes, indefesso studio rerum naturas investigare conati sunt; nã illa præstantissima quidem res est meo judicio, et hac nostra immortalis anima digna, sed non tam aliis quàm sibi ipsi utilis; Socratem vero tanti faciunt omnes, quod philosophiam in coelis ac elementis versantem, ad communem hominum vitam adduxerit, vidit enim acutus hic vir, et, ut dixit Apollo, sapientissimus, se non sibi soli natum esse (quod ad Architam scripsit postea discipulus Plato) sed ortus sui partem patriam, partem amicos, partem totum genus hominum vindicare; consuluit sibi suoque divino ingenio in rerum inquisitione, consuluit humano generi, de quo est perbene meritus, præceptis bene beateque vivendi tradendis; hac re nullam habeo utilio-rem, nullam commodiorem, majorisque fructus, nullam in qua magis quisquam homines cunctos possit demereri: qui enim Parisiis Lovanium eunti certam et expeditissimam indicat viam; nonne is in viatorem maximum beneficium confert? nonne is, quasi de suo lumine lumen accendit, qui velut aperit viatori iter, quo facillime finem pertingat ad quem tendit? At quid de illo nos existimare par est, qui non iter ad unam urbem, non iter ad unam rempublicam ostendit, sed viam regiam ad ipsum finem totius humanæ vitæ, ad id quo voluit hominem Deus optimus maximus creari?

Quare quum ex his tribus Ciceronis libris, primus insitam unicuique æqui honestique vim et rationem doceat, ex qua nascuntur omnia jura; secundus cultum deorum, in quo mutatis nominibus Jupiter, Juno, et similibus, in Christum, Mariam Virginem, et id genus nostræ religionis, a Christianissimo viro dicta videbuntur; tertius leges magistratuum, militum, et civium omnium doceat; nullos libros gentilium dumtaxat dignio-

Tom. V.

Fff

res

Socratis laus

Argumentum librorum de Legibus.

res censeo, qui legantur, qui relegantur, qui in manibus semper habeantur. Ciceronis sex de Republica; libros tres Officiorum, et consolationem de morte filiae, C. Plinius, in praefatione historiae mundi, versandos noctu et interdium esse admonet, ediscendos etiam, non modo in manibus quotidie habendos: loquar de libris Officiorum, qui soli extant, quos qui vidit, et aliter sentit, scelestissimus, et cum aliis omnibus, tum etiam sibi pernitiosissimus mihi videtur. Ego vero non inficias eo plura in libris Officiorum esse (utpote majoribus) scripta, quam in his libris de Legibus, ea tamen quae in his sunt, nihilo haud dubie dictis illorum cedunt; sunt utraque sanctissima praecipua; est utrobique totae vitae perquam salutaris doctrina; fatebor quae mihi saepenumero contigerint; nam cum summo studio volumina Ciceronis omnia lectitarem, inspiceremque in his tribus libris de Legibus, et illis tribus Officiorum, ea quae in intimis monumentis nostrae religionis sancti illi Patres nobis suis posteris tradiderunt, ea quae locutus est Paraclerus per prophetas, ea denique, quae noster IESUS et fecit et docuit, addubitabam essentne monumenta e Ciceroniana officina, an a viro quopiam christiano scripta, et Ciceronis nomini supposita, ut quatuor illi libri Rhetoricorum qui sunt ad C. Herennium inscripti? ab hac haesitatione, formula dicendi et ipsum totum orationis filium plane Ciceronianum, citatque loci ex ipsis operibus quam plurimi a viris nostra religione antiquioribus, me retraxerunt et liberarunt; atque in hanc ipse opinionem adductus sum, ut credam nullam humanam sapientiam viribus suis absque peculiari Dei beneficio et munere ea quae in his legum atque officiorum libris scribuntur, consequi potuisse.

Vita Ciceronis.

Jam vero illam partem video meae praefationi, veterum interpretum instituto, deesse, qua de auctore ipso nonnulla dicuntur, quam addam equidem ex more magis quam necessitate: Quae namque, mea, vel cujusquam oratione, potest lux claritasque nomini Ciceronis afferri? An forte Cicero unus qui vis est e vulgo ignobilis, obscurus, quem illustrare magis sermones hominum et fama possit? Quis virum illum vel in extrema Scythia, ultimaque et barbarie, et solitudine, ignorat? Quis

Quis nescit qualis fuerit, quantusque? de quo velut venturo sunt illi non veri minus quam elegantes Siliii Italici versus: (1)

*Ille super Gangen, super exauditus et Indos,
Implebit terras voce, et furialia bella
Fulmine compescet linguae, nec deinde relinquet
Par decus eloquio cuiquam sperare nepotum:*

verum quoniam injuria magnis vitis fieri videtur, nisi unusquisque et ad illorum decorandam virtutem, et ad excitandos posteros quo possit cumque modo, eorum praecleara referat gesta, dicam et ipse de Cicerone paucula quaedam ex multis, sed ea quae non sint vulgaris scriptis omnibus cognita atque protrita, idque paullo quam hactenus sum usus laetiore stilo, aequum est enim ut stilus noster alacer ac pene exultans de parente suo loquatur. Hic est profecto Marcus ille Tullius Arpini m. Nonas Januarias natus, Q. Servilio Coepione, M. Attilio Serrano Coss. qui ortus, non ex progenie Regum Volscorum, ut noster Silius dicit poetice magis quam historice, sed Arpinati, obscuro tenuique genere, magna vi, virtuteque animi, Porcium Catonem, et Aemylum Scaurum, simili fortuna natos, aemulandos sibi proposuit; nactusque ingenium tale, quale Plato fingit, liberalium omnium artium capacissimum, ad nullum litterarum genus ineptum, poesi, philosophiae, dicendique arti, qui erat tunc in urbe ad summos honores gradus, totum se se tradidit; in quibus quantum ingenium illud profecerit, argumento erit, quod duobus, Aristoteli, et Platoni, par additur Cicero, qui nisi de philosophia scripsisset, nescio an ea tota solis adhuc graecis litteris contineretur; quod cum Demosthene de gloria dicendi ita certat, ut illi, si palmam non eripit, certe nec concedat: maximos auctores habeo, qui Ciceronem a providentia genitum ajant, ut in eo totas virtutes suas experiretur eloquentia; nam in poetica arte miror esse quosdam, qui illum parum valuisse dicant, moti forte, ut credo, versiculo illo, (2)

Ciceronis ortus.

Ciceronis ingenium.

Cicero philosophus. Orator.

Poeta.

Cedant arma togae,

FFF 2

quem

(1) De Bello punico. lib. 8. vers. 410.

(2) Cicero Offic. lib. 1. num. 22.

quem Juvenalis non ita ridet, ut ipsius reliqua omnia poëmata ridicula dicat, quæ enim id posset? Utinam extarent multa ejus carmine conscripta, de quibus ipse quum in epistolis aliisque variis in locis, tum etiam in primis hujus nostri de Legibus libri verbis, meminit, possemus certius iudicium facere.

Proverbum

Sed si lenonem, ut ajunt, ex unguibus licet æstimare, ex fragmento certe Arati, quod ab eo versum extat, ex aliis plerisque ipsius versibus, quos in Tusculanis quæstionibus, inque libris de Divinatione, adducit, manifesto liquet Ennium, Lucilium, Lucretium, ceterosque superiores poëtas, minores quoque universos, præter unum Vergilium, et elegantia ab ipso superatos, et carminis suavitate. Verum conversa ad reipublicæ curam in-

Prima causa a Cicerone.

gens illa Tulliana lux, suas tenebras illustravit; defendit, annos tres et viginti natus, Roscium Amerinum patricii reum, ausus inter initia suæ adolescentiæ libertate tyrocinii sui Syllanam potentiam provocare; professusque ipse Cicero, maxima familiarum frequentia dissuadentium ne nomen illud Ciceronis, quamvis antiquum familiæ retineret, effecturum se non minus id splendidum et celebre, quam Scaurorum esset ac Catulorum, omni labore, summa diligentia, ambitione etiam non ignava et segni, qualis nobilium erat fretorum virtute generis, sed solertia atque industria comitata; ad amplissimos contendit honores, ad quos tanta vi penetravit, seu irrupit potius, ut illius

Cicero adiliis.

virtus certasse cum ipsa fortuna videatur; factus est ædilis vir tenuis, reitentibus magna contentione, profusis largitionibus, et manifestis corruptionibus suffragiorum, C. Verre, per id tempus a Cicerone repetundarum postulato, homine opulento, Q. et M. Metellis fratribus, quorum hic erat designatus prætor, ille designatus consul, simul cum Q. Hortensio collega patrono Verris, clarissimis in republica viris; irrupit ad consulatum filius equitis Ro. homo novus, invidiosus toti nobilitati, competitoribus P. Sulpicio Galba, L. Sergio Catilina patriciis, C. Antonio, M. oratoris F. L. Cassio Longino, ex Senatoriis et honoratis familiis, Q. Cornificio, C. Licinio Sacerdote, viris gratiosis, refragantibus acerrime ac potentissime C. Cæsare et M. Crasso cum totis suis factionibus.

Ipse

Ipse etiam Cicero, quo minorem petitioni posset operam dare, domestico ictus est luctu, morte patris quem in ipsa petitione amisit; et his tamen circumseptis difficultatibus, atque impedimentis, non consul modo, sed prior quoque consul declaratus est; usque adeo erat cognita, atque percepta innocentia, sanctitas, et fides illius, neque enim illo anno, ut multis antea, traditus est ei consulatus tamquam profusissimo suffragiorum emtori, aut potentissimo, aut maxime gratioso, aut ei qui callidissime ambiverat, sed in illis procellis et tempestate reipublicæ electus est ipse, non vir nobilissimus, aut ditissimus, ceterum prudentissimus, et optimus gubernator, cui clavus commendaretur, in cuius fidem tota respublica confugeret, ut non magis consulatus Ciceroni videatur datus, quam Cicero consulatui: quo in magistratu consiliis, et sagacitate sua, detecta et mox extincta conjuratione Catilinæ, tantam est laudem gloriamque consecutus, ut primus ipse in libera civitate, a libero senatu, pater patriæ sit consalutatus, primo ipsi togato supplicatio decreta; nec defuerint in senatu, qui sua sententia censuerint insigniendum illum coronis civica et obsidionali; Cn. quoque Pompejus ex Syria decedens gratias illi egerit, quod beneficio ipsius patriam esset visurus, in eodem consulatu mentionem legis Agrariæ, a Servilio Rullo tribuno plebis pertumultuose excitatam, nunquam sine maximis agitatum motibus jam inde a vicesimo anno post expulsos reges, solis suis orationibus compescuit sedavitque, ipsis etiam tribubus legem abrogantibus, ad quas illius legis emolumentum spectabat. Profectus deinde in Asiam admirabili æquitate et continentia provinciæ præfuit, nec infelicius bellum administravit, quam togam. Non fuisse illum ad bellum natum, id est, aptiorem fuisse quieti pacis, quam strepitui militari et bellico, fateor; timidum ignavumque fuisse nego, meruit enim sub Imperatore L. Sylla bello sociali.

Gesta Ciceronis in consulatu.

Cicero pro patria.

Lex Agraria.

Ciceronis militiæ.

In provincia sua pugnavit non cum quolibet hoste, sed cum Parthis, evasit victor, oppressit plerumque celeritate et aliis imperatoriis artibus hostes; oppida et castella complura obsedit, vi cepit; Eleuchencilicos, et Tebaranos, feras atque indomitas

gen-

gentes, bello fatigatas prius domuit: qui vero timidum ipsum levemque appellant, ii rationes temporum vitæque Ciceronis non considerant, et maligni rerum omnium interpretes, Ciceronis prudentiam, scientiamque utendi foro, et se se tempori accommodandi, levitatem vocant, rigidam illam Catonis gravitatem, inflexibilem in proposito perseverantiam, vocaturi cæcam et obstinatam pertinaciam. At vero, eas ob res a Cicero in provincia gestas, supplicatione in urbe illius nomine atque honore facta, Imperatorque appellatus, triumphi petitionem iniquitate temporum omisit; rediens enim ex Asia urbem civili discordia laborantem offendit, plenamque tumultus accingentium se se utrisque ex partibus ad bellum, in qua dissensione tam prudenter se gessit, ut Pompejanus Cæsaris gratiam non amiserit: hinc quum respublica unius imperiis, voluntatique pareret, ad studia illa adolescentiæ tam diu intermissa regressus, ea conscripsit, quæ vitam hominum omni virtutis numero instruere ornareque possunt; atque ea quidem pluram quam tota vita summo in otio alii fecerunt: recepta postea respublica, tantum auctoritate atque industria valuit, ut M. Antonium consulem, atque ex Cæsaris amicitia potentem, dominatum molitorem, sententiis suis ex urbe ejicere, hostem, et proscripsum facere, armare contra ipsum duos consulares exercitus, et cum his veteranas Cæsaris legiones, potuerit.

Hic est cursus vitæ illius sapientissimi, et divini viri: quum senex ipse, suis omnibus amicis, quibus cum familiariter suavique in consuetudine semper vixerat, viris sanctissimis atque optimis orbarus, Pompejo Magno, M. Catone, Servio Sulpicio, M. Marcello, Q. Hortensio, P. Servilio, L. Catulo, P. Lentulo, L. Afranio, M. Bibulo, L. Domitio, Appio Claudio, P. Scipione, privaretur potius morte, quam viveret, nefariis Antonii gladiis, quibus multi sunt alii absumpti optimi cives, apud Formianum suum extinctus est, postrema illa emissa voce: *Moriar in patria sæpe servata*: fuit hoc, ut ipse idem Cicero de L. Crassi interitu scribit, luctuosum suis, acerbum patriæ, grave bonis omnibus; sed ii tamen rempublicam casus sequuti sunt, ut non illi vita crepta, sed donata mors esse videatur, non vidit

vic-

victos interemptosque suos Brutos, non C. Cassium, non Sex. Pompejum, non rempublicam illam servientem, cujus adeo fuit libertatis quietisque amator, ut exulare maluerit quam in ipsa ferro decertare; quumque post Cæsaris mortem, imperium, dictaturam, monarchiamque esset ipsi facile occupare, noluit major esse quam ante Cæsarem fuerat, nihilque magis laboravit, quam ut suo in antiquo libertatis vestigio patria perduraret, propter id enim acerbissimas cum furiosis hominibus acceperat inimicitias, cum Catilina primum, deinde cum Clodio, postremo cum Antonio, quas inimicitias magno animo et constantissime persecutus est; privatas enim simultates ipse interdum ponendas putavit, publicas nunquam; ita enim se gessit cum Antonio, ut potuerit illi servire respublica, non potuerit Cicero; potuerit quidem ipse in mortem cogi, in preces non potuerit: hæc agentem molientemque, virum illum natum ad reipublicæ salutem, ut ipsa morbis et pestibus Antonii liberaretur, elapsa de manibus ejus diu defensa et administrata respublica, climatericus annus tertius et sexagesimus abstulit: cujus memoriam posterius excipientes anni semper ampliosem illustrioremque sequentibus tradiderunt, et tradent, nec illam alia delebit dies, quam quæ finem quoque toti humano generi dabit.

Ciceronis
æquitas.Ciceronis
pietas in patria.
Ciceronis
inimicitia.Ciceronis
ætas.
Ciceronis
fama.

FINIS.

TU

Cicero Imperator.

Ciceronis studia.

Ciceronis potentia.

Ciceronis interitus.

TU, INQUIT

(SENEA ATRIENSIS IN LIBRO ÆDES LEGUM INSCRIPTO Pag. 483.)

FILIE, SI AVES AUDIBIS, &c.

¶ Loci hujus interpretationem subjiciendam putavimus, Lector, propterea quod si minus multos, fore tamen aliquos non dubitemus, qui quum in eum incident, usurpare illud protinus non vereantur, quod a S. Hieronymo, ut ajunt, est dictum in Persium: *Si non vis intelligi, non debes legi.* (1) Ita sane de industria obscuratus est sermo. Sed non idcirco vituperandus auctor hic noster, quin potius modestia summa viri prudentiaque laudanda. Nam quum a quorundam Scriptorum lectione, legum studiosos prohibere sui temporis vellet, janitorem quendam, qui eos carperet, ita obsolete loquentem induxit, ut dignosci nisi ab oculatissimo vix possit. Ad hoc probus ille ipse effingitur senex, quippe qui Leges quidem extollit, sordes vero quibus male fœdatæ sunt dejicit, in malos auctores quasi in infestos totaque vi irruentes hostes invehitur, socios tandem ad pugnam invitat, spemque victoriæ facit præsentibus diis. Vides, Lector, quàm hoc non sit leves ac vacuos effutire sonos, vocum inanitate ludere, et garrulam verbositatem stulte ructare, quod fortasse quispiam dixerit. Sed ad interpretationem veniamus.

SENEA. TU, INQUIT, FILIE, SI AVES, AUDIBIS, &c.

INTERPRETATIO.

Audies tu, fili, si cupis inquit, nam ex iis mihi videris esse qui sæpe mecum joculari solent, meque amare; atque ista a me tibi puta dicta ex animo, non ut aduler; verna non sum. Hæc inquam, dicis quæ tua est humanitas; sed quum interdum jocatum me fatear, quod vero tecum ais, non memini. Quis autem hic inhabitet, scire ex te, modo placeat, velim. Tum ille.

O

(1) Fabricij Biblioth. Latin. lib. 2. cap. 12.

O fili, quam subsilio ingenti cibi lautioris copia, ex quo simul cum Quirini gentium lingua tractare sapientiam institui, tum ceteras artes, pulcherrimasque scientias, quas præaltis illis fraxinis soleo levibus, et quasi alternis cacumina motantibus vicibus comparare. Urinam priusquam moriar extirpare possem, eos qui ut curvato se statu contrahunt, prope adest, quum facto impetu umbras in nos mendacia furfures, sordes ac stercora sua emittent, et veras illas leges, bonas, castas, egregias, quæ olim a majoribus nostris veluti pensatione quadam tabulis incisæ sunt æreis, splendori suo ac pristinae dignitati restituere. Quod ne non fiat non parum vereor, et ceteræ artes aliquando renoventur, purgatæque privatim numen accipiant; contra autem ne meliores semper leges tormina patiantur, languescant in dies magis, et omnino labefactentur. Et quid olim hisce legibus purius fuit? At vereor, quoniam crudeli quàm similes sunt Manlio, qui in eas dominantur acerbe, homines præterea inculti, planeque horridi, verbis agrestes, furiis agitati, amentes, earumque dignitatis usurpatores, qui nihil aliud quàm lites expectant, futiles eas quidem, sed quibus tamquam everriculo utuntur, quo quidquid in orbe sit vehant, auferant, et exsugant. Talis est Accursius, qui mire obscurissima quæque fovet, et ad cimberias tenebras, ut proverbio utar, quàm proxime accedit; tum alter ille (Bartulus natus in Saxoferrato Civitate Italiae) saxo et ferro ex quo natus est durior ac stupidior; hic item alium sui simillimum procreavit; (Baldum Bartuli discipulum) videlicet mali corvi malum et bardum ovum; nec inter hos taccendi et qui Nuncius ex Aretio venit, (Angelus id est Nuncius, hoc est, Angelus Aretinus) et Imolanus; (Joannes de Imola) quos una omnes immolatos, fractoque dorso in sublimen palum alligatos Deus max. mihi conficiendos dederit priusquam porriginem et gangranam Legum litteris eisque spurcissimis spargerent.

Sunt etiam alii (nam horum similium plurima est colluvies) qui immani quadam, squalida, et belluina feritate jus omne proluvie summa dedecorant, torquent, fœdant; quodque demum pulchrum est, totum id removent, obscurumque red-

Tom. V.

Gggg

dunt.

dunt. Nomenclaciones autem istorum sic mihi et omnibus molestæ obscænæque sunt, ut ad eorum quidem nomina insaniam; nec dubitem a Deucalione ejusque uxore fuisse eos in hunc orbem immissos, ut omnium omnino hominum et otium et pacem interrumpent. Sed illud me totum dilacerat ac mori cogit, quod ita in judiciis dominantur hi rixarum Principes, discordiarumque auctores, ut neglectis veteribus utilibusque legiferis, legum custodibus, et consultoribus, ediscendi vel ingratiis sint temulentis hi ac vani somniatores. Penes vespillones hos sunt divitiæ, opes: hi carnulenti speciosis se vestibus ornant, hi sumtuosa convivia celebrant in quibus, nihil loci est honestati, nihil rationi: boni vero et frugi, mœsti, fameque et inopia summa coacti; et tui macello quum gallinarum intestina retorta, quid dico gallinarum? immo et dura boum, minuta interdum olera, et vilia pulmentaria impetrant, magno se haberi in pretio credunt, quum homines despiciatissimi vivant, amicianturque veste lacera. Utinam te tuique similes exorare socios possem (ut quos veteres illas, verasque scientias investigare juvat, ac etiam litteris tradere) uti uxores hic duceretis, ac domum hanc tutam remini; nec grave esset in has edacissimas, atroces, molestasque copias invadere, longeque ab optima istorum finium ærearumque possessione pellere, extra vallum projicere, arcere, ac trudere. Egregium porro facinus, nec vero arduum sed obtentu facile: Tutanus et Tutilina (deus et dea) vobis certo ad hanc rem aderunt, tantaque ope jam de tenebris actum: nulla jam ad verum, et justum erit seu cunctatio, seu mora; ipsi se hostes ultro vobis dedent, paullulum etiam adhortante et adniten- te lætitiæ summa dea Fugia.

NOTA.

QUum dialogum *Ædes Legum*, qui in hoc volumine continetur, magno studio legeremus, summaque voluptate, ut in ceteris ejusdem Auctoris scriptis, perfrueremur; statim operæ pretium facturos putavimus, si ut Senex atriensis altera ejus dialogi persona mira se arte, quæsitisque verborum involucris occultare studuit, ita a nobis contra verbo ad verbum transferretur, ac nostro more vel sermone latino recenti loquentem faceremus: quod eo gratius fore arbitrati sumus, quia per ducentos et eo amplius annos, quum Auctoris opera plus semel edita sint, et res maxime postularet, quasi voluntaria oblivione prætermisum videatur, et fortasse nec intellectum. Profecto si non Oedipum conjectorem, a quo exponatur, Senex requirit, at saltem non linguæ ignarum Matris Evandri, non veterum vatium, non Faunorum, vel Aboriginum, non Lavinii Conditoris *Æneæ*, non Sallii fratris, aut sodalis Titii: atque hinc facile colligere licet, quid a nobis in nostra interpretatione præstitum sit, multo autem clarius perspicietur, si indicem vocum obsoletarum, totiusque umbraticæ dictionis, legere et observare placuerit. Sit ergo

INDEX.

A

Abjugo quasi a jugo removeo dicebant veteres pro *abjungo*.
Accepso pro *accipio*.

Accorsios est *Acursius* legum scriptor.

Adipatus, adjectivum ductum ex *adeps*, est *pinguis*, seu *carnulentus*.

Ædituor quasi *ædem tueor*.

Æsar Etruscorum lingua *Deus*. Suetonius in Octavio 97.

Allodapa quasi *altus dapibus*, seu *laute epulatus*.

Appluda est milii, panici, et sesamæ, purgamenta.

Aporia pro *indigentia* etiam usus est Cicero 7. Artic. 21.

Aretium vide *Nuncius*.

Arfor antiquum pro *affor* seu *adfor*.

Assus participium ex *ardeo*, postea *S* prima in *R* mutata, ut in multis aliis: ita *melios* dicebant antiqui pro *melior*, *plusima* pro *plurima*, unde patet quid sit *assa feritas*, pag. 48 §.

Averrunco pro *aperto* usus est Lucilius lib. 26.

Aurigor idem est quod *rego*, *dominor*. Nonius.

B

Bardus id est *stultus*: a tarditate ingenii appellatur quis *bardus*, quasi diceretur *tardus*.

Bobillæ vox est contracta ex nomine *bos*, et *hilla*; *hilla* vero intestinum est; unde liquet significatio *Bobillæ*.

Bostum est quod in usu est *bustum*, qua voce locus significatur in quo mortuorum corpora cremabantur: *Bustum* quasi *ustum*.

C

Canicæ sunt *furfures* de *farre*, sic dicti quod canibus in escam dari solent.

Cascus, adjectivum pro *antiquus*, ab *Osca* voce *casus* id est *senex*, seu *antiquus* ut Jos. Scaligero placet, deductum, indidemque nomen *caseus*, lac vetustate coactum.

Congerro, sive *congero*, is est quocum familiariter et facete confabulamur. Erasmus.

Copis substantivum, *cultrum* seu *gladium* significat, adjectivum vero est contractum ex *coopis* quasi *cum ope*, et usurpabatur pro *copioso*.

Cupediæ non sunt cibus quicumque, sed *phasianorum*, *perdicum*, aliarumque id genus deliciarum.

Curinalis est *Quirinalis*; *Q* enim littera, plurimorum consensu, ævi recentioris inventum est: Romulus autem dictus est *Quirinus* a voce *Curis*, qua *hasta* a Sabinis significabatur.

D

Dapalis est cœna *amplis dapibus* plena.

Dapaticus adjectivum *magnificus*, *egregius*.

Deartuare est *per artus concidere*.

Decalanticare antiqui pro *depeculari*.

Demagis pro *magis* usus Lucilius.

Dædala, et *maga*, fuit Deucalionis uxor, deque his intelligendus Auctor quum pag. 48 §. a *Viro*, *Dædalaque maga* scribit in

hoc

hoc medium universi elementum inmissos (malos scriptores, quos supra carpit) respiciens sine dubio ad hos versus Ovidii *Metamor.* Lib. 1.

Inde (Deucalione, ejusque uxore) *genus durum sumus,*
experiensque laborum,

Et documenta damus qua sumus origine nati.

Directus vox obsoleta usurpata olim pro *erecto* seu *sublato*. Videatur Nonius.

Diloricatus id est *scissus*, seu *lacerus*: Diloricare tunicam dixit Cicero de Orat. Lib. 2.

Dividia apud antiquos *tedium* significabat. Nonius.

Duim pro *dem* aut *dederim* usurpabant antiqui, et *duit* invenitur etiam apud Plautum in *Asin.* Act. 2. Scen. 4.

Duonus pro *bonus*.

E

Esurigo, id est, *fames*.

Evallo est *extra vallum pello*.

Everriculum notum verbum est quo Cicero utitur, et est quod hispani dicimus *red barredera para pescar*.

Exdorsuo quasi *dorso nudo*.

Exfundo et *everto* idem significant.

Exterebro est *curiosius quæro*. Nonius.

Externare est *mente privare*.

F

Facesso pro *abeo*, *recedo*.

Falla pro *fallacia*.

Fastiliditus pro *molestus*.

Februo pro *purgo*. Nonius.

Fello pro *exsugo*. Idem.

Filie in vocativo pro *fili* dicebant veteres, ut Livius apud Priscianum: *Jupiter Saturni filie*.

Flavisse. Vox priscorum Latinorum, qua locum ubi pecunia conditur, significabant; quem locum posteri Græcos sequuti *thesauros* dicere maluerunt. Gellius lib. 2. cap. 10.

Foculator nomen verbale est ductum e *foculo*, pro quo nunc in usu est *foveo*.

Fo-

Foria apud veteres *stercora liquidiora*, et opinor ductum nomen a *foras*, unde etiam tractum verbum *forio*, id est, onus foras eicio. Vossius Etymologicon.

Fraccessere est *vetustate putrefieri*. Nonius.

Friare est nostrum *conterere*, aut *comminuere*.

Frigutio, seu *fringutio*: proprie *frigutire* de avibus dicitur sive adgarrientibus, sive subsilientibus; indeque ad homines non invenuste transfertur ut in Plauti Casina ubi sic legitur:

Quid fringutis, quid isthuc tam cupide cupis?

Fritinnire est hirundinum aliarumque minutarum avicularum, proque eo nunc dicimus *subsilire*.

Fruniscor pro *fruor*.

Fuam pro *sim* usurpabant antiqui, a verbo *fuo*, ab eoque remansit praeiteritum *fui*, quod item olim erat *fuvi*.

Fugia Dea lætitiæ apud Romanos ob fugatos hostes.

Furnitates sunt res atræ, aut obscuræ: furvum enim veteribus erat nigrum; ab eoque dicta *furnus*, *furie*, *funus*, *fuligo*, *fumus*.

Furvus quid sit vide in voce *furnitates*.

G

Gabalus pro *crux*.

Gangrana notæ significationis.

Gigerita, seu *gigeria*; nam veteres solebant litteram *t* aliis ejusdem vocis litteris intermiscere, ut in *identidem*, quod est *duplex idem*: *gigeria* vero sunt gallinarum intestina. Nonius.

Glossa interpretatur *lingua*.

Gluttus est nomen adjectivum derivatum a *glus*, significat autem cohærens, seu unitum.

Gramiæ sunt oculorum pituitæ; hinc qui tristes sunt, in hodiernum quoque diem *gramiosi* nominantur.

H

Habesso pro *habeo*.

Hecta quasi *hicta* ab *hio* rem significat *nullius pretii*.

Helvella sunt *olera minuta*: usus ea voce Cicero Lib. 7. Ep. 26.

Hornus pro *ornus* est *fraxinus silvestris*: antiqui enim, ut ait Gellius

lius, soni firmandi causa, *h* litteram, seu *mavis spiritum*, plerisque vocibus inserebant: ita dicebant *honus*, pro *onus*.

Hostimentum ab *hostio*, id est, *æquo*, traxit originem; unde *hostimentum* erat *beneficii pensatio*.

I

Immolanos pro *Imolanus* est Joannes de Imola.

Impancro pro *invado* antiqui. Nonius.

Iniquo, *as*, *are* verbum obsoletum est, ex *in* et *æquo* factum: unde patet significatio.

Incursum, id est, *celeriter*.

Infabre adverbium pro *inculte*, aut *impolite*.

Inuncator quasi *unco raptor*.

Jussa acerba (Manliana ætate); Manlius Romanus ea fuit ferocia, ut filium, quia adversus edictum in hostem pugnavit, ad paulum jusserit deligari, et securi percuti; indeque factum ait Livius ut *Manliana imperia non in præsentia modo horrenda, sed exempli etiam tristis in posterum essent*.

L

Licitari pro *congregari*. Nonius.

Lucus adjectivum quasi *lucidus* a *lux*.

Luxare est e loco *movere*; atque ex eo etiamnum dicimus *luxuriam* quasi a recta vivendi via exclusam, seu ut antiqui, *luxam*.

M

Macellum, locus ubi ea veneunt, quæ vescendi causa in urbem adferuntur.

Mali corvi malum ovum, adagium est quo apte utimur quoties malum discipulum a malo præceptore profectum significare volumus.

Manus, *a*, *um*, pro *manus* obsoletum, nos dicimus *facilis*.

Manliana ætate. Vide *jussa acerba*.

Meatim, id est, *meo more*.

Mencipes, id est, *mente capti*.

Mictyris est *paupercula pulmentaria*, ut *intubus*, et id genus alia.

Musio seu *Mustio*; mustiones sunt a *musto* appellati, ut *Bibiones* qui in vino nascuntur.

Mustus adjectivum est *recens*.

N

Nomos vocis qualratem moderationemque significat: quia autem veteres, priusquam litteras scirent, leges, ne oblivioni mandarentur, canebant, hinc factum ut *nomos* lex a Græcis diceretur.

Nomophilax est *legum custos*.

Nomothetae sunt *legiferi*.

Nuntius seu *nuncius* ex *Aretio*; *Aretium* urbs *Tusciæ*, *ficilibus*, quorum magnus olim erat usus non modo apud vulgus, sed apud ipsos etiam *Reges*, celebrata: hinc adjectivum *Aretinus* pro testaceus seu argilaceus sumtum, et ad homines ob contumeliam translatum. *Videsis* interpretationem.

O

Obvarvo pro *depravo*.

Ocquinisco, et *conquinisco* idem omnino significant, videlicet ocquiniscere perinde est atque hominem vel cetera animalia se incurvare aut inflectere ut ventrem exonerent: Verbum quidem sordidum, sed quo tamen apte usus est auctor, ut hominum, quos detractos volebat, contemptus augetur.

Oisum pro *usum* scripsit auctor more veterum, quorum erat *oitor*, et *oisus*, pro quibus posteriores *utor*, et *usus* dixerunt.

Ollus a, um, pro *ille, a, ud*.

Opulisco vel *opulesco*, idem quod *ditesco*.

P

Pax, interjectio etiam est cohibentis loquelam, et silentium sibi aut alteri indicentis.

Peniculamentum notat lacinias vestium fractas.

Petilus est *tenuis*, et *exilis*.

Pigro obsoletum pro *cunctor*.

Porceo est nostrum *prohibeo*.

Pri-

Privus, a, um, idem quod *privatus*, quod est unicuique proprium.

Prosfero, *impetro*.

Protollere est *ultra tollere*, item *differre* seu *prolongare*.

Q

Querquernus, seu, ut alii legunt, *quercerus*, pro *gravis* seu *molestus*.

R

Recento est a *recens*; unde *recentare* antiqui dicebant pro *renovare*.

Redantruare, sive ut vult *Scaliger* *redamtruare*, dicitur in *Saliorum* exultationibus, quum *præsul amtruavit*, quod est *motus* edidit, et referuntur *invicem idem motus*: hæc *Festus*: unde liquet quid sit quod ait *Senex*: *Elatas jam tot hornos taxim redandruantes*: videatur nunc nostra interpretatio.

Redhostio. Hoc verbum venit ab *hostio*, sicut nomen *hostimentum*; *hostire* vero est *æquare*, unde *redhostire* est *paria referre*, etiam est *redire*. *Nonius* etiam *restituere*.

Rudus est quod antiqui dixerunt *raudus*, et in plurativo *raudera*, lapidum frusta, ruinarumque materiem. Ab hoc *raudus* ductum nomen substantivum *rudis* virga impolita, quod etiam est adjectivum, unde *rudire*, a quo postea *erudire*, quasi extra *ruditatem* ponere.

S

Salius. *Salii* dicebantur duodecim juvenes sic appellati quod *saliendo* sacra facerent, et carmina canebant usque adeo obscura ut *Horatius* in *Arte* scripserit:

Jam Saliare Numæ carmen qui laudat, et illud

Quod mecum ignorat, solus vult scire videri.

Numæ carmen dicit, quia a *Numa* institutum.

Sebe pro *se* more veterum.

Septuose pro *obscuræ*.

Signatus, a, um pro *egregius*.

Simitu pro *simul*.

Sis, sos, sas, dicebant veteres pro *suis, suos, suas*.

Slis pro *lis*.

Socienus pro *socius*.

Tom. V.

Hhhh

So-

Sodalis Titius: Titii dicebantur Sacerdotes Apollinis.
Somnorinus, a, um, alii legunt *somnurnus*, vissa in somnis significat.
Squalus pro *squalidus*.
Sublectus proprie notat *tenuis*: hinc *fides sublecta* apud Plautum.
Suffes, seu ut alii malunt *Sufes*, summus erat Carthagine magistratus.
Superbos antiqui pro mortuos: hinc non modo senem nostrum intelligas, quum dicit: *Antequam dividia, et tortis superbus fuam*, sed illud Plauti: *faciam ego hodie te superbum, nisi tu hinc abis, id est, occidam*.

T

Tbesmos vox græca, cui respondet Latina *lex*.
Tetro pro *fædo*, a *teter* sicut et *tetricus*.
Tortum pro *tormentum*.
Tricones, sunt homines *rixarum amantes*.
Tuatim, id est, *tuo more*.
Tudiculo notat *commovere*, et est a *tudicula*; quo significatur cochlear majus, aut simile instrumentum, quo cibi in ollis agitantur.
Tunicare est *tunicam induere*.
Tutanus Romanorum Deus.
Tutilina Romanorum Dea.

V

Vegrandis est *valdegrandis*. Nonius.
Verminari est *ventris tormina pati*. Idem.
Vernaliter adverbium ductum a *verna* pro *adulatorie*.
Vescum dicebant *nimis obscurum*, et *fastidiosum*.
Vespillo, vilis cadaverum *funerator*.
Unose, pro *una*, *simul*.
Usia substantia, *essentia*.
Vultuari quasi varios vultus facere, quod hispani dicimus *hacer visages*, *poner ceño*.

IN-

INDEX

RERUM, ET VERBORUM,

QUÆ IN HOC TOMO CONTINENTUR.

A	Pag.	
<i>Aborigines populi</i>	4.	<i>Animus</i> semper vigilar, et agit. 159.
<i>Adhortatio ad caritatem</i>	399.	<i>Annorum</i> apud priscos varietas. 150.
<i>Adhortatio per epilogum</i>	163.	<i>Annorum</i> constitutio varia. ibid.
<i>Adversa sola hominibus nunquam contingunt</i>	7.	<i>Annus Ægyptius</i> . ibid.
<i>Ædes legum</i>	483.	<i>Annus magnus</i> . 151.
<i>Æmiliæ continentia</i>	127.	<i>Annus mundanus</i> . 152.
<i>Æqualitatis species</i>	12.	<i>Annus vertens</i> . 151.
<i>Ætas Scipionis</i>	97.	<i>Annus unde dictus</i> . ibid.
<i>Æternum est quod semper movetur</i>	102.	<i>An possit esse rerum communitas inter omnes in hac natura</i> . 473.
<i>Affectus suos pulchre rexit Socrates</i>	309.	<i>Antecellere in omni re, quæ est in precio, cupimus</i> . 202.
<i>Affectus ram mali duces quam ministri</i>	227.	<i>Apollo cur sol dicatur</i> . 134.
<i>Affectuum discordiæ</i>	331.	<i>Apostolus non odit infirmitates inculpabiles</i> . 393.
<i>Alæ animi ex Pythagora et Platone</i>	161.	<i>Apum mira reipublicæ administrationis</i> . 194.
<i>Ambitio cur magis noceat ingeniiis</i>	145.	<i>Areopagita, qualis vox</i> . 4.
<i>Ambitio et avaritia quæ mala inveniunt</i>	462.	<i>Areopagita justissimi</i> . ibid.
<i>Animæ immortalitatem negare quam impium</i>	158.	<i>Areopagita noctu cognoscebant causas et cur</i> . 5.
<i>Animæ natura et vis</i>	102.	<i>Areopagum consilium Athenis</i> . 4.
<i>Animæ propria natura atque vis</i>	102.	<i>Argumentum Platonis de animi immortalitate</i> . 157.
<i>Animalia omnia, homine excepto, foetus suos negligunt, et quatenus</i>	194.	<i>Aristotelis somnia de felicitate</i> . 498.
<i>Animalia quæ multum dormiunt</i>	68.	<i>Arma animalium</i> . 198.
<i>Animi ad cœlos revertuntur</i>	98.	<i>Arma quid viro forti porrigere debeat</i> . 95.
<i>Animi cur de cœlo in corpora lapsi</i>	126.	<i>Armum sinistrum crocodili</i> . 78.
<i>Animi nostri syderibus similes</i>	125.	<i>Artes quod tempus sibi conveniens expectant</i> . 308.
<i>Animorum origo coelestis</i>	123.	<i>Artes vitæ et instrumenta ab homine excogitata</i> . 195.
<i>Animus facit injuriam</i>	383.	<i>Asinus ad lyram</i> . 486.
<i>Animus harmonia delectatur</i>	140.	<i>Athenarum discrimina</i> . 185.
<i>Animus hominis quid</i>	156.	<i>Athenienses Autochtones dicti</i> . 4.
<i>Animus nec ortum nec finem habet</i>	157.	<i>Athenienses populi toto orbe clarissimi, et quibus</i> . ibid.
<i>Animus nunquam quiescit</i>	125.	<i>Athenienses primo Regibus paruerunt</i> , Hhhh 2

runt, inde Principibus, postea liberi fuerunt.	4.	Carthago a quibus condita.	114.
Atheniensibus Græcia universa subdita, verum non diu.	8.	Carthago nata ad exercendam virtutem Romanam.	ibid.
Atheniensium antiquitas et nobilitas.	4.	Carthago quamdiu floruerit.	ibid.
Atheniensium hominum fortitudo.	31.	Causidici piscatores.	490.
Atheniensium opes ipsis perditionem attulerunt.	7.	Christiani plura fora judiciorum habent quàm gentiles.	231.
Atheniensium res gestæ.	31.	Christianos quanto amore prosequi teneantur.	394.
Athenis regnum plurimum quam paucorum melius.	27.	Christianus homo perfectus.	201.
Auditu quidam carent.	99.	Christi præceptum caritas.	170.
Augusti et Trajani dicrum.	177.	Christo quibus modis muadus adductus.	318.
		Christum gratiæ unicum præceptum.	389.
		Chryssipiani thesaurus.	75.
		Cicero de Republica quando scripsit.	92.
		Cicero Platonem emularus ubique.	108.
		Ciceronis nomina.	82.
		Ciceronis somnium Scipionis quale scriptum.	108.
		Ciconiæ natura probissima.	194.
		Ciconiæ pietas.	ibid.
		Cingula terræ quinque.	147.
		Cimmeria gens quæ.	64.
		Circulorum cœli ordo.	130.
		Circus lacteus.	127.
		Civitas non decretis, sed moribus bene regitur.	19.
		Civitates feliciter agentes pessime de suis rebus statuunt.	7.
		Civitates quæ fiducia sua innuntur, in gravia pericula devolvuntur.	ibid.
		Civitatis anima.	12.
		Civitarum felicitas in quo sita.	ibid.
		Civitarum vitia atque pestes.	322.
		Clementia Augusti.	325.
		Codrus Rex Atheniensium, et quamdiu.	4.
		Cœlestium orbium harmonia.	99.
		Cœli harmonia.	139.
		Cœli figura.	130.
		Cœli forma congrua.	ibid.

Cœ-

Cœli orbium ordo.	99.	Cymindes, avis quæ dicitur Buo.	70.
Cœli porta minime patet homicidis.	133.		
Cœli semper sublimes.	139.		
Cœli sonitum homo cur non capiat.	99.		
Comites perpetui solis.	135.		
Commentaria quo pacto nostro seculo accipiuntur.	105.		
de Communione rerum ad Germanos inferiores.	464.		
Communitas Apostolorum.	468.		
Concilia quare ab aliquot Pontificibus intermissa.	171.		
Concilium Romanorum de clementia.	325.		
Concordiæ bona.	255.		
Concordiæ origo.	193.		
Confederationes et clientelæ Principum.	219.		
Consideratio naturæ ac usus.	349.		
Consonantia humani corporis.	140.		
Convivium somni.	69.		
Cordati duo maxime expediunt.	16.		
Corinthium quis everterit.	114.		
Cornu Hammonis.	76.		
Corpora multas animorum labes occultant.	153.		
Corpora nostra paucissimis explebilia.	463.		
Corpora nostra septenariis constare.	119.		
Corporum divinorum ac humanorum soni quales.	140.		
Corpus hominis quid.	156.		
Corpus humanum quam caducum sit et sordidum.	342.		
Corpus nostrum ægritudinibus obnoxium.	298.		
Culpa neminem vacare intellexerunt gentiles.	341.		
Cultus ingeniorum per discordiam.	305.		
Curiosorum natura.	376.		
Cur post bellum minus est pecuniæ.	261.		
Cur Scipio narrarit Somnium.	109.		
Cur soni cœlorum a nobis non audiuntur.	143.		
Cursus stellarum.	131.		

D

DEcretum Lachesis.	89.
Descriptio domus somni.	64.
Deus mala nostra vertit in bonum.	333.
Deus solus verus ultor.	384.
Dialectica necessaria juri.	499.
Diana quid.	136.
Definitio juris naturalis.	494.
Dignitas numeri octonari.	119.
Digressio somniorum et sophistarum.	77.
Dionysius Syracusanus liberat regnum vexatum.	44.
Discordia auctoritatibus fulta.	227.
Discordia in religione periculosa.	250.
Dissidia inter doctos.	210.
Discordia inter Sacerdotes.	250.
Discordia monstrum ingens et horrendum.	194.
Disciplinæ adjuvant pietatem.	458.
Discordiæ finis.	328.
Discordiæ gentium.	220.
Discordiæ inter doctos.	246.
Discordiæ mala.	255.
Discordiæ origo, ac quantum malum.	193.
Disputationibus quid obsit maxime.	309.
Dissentio inter Parcas.	83.
Dissidia in sententiis de pietate.	252.
Divisio juris.	494.
Divites quo pacto pauperes æstimant Athenis.	16.
Divitum apud Athenienses studia exercitia quæ.	24.
Doctorum hominum contentiones omnium disciplinarum.	210.
Domus somni.	64.
Draco leges sanguinæ scriptas dedit Atheniensibus.	4.
Duæ vertices Parnasi.	112.

Emo-

E	
E molumenta per injurias quæ- sto non sunt divitiarum.	55.
Ennii somnium.	112.
Ennius Homeri invigilat operibus, ac cur.	ibid.
Ex animo omnia æstimanda.	358.
Exercitum prætorianum Romæ Au- gustus Cæsar constituit.	268.
Exitium qui alteri parat, sibi no- verit pestem paratam.	330.
Eumitrides gemma qualis.	78.
de Europæ statu ac tumultibus.	164.
F	
F abula de galaxia.	128.
Fabulis nihil non foedatum.	ibid.
Factum factu calcamus.	365.
Famuli aularum.	67.
Fata ne vitari queant.	120.
Fides individua et sociæ et amica justitiæ.	163.
Figura cœli.	130.
Filiæ somni.	66.
Fontes odii.	229.
Forma honestatis.	154.
Fortitudo unde suas vires accipiat.	95.
Fratres qui se invicem perimerunt.	237.
Fructus segniciei.	20.
G	
G emma Eumétridis.	78.
Genera morborum trecenta ante Plinium.	343.
Gens Æthiopiæ surda.	144.
Gesta præclara Scipionis.	111.
Gloria a virtute nunquam dirimitur.	155.
Gloria æterna quanta et quo pacto comparetur.	153.
Gloria inter optimos viros optima.	150.
Gloria nulla diuturna.	149.
Gloria qualis in cœlo.	153.
Gloria temporalis fluxa.	155.
in Gloria tria expetenda.	147.
Gloriæ angustiarum.	ibid.
Gloriæ cupiditate excelsi sæpe fe- runtur animi.	95.
Gloriæ fundamentum.	145.
Gloriæ compendiarium via.	155.
Grammaticorum importunitas.	104.
H	
H annibal et Plautus eodem an- no mortui.	112.
Hannibal veneno periit.	113.
Hercules quibus delectatus.	132.
Hesiodi dictum de invidentibus.	103.
Homero evenerunt sæpe talia som- nia qualia vigilans cogitabat.	96.
Homines alii obliqui, alii transver- si, alii adversi.	147.
Homines qua lege sint creati.	98.
Hominis compositio.	125.
Hominis formatio Dei sapientiam ac potentiam declarat.	101.
Hominis imbecillitas et infirmitas.	199.
Hominis propria.	211.
Homo a parvis infestatur animal- culis.	343.
Homo cuncta præcaria accipit.	200.
Homo deus est.	101.
Homo est mundus magnus.	157.
Homo humanitatem perdidit.	201.
Homo inermis cur conditus.	198.
Homo natura ad civilitatem factus.	160.
Homo non perdidit sed juvandi gratia in mundum introductus.	133.
Homo parvus mundus.	157.
Homo prorsus inermis in mundum emissus est.	198.
Homo quantum percipere valeat.	143.
Homo societati conditus.	195.
Honor verus et germanus est vir- tus.	282.
Humanæ corporis mira harmonia.	140.

Im-

I	
I mmanitas major christianorum quam gentilium.	169.
Impiis nulla est pax.	461.
Importunitas grammaticorum.	104.
Incendia in bellis.	169.
Indicia nimium multa hodie fiunt.	231.
Infirmitates inculpabiles non odit Apostolus.	393.
Ingenium hominis quæle sit.	211.
Ingenium Valentinum.	62.
Ingratitudinis exemplum.	121.
Injuriæ recordatio.	220.
Inopiamne an opulentiam filiis re- linquere satius.	7.
Institutio puerorum qualis.	179.
Interlunium quamdiu duret.	137.
Invidia quomodo nocet.	229.
Invidia quo pacto noceat.	232.
In vita agimus tamquam in regia.	398.
Ira mala.	232.
Isocrates insignis orator.	3.
Isocrates patriæ vehemens amator.	ibid.
Isocratis Areopagitica oratio.	7.
Isocratis Nicocles, sive auxiliarius.	36.
Isocratis oratio Areopagitica, seu de Republica Atheniensi.	7.
Isocratis orationes breves magno precio venditæ.	3.
Isocratis patria.	ibid.
J	
J ovis nuncius somni.	68.
Judicia quem usum habeant.	231.
Judicis officium.	492.
Jupiter omnium hominum pulcher- rimus.	132.
Jupiter quis et unde dictus.	ibid.
Jupiter quid significet.	310.
Juris naturæ definitio.	494.
Jus naturale et gentium idem.	495.
Justitia actionaria similis numero.	119.
Justitia cum moderatione primum inter virtutes obtinet locum.	47.
Justitia et fides sorores.	163.
Justitia nodus humanæ societatis.	126.
Justo non est lex posita.	382.
in Juvenibus affectuum tempesta- tes in primis dominantur.	20.
Juventutis Athenis magna ratio quondam habita.	24.
Juvenum major quam puerorum cura habenda.	19.
L	
L acedæmoniis opes perditionem, penuria victoriam attulerunt.	8.
Lacrimæ molles affectus declarant.	198.
Lacrimæ symbolum mansuetudinis humanæ.	198.
Lacteus circulus quis.	127.
Laudari a quo quis cum gaudio possit.	150.
Laus magna Concilii generalis.	191.
Lectus somni.	66.
Leges Agrariæ causa malorum.	117.
Legum constitutio de turpibus at- que honestis esse debet.	39.
Legum copia malam juventutem indicat.	19.
Legum sine constitutione nulla communio constabit.	39.
Lesbia norma plumbea flexibilis.	310.
Lex annalis quid vetaverit.	116.
Lex Licinia.	118.
Lex quid.	487.
Lex telæ aranearum.	488.
Libertas quid.	449.
Licor fontis Castalf.	112.
Litteræ unde naræ.	197.
Lovanii felicitas.	65.
Lunæ situs cum crescit, decre- scitve.	137.
Lucri bonus odor avaris.	490.
Ludi seculares qui.	152.
Lumen Christi nobis infusum.	201.
Luna cur multiformis appareat.	137.
Luna omnes facies quas intra quin- de-	

decim dies profert singulis momentis habet.	137.	revehunt.	321.
Luna per se non lucet.	ibid.	Milites primi in acie.	302.
Luna quando deficiat lumine.	136.	Minerva quas virtutes significet.	119.
Luna quid, et unde dicta.	137.	Misera conditio enarrantium.	105.
Lunam esse terram maiorem affirmarunt quidam.	ibid.	Monarchiam præstare aliis administrationibus reipublicæ.	44.
Lunam terra minorem.	ibid.	Morborum genera trecenta ante Plinium.	343.
		Mores bonos in civitatem introduci duplicem fructum affert.	85.
		Mors quid.	161.
		Mors via ad cælum verum non quævis.	124.
M Acrobii laus.	107.	Mortem nemo sibi inferre debet.	126.
Macrobius qualis scriptor.	103.	Mos in novo orbe maxime laudabilis.	462.
Magnitudinis certum argumentum.	370.	Mundi nomen appositum huic fabricæ.	128.
Magistratum quis eligere debeat.	12.	Mundus magnus homo est.	157.
Magistratum sorte non esse eligendum.	ibid.	Munus suum ut quisque obire debeat.	55.
Magistratus qualis apud Athenienses lectus quondam.	ibid.	Musica sphaerarum coelestium.	141.
Magistratus qui cuperent Athenis aliquando minus invenire, quam postea qui non rogarent, poterant.	15.	Mysteria numeri septenarii.	119.
Magnum Imperium quid.	322.		
Mali quid habeant post vitam.	162.		
Marci Anthonii Reguli fides.	163.		
Mars cædibus præest.	4.		
Mars cur bello præsidet.	132.		
Mars, mavors quasi magna verrens.	279.		
Mars Nepruni filium obruncat.	4.		
Martis collis Athenis.	ibid.		
Maturitas nimis festinata omnis suspecta.	88.		
Mecœnaris trienalis vigilia.	66.		
Memoria mentis thesaurus appellatur.	196.		
Mens hominis figura non corpus.	101.		
Mercurius cur nuncius habitus.	135.		
Mercurius nuncius et minister deorum.	ibid.		
Mercurius quis.	ibid.		
Metu non firmari regnum.	177.		
Metus comes rerum quas occultare volumus.	55.		
Militaris disciplina Romæ.	125.		
Milites pessimam quæque domum			

Nomius quis.	134.	ces parata.	122.
Nosce se ipsum quid sit.	156.	Patriæ benefactoribus quis supersit locus.	96.
Novi orbis mos maxime laudabilis.	462.	Patientia mater est fortunæ.	266.
Nox liberos ex Herebo suscipit.	64.	Pauperes de divitibus quid Athenis senserint.	16.
Nox Regina somni.	ibid.	Pauperum juvenum apud Athenienses studia.	19.
Nulla est obedientia in discordia.	269.	Pax bona qualis.	461.
Numantiæ situs.	115.	Pax de coelo ad terram a Christo deducta.	402.
Numantini devincuntur.	116.	Pax iniqua bello etiam felicissima potior.	185.
Numantini graves fuerunt hostes Romanorum.	ibid.	Peccatum occultantes, et facientes æquales fiunt.	56.
Numantinorum virtus.	ibid.	Perfecti viri est gloriam contemnere.	145.
Numerosæ ac diversæ malefactorum formæ apud homines.	193.	Persarum regnum unde mire auctum sit.	44.
Numeri octonarii dignitas.	119.	Perturbationes quibus homo commovetur.	196.
Numeri seprearii mysteria.	ibid.	Philippus Vostrensis primus Cæsar christianus.	454.
Numos qui excuderint primo.	66.	Philosophi præcipue animam immortalem statuerunt.	97.
		Philosophia examinat leges.	499.
		Philosophiæ laudes.	ibid.
		Phœbus quis.	134.
		Planetæ reliqui a sole quantum abscedant.	136.
		Planetarum cantus qualis.	141.
		Planetarum cursus ac revolutio.	131.
		Planetarum nomina impia.	ibid.
		Planetarum nomina quid significant.	ibid.
		Platonis schola Isocratem enutrit.	3.
		Plautus et Hannibal eodem anno mortui.	112.
		de Pœnis Magistratum cogitare est hostem agere, non civem.	20.
		Pœnis male viventes afficere non tam laude dignum quam curare ne quid pœna dignum perpetetur.	19.
		Poesis prima Romæ.	112.
		Pœtæ nemora amant.	308.
		Pœtæ suis inventis sultitiæ, ac vani-	

O

Octonari numeri dignitas.	119.
Odia sociorum, et militum.	324.
Odii fontes.	229.
Odii generatio, ac malitia.	204.
Omnia feruntur in pejus.	464.
Omnia orta ex jure naturæ.	495.
Omnes oportet esse pacificatores.	411.
Opes hominum aut fixæ aut mobiles.	255.
Opulentia ne filiis, an inopia relinquenda.	7.
Oratio Ciceronis ad Lachesin.	85.
Oratores optimi qui.	39.
Oratores qui nominentur.	ibid.
Orbis retribus ac laqueis coopertus.	345.

P

de Pace inter Cæsarem et Franciscum Galliarum Regem.	175.
Palladis mysterium.	119.
Papyria rogatio.	117.
Parcarum descriptio.	89.
Parcimonia Scipionis.	117.
pro Patria qui interierint.	160.
Patriæ bellum qui intulerint.	239.
Patriæ benefactoribus, quæ mer-	

nitari multitudinis servire studuerunt.	128.	quales erimus sub turca.	458.
Poeticus spiritus unde.	112.	Quid sit victoriam a Deo de homine petere.	336.
Poliocetes destructor civitatum.	279.	Quid sint quies et silentium.	65.
Potentias maximas brevi collapsas.	8.	Quid vulgo honor vocetur.	224.
Popularem administrationem præstare paucorum.	31.	Quomodo amandi fratres christiani.	394.
Præclara gesta Scipionis.	111.	Quomodo surgunt et cadunt regna.	276.
Præcocia non diu durant.	88.	Quot secula in anno verrente.	152.
Primus Cæsar Christianus.	454.		
Primus Cicero de Philosophia scripsit.	91.		
Princeps in Republica est quod animus in corpore.	175.		
Princeps qualis debet esse in Republica.	119.		
Princeps verus qui.	373.		
Principes bellaces cur tam multos habeamus in historiis.	214.		
de Principibus numquam verba faciendo, ac cur.	207.		
Principibus obediendum jusserunt Apostoli.	448.		
Principis nomina.	418.		
Principum studia populi imitantur.	51.		
Provocatio perniciose ad singulare certamen.	439.		
Prudentes qui nominentur.	39.		
Puerorum institutio qualis.	179.		
Pugna cur sic nuncupata.	233.		
Pugnæ unde nomen habeant.	ibid.		
Pythagoræ studium.	142.		

Q

Quæ nobis adversa eveniant tollerare æquo animo debemus.	350.		
Quæ Principem curare deceat.	373.		
Quæstus de præmio virtutis.	122.		
Qui desiderantur post discordiam.	328.		
Qui facit injuriam, accipit.	245.		
Qui oderunt Principem aut nationes.	451.		
Qui possunt esse pacificatores.	411.		
Qui pro patria obierunt.	160.		
Qui se pro aliis impenderunt.	407.		
Qui tales sumus sub christianis.			

R

Ratio cœlorum et rotius mundi.	98.		
Rebus maximis proposita est difficultas.	88.		
Rebus novis studere, et urbes, et domos evertit.	56.		
Rectores quales, tales cives.	12.		
Regem esse quid sit.	353.		
Regere voluerunt alios, qui se minime regere poterant.	216.		
Regere quid sit.	ibid.		
Reges naturam induunt, qualem subditi requirunt.	59.		
Reges privatis hominibus meliores esse debere.	51.		
Regio Valentina qualis.	62.		
Regis officio satisfacere quid.	184.		
Regnum administrare potius quam augere labor est.	354.		
Regum recte administrantes quid facere conveniat de concordia.	51.		
Reipublicæ administratio quæ fit a multis, aut ab uno optima.	3.		
Reipublicæ optimæ institutæ forma.	12.		
Religio gentilis quando plene eversa.	318.		
Religio in homines, et pieras erga Deum.	195.		
Religio vera quæ.	180.		
Reprehensionis fructum quando amittamus.	334.		
Rerum in quibus homines spem habent natura.	349.		
Res bonæ non vituperandæ, sed qui illis abutuntur.	39.		
Res ex quibus gloria petitur vane.	286.		
Res humanæ discordia dilabuntur.	275.		

Res-

Respublica in qua nullus alterum honore excellit malis solum utile.	40.	Sensum destruentur, si ea quæ sentiunt, captum excedant.	144.
Res quo est altior, eo pacatior.	369.	Sermo Catonis Censorii.	88.
Rex in Gallia dictus ceruleus.	280.	Sermone quis oppositissime utatur.	39.
Risus est hilaritatis argumentum.	199.	Sermonis magistra.	ibid.
Risus mites affectus declant.	ibid.	Sermonis utilitas.	ibid.
Romæ discrimina.	185.	Similitudo in natura.	406.
Roma Imperatoribus potius vicit quam militibus.	116.	Sirenes cœlorum.	142.
Romanorum gloria in quibus se exercuerit, et ad quos pervenerit.	148.	Sirenes quo pacto cantent.	ibid.
Romanorum gloria satis angusta licet ampla videretur.	100.	Societas humanæ nodus, justitia est.	314.
		Sol extinctus aliquando.	101.
		Sol moderator reliquorum luminum cœli.	99.
		Sol mundi anima.	134.
		Sol quid et unde dictus.	ibid.
		Sol omnibus planetis lumen impertiatur.	136.
		Solis comites perpetui.	135.
		Solitudo tamquam mors refugitur.	200.
		Somnia Aristotelis de felicitate.	496.
		Somnia omnia augent.	71.
		Somnia sæpe pariunt cogitationes, ac sermones nostri.	96.
		Somni cognomina.	67.
		Somni domus descriptio.	64.
		Somni filia.	66.
		Somni incitamenta.	64.
		Somni lectus.	66.
		Somni Sacerdotes.	67.
		Somni soror.	ibid.
		Somni virga.	68.
		Somniorum interpretes.	71.
		Somnus justissimus.	66.
		Somnus Mercurius alter.	68.
		Somnus mites ac mansuetos reddit.	67.
		Somnus parva mors.	69.
		Sonus hebes vel acutus ubi fiat in rebus.	141.
		Sophistæ Parisienses.	76.
		Soror somni.	67.
		Stella minima, terra major.	129.
		Stellæ erraticæ non errant.	131.
		Stellæ terram magnitudine vincunt.	98.
		Stellarum cursus.	131.
		Studia pauperum juvenum apud Athenienses.	19.
			Sub-

Subditorum officium quod.	56.	Venus alma dicta.	ibid.
Superbiæ comites.	204.	Venus solis æmula.	135.
Superbiæ duo pessimi comites.	ibid.	Venus quid.	134.
Supplicium seipiternum quale.	356.	Via in cœlum est justitia et pietas.	98.
Syderum nomina planetarum maxime Græcorum levitas finxit, et cur.	131.	Via compendiaria in cœlum.	155.
Symphonia cœlestis.	141.	Virga somni.	68.
T			
Telum in fortem virum missum redit admittentem.	370.	Virtus glutinum amicitiarum.	178.
Terra una alia eget.	200.	Virtus Numantinorum.	116.
Terræ divisio in Zonas.	146.	Virtus trahit ad verum decus.	101.
Terræ habitationes veteribus ignotæ fuerunt.	100.	Virtutis materia.	168.
Terræ mutuo indigent, ut homines hominibus.	200.	Vita hominum fere mors.	124.
Terrena qualia.	257.	Vita jucundissima quæ.	59.
Themistocles Xerxis opes contulit.	5.	Vita militia est.	125.
Thesmothetæ Athenis constituunt.	4.	Vita via est in cœlum.	98.
Timon osor hominum.	494.	Vitæ hujus viaticum unicum.	255.
Toga candida Senatorum Romanorum cujus eos admonuerit.	119.	Vitam præter propter vivere.	344.
Tria spectantur in gloria.	147.	Vites somnia propellentes consilantesve.	78.
Tribunorum intercessio Romæ qua voce fiebat.	120.	Voluptates ex privatis non alienis parandæ.	48.
Triumphus Scipionis primus.	114.	Voluptates quo pacto dementent homines.	212.
Triumphus secundus Scipionis.	116.	Voluptatibus dediti quem finem sortiantur.	102.
Triumphus de Numantinis qualis.	ibid.	Vox Catonis de Scipione.	113.
Trophæa antiquis militaribus legibus veterum renovari.	288.	Vultus apertius pectus prodit quam sermo.	197.
Tumultus quem Romani Gallicum aut Italicum nominabant.	303.	U	
V			
Valentiæ descriptio.	62.	Ultionem nec optare quidem fas est.	384.
Valentina Regio qualis.	ibid.	Ultionis duo genera.	233.
Valentinorum ingenium.	ibid.	Unus Deus omnem mundum regit.	97.
Variæ origines bellorum.	216.	Utilitas publica privatæ antefereenda.	160.
Veneres plures.	134.	in Uxores convenit viros leniores esse, et cur.	51.
Veneris et Mercurii natura.	141.	Uxorum injurias factas sæpe magnorum malorum originem exitisse.	48.
Veneris planetæ cursus, et nomina cum claritate.	135.	Z	
		Zonæ cœlestis et earum natura.	146.
		Zonæ cœli.	100.

FINIS.